COEMETERIA SACRA HENRICI SPONDANI APPAMIARUM GALLIAE NARBONENSIS...

Henri : de Sponde, Josè Maria Fonseca de Evora

32
2 H
12

RESURRECTIO MORTUORUM

COEMETERIA SACRA

HENRICI SPONDANI APPAMIARUM GALLIÆ NARBONENSIS EPISCOPI.

ex bibliotheca majori conventus minimorum S.mae Trinitatis in monte pincio

Quibus quid contineatur, brevi oratione aperiet Præfatio ad Lectorem.

PARISIIS,
Sumptibus DIONYSII DE LA NOÜE, viâ Iacobæâ, ad insigne Nominis IESU.

M. DC. XXXVIII.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA
ROMA

SANCTISSIMIS UNIVERSÆ ECCLESIÆ EPISCOPIS, SACRORUM QUORUMCUMQUE ANTISTITIBUS, RITUUM CHRISTIANORUM IUDICIBUS, CONSERVATORIBUS, DISPENSATORIBUS; OMNIUM MINIMUS *HENRICUS SPONDANUS* MAULEOSOLENSIS AQUITANUS; APPAMIARUM GALLIÆ NARBONENSIS EPISCOPUS, ÆTATE ET INFIRMITATE MORTI PROXIMUS, SEPULTURÆ MUNUS ET OFFICIUM, AB AUCTORE VITÆ IN REMEDIUM ANIMARUM ET FIDEM RESURRECTIONIS CORPORUM INSTITUTUM, HOC COEMETERIORUM OPERE QUA POTUIT DILIGENTIA ET CURA TRACTATUM, OFFERT IN ECCLESIARUM SUARUM USUM: CUM PLENISSIMA SINGULIS FACULTATE (AC POTISSIMÙM SUMMO OMNIUM PRINCIPI, SANCTÆQUE ROMANÆ ECCLESIÆ CETERARUM OMNIUM MAGISTRÆ) EMENDANDI, SUPPLENDI, DEMENDI, QUICQUID RATIO ET ÆQUITAS EMENDANDUM, SUPPLENDUM, DEMENDUM, DICTAVERINT.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS Christianissimi LUDOVICI XIII. privilegio cautum est, nequis præsens COEMETERIORUM SACRORUM opus, ab HENRICO SPONDANO Appamiarum Episcopo compositum, quovis charactere, aut formâ, vel Latinè, vel Gallicè, aut alio quocumque idiomate, excudere, aut alibi excusum vendere, aliόve quolibet modo distrahere possit, intra viginti annos, computandos à die absolutæ primæ editionis: præter illum, cui idem Episcopus specialiter & nominatim permiserit: sub pœnâ confiscationis librorum, & mulctæ mille & quingentarum librarum Turonensium, aliarúmque contra eiusmodi fraudatores definitarum in fusiore diplomate eiusdem Christianissimæ Maiestatis; dato Parisiis die undecimâ Decembris anno Salutis 1637. & Regni ipsius Domini Regis 28. subsignato DENISOT.

Idem verò Episcopus transtulit prædictum suum privilegium in DIONYSIUM DE LA NOÜE *Bibliopolam Parisiensem.*

Prima editio absoluta 12. Augusti 1638.

AD LECTOREM.

NE terrearis, mi Lector, inscriptione huius Operis. Nihil enim morti cum nostris COEMETERIIS: *quin eam longißimè ab iis repellimus, cum omnibus (ut cum Apuleio loquar) noctium occursabulis, omnibus bustorum formidaminibus, omnibus defunctorum terriculamentis. Ad quietem te vocamus, & vitam; quietem securam, vitam æternam: sed ut generosam virtutem decet, per pugnam & victoriam; quòd in hoc regno nemo coronetur, nisi qui legitimè certaverit: ignavum pecus arcetur. Sunt hostes & inimici, qui hanc quietem turbare moliuntur, & vitam intercludere. Nos armamentarium pandimus, & clypeis septemplicibus instructißimum ad repellendos omnes quantumlibèt acres & validos adversariorum ictus; & telis acerrimis, acutissimísque gladiis, ad eosdem & eminùs & cominùs configendos, conficiendósque.* I. DE TITULO OPERIS.

Ut rem breviter & ordine narrem; quadraginta ampliùs sunt anni, cùm nostri Gnostici Galli, sive Cathari, aut Hugonoti, vel quovis alio ominosiori seu ignominiosori nomine indigitentur, ad omnes occasiones rerum suarum provehendarum intentissimi, oblatam sibi II. SCRIPTIONIS OCCASIO.

divinitùs existimantes, extumulationem cuiusdam nobilis Meloniȷ[a] *ipsorum sectæ diœcesis Vasatensis, quem vi in proximam Ecclesiam Catholicorum, frustrà obnitente parocho, ad sepulturam intulerant, Episcopus autem inde auferri in terram profanam curaverat: crocodileos quosdam gemitus ingeminârant, quibus se adeò iniquè à Catholicis haberi solere, ac præsertim in denegatione communionis sepulchrorum, clamoribus suis obstrepuerant, ut præ Catholicorum hâc in se crudelitate atque sævitiâ, Canibales & Margageos barbarorum efferatissimos, mitissimos ac religiosissimos prædicarent. Obstupuit tunc Gallia ad tantam væcordiam; & callidam veteratorum vafritiem non tam mirata est quàm detestata.*

[a] De quo infr. lib. 4. par. 3. cap. 1. num. 11.

III.

Itaque arrepto nonnulli [b] *calamo, plaustra calumniarum propulsârunt; ac præcipuè quæ egregiȷ illi queruli in supremas Parlamentorum Curias invexerant; nec eas veriti, quas semper universus orbis veneratus est. Quando & mihi quoque imposito onere rei* SEPULCHRALIS, *antidotum edidi patrio idiomate, (quo serpentes illi virus suum evomuerant) titulo* SACRORUM COEMETERIORUM: *quo demonstravi nefas esse hæreticos simul iisdem monumentis sepeliri cum Catholicis; & si fortè sepulti fuerint, extumulandos esse. Idque primò undecim dierum opus, incremento aliquo posteà accepto, sæpiùs fuit, necessitate defensionis adversus continuos hæreticorum insultus, prelo typographico subdendum. A quo tempore cùm otiosiùs quamplurima alia observâssem, quæ rem maximè illustrarent; gravioribus tamen occupationibus prape-*

[b] Inter ceteros tunc *Florim. Remundus* Senator Burdegalensis defensionē edidit pro Parlamento illius provinciæ.

PRIMA COEMETERIORUM EDITIO.

præpeditus, & quòd interim hæresis in Galliâ in eum statum redacta esset, ut non admodùm his ampliùs opus esse videretur; seposui ea in angulum.

IV.

NOVÆ EDITIONIS RATIONES.

Donec rursùm post plurimos annos monitus, etiamnùm multis locis adeò in his laborari, ut non constitutiones Ecclesiasticæ, non regiæ edictiones, non supremarum Curiarum sanctiones, satis sint conterrendis ac conterendis hæreticorum qui supersunt ausis: resumpto denuò in manus opere, haud intempestivum fore existimavi, si vel serò illud tam in eorum confusionem, quàm in totius Ecclesiæ, singularúmque gentium Christianarum, quibus fortè vel est impræsentiarum, vel erit imposterum, hæc scire operæpretium, commonefactionem publicarem. Duplici quidem, si ceteri desint, effectu: uno, ac potiori, ut quàm sint quas dixi constitutiones, edictiones, sanctiones, æquitatis plenæ, quámque adversariorum tergiversationes iniquitatis; re ipsâ universo terrarum orbi linguâ notiori manifestum faciam. Altero; ut saltem memetipsum, in limine iam mortis constitutum, his COEMETERIIS, *unà cum ipso Opere, sepeliam, nec alterius cuiusquam opitulatricem manum opperiar.*

V.

QUID POSSIT IN OPERE ACCEPTUM HABERI.

Cùm nihilominùs, sicuti nec montes polliceor, ne mihi fortè ab aliquibus partus muris obiiciatur; nec mihi ullam hinc laudem aut venor aut auguror; nec denique meritas reprehensiones aut vereor aut deprecor: ita desperare nolim, fore ut non pauca in eo reperiantur, quibus ceteri defectus compensentur; putà causæ gravitas, rerum sententiarúmque varietas, methodi venustas, argumenti diffusissimi ad artem rationémque

revocatio. In quibus tamen parciùs agere visum, ne superfluo pondere Lectores onerarem; id solùm agere solicitus, ut ad singula quæque tantum dicerem quantum satis esset ad idoneam rerum probationem. Sicui denique res minùs placuerit; ipse sibi meliora conficiat. Quod non solùm absque ullâ nostrâ invidiâ, verùm etiam cum magnâ gratulatione fuerit. Scimus enim verum esse quod præfatus aliquando est Diodorus[c] *Siculus; nec poëtam, nec historicum, nec ullum denique artificem alicuius rationalis præceptionis, per omnia posse placere Lectoribus: nec fieri posse, ut natura mortalis, etiamsi scopum attingat, comprobationem omnium sine ullâ reprehensione consequatur. Viros autem probos decere, iis qui industriâ suâ virtutis metam assecuti sunt, impertiri laudem: quibus verò parùm feliciter successit, in iis naturæ humanæ fragilitatem non sugillare. Ita ille. Tu videris, mi Lector, quomodò mea accipere velis.*

c in Excerp. ex lib. 16.

VI. *Quid verò ego, quâque arte præstare voluerim, tibi ob oculos sequenti brevi syllabo, compendio repræsento.*

SYLLABVS OPERIS.

LIB. I.

Iure DIVINO, NATURALI, GENTIUM, CIVILI, *&* CANONICO, *Sepulturam & Funus adnumerari inter præcipua Religionis, sacrarúmque Ceremoniarum officia. Adeóque Sepulchra ipsa & Cœmeteria, habita semper fuisse sacra & religiosa, apud omnes gentes omnium quotquot umquam fuerunt* RE-

LIGIONUM: *videlicèt*

LEGIS NATURÆ;

GENTILIUM, *siue* ETHNICORUM;

IUDÆORUM;

CHRISTIANORUM;

HÆRETICORUM, *simul & SCHISMATICORUM*;

MAHOMETANORUM;

Idem fermè in earum singulis, etiam extra communem rerum ordinem, veluti Cælesti calculo *confirmatum esse.*

Atque ut penitiùs intelligatur, hoc ab ipsâ Naturâ procedere, id ipsum quoque probari exemplis Animantium omnis generis: nimirùm

Aëriarum, *seu* Volatilium;

Terrestrium, *seu* Quadrupedum;

Serpentium,

Aquatilium,

Insectarum.

EOD. LIB. I. PAR. III.

Quoniam verò hoc commentario res præcipuè pro Catholicis adversus huius temporis hæreticos agitur; istique quoscumque sacros Religionis Catholicæ ritus carpere soliti, semper ad priora Christianorum tempora Catholicos revocare consueverunt: probatissimis sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum testimoniis demonstratur, eosdem ipsos RITUS, *qui hodiéque in Sepulturis & Funeribus Catholicorum observantur, fuisse in usu penes antiquissimos illos Ecclesiæ primitivæ Christianos. Nempè,*

Curationem corporum in Lotione, unctione, Vestitione.

Officia Precum *ad corpora ante elationem.*

Pompam funeris, *in modum Supplicationum seu Processionum; præviâ* CRUCE; *comitante* Clero, *ac* Populo; *cum* Hymnis, *&* Psalmis; Cereis *ardentibus*, Incenso thymiamatis, *&c.*

Sepulturam in Ecclesiis, *aut illarum atriis; vel in* Cœmeteriis, *solemnibus ritibus consecratis.*

Precum, *ac* Sacrificij MISSÆ, *ipso die Sepulturæ, certísque aliis, oblationem:* Eleemosynarum *distributionem:* Agaparum *celebrationem.*

Crucium *denique ad ipsa Sepulchra appositionem: &* Luminum *ad eadem accensionem.*

LIB. II.

Ex sanctitate & religione Sepulturæ, Funerum, & Sepulchrorum, factum esse, ut omnes Gentes ac Religiones habuerint Sepulchra & Cœmeteria propria: à quibus privari, magnæ calamitati duxerint: nefásque existimârint, cùm maiorum criminum reos, tum maximè alienæ fidei legísque sectatores, ad ea inferri: quin potiùs omni eos sepulturâ privâsse.

Quod probatur eodem ordine, exemplis

LEGIS NATURÆ;
ETHNICORUM;
IUDÆORUM;
CHRISTIANORUM;
HÆRETICORUM;
MAHOMETANORUM;

DIVINI CALCULI;

& Animantium *cuiuſcumque generis.*

LIB. III.

Sicut autem omnes Gentes ac Religiones improbârunt ac prohibuerunt Sepulturæ collationem perſonis indignis, aut ſaltem confuſionem & promiſcuitatem Sepulchrorum: ita ſiquando ſceleratorum, ac diverſæ fidei legíſque hominum cadavera, ſepulturam quocumque modò, vel ſaltem in religioſis ipſorum ſepulchris obtinuerint; ea mox effoſſa, & extumulata, in rogum aut fluenta proiecta fuiſſe, beſtiíſve aut volucribus obiecta, vel in terram profanam eiecta. Idque probatiſſimum redditur exemplis cunctarum Religionum: hoc eſt

LEGIS NATURÆ;

ETHNICORUM;

IUDÆORUM;

CHRISTIANORUM;

HÆRETICORUM;

MAHOMETANORUM;

Necnon Divinæ confirmationis:

& Animalium Brutorum.

Poſt quæ ſpeciatim explicatur, quæ, ac cuiuſmodi ſint de his LEGES & CONSTITUTIONES *Eccleſiæ.*

LIB. IV.

Præter rationes illas, tam naturales, quàm morales, atque etiam divinas, cunctis Religionibus communes, quæ interſertæ ſunt ſuperioribus libris; eſſe præ-

cipuè TRES *alias* CAUSAS, *ob quas universi Hæretici, quovis tempore & loco, à sacris Catholicorum Sepulchris & Cœmeteriis, necessariò arcendi sint: Nempè,*

1. Quòd sint rei læsæ divinæ Maiestatis, & perduellionis in Ecclesiam; ac proinde severiùs habendi, quàm quilibet alij Infideles, aut nefarij homines.

2. Quòd sint ab Ecclesiæ communione penitùs præcisi: atque ideò indigni, qui aliquo eius privilegio gaudeant.

3. Quia quibus viventibus non communicatur, nec mortuis communicari debeat: Sit autem omnis cum Hæreticis communicatio, in rebus præcipuè sacris & religiosis, penitùs interdicta Catholicis.

EOD. LIB. IV. PAR. II.

Ut verò iam propiùs ad Lutheranos & Calvinistas, aliósque posteriorum temporum Novatores quoscumque accedamus, comminúsque cum eis pugnemus; proferuntur aliæ Rationes, quibus ipsi à Cœmeteriis Catholicorum penitùs reiiciantur. Videlicèt,

1. Quòd cunctæ illæ causæ, rationésque præcedenti tractatu adversus quoscumque Hæreticos generatim discussæ, pugnent etiam contra ipsos; cùm & ipsi ab Ecclesiâ Catholicâ Romanâ hæretici declarati fuerint. Nec in hâc causâ referat, utrùm Ecclesia Romana sit vera Ecclesia, ipsique Novatores verè hæretici: sed sufficiat, quòd qui fidem Romanam profitentur, id ita esse credant.

2. Quòd Catholici commixtionem Sepulturæ conce-

dentes, reos se constituerent prodita suæ Religionis.

3. Quòd ubicumque terrarum Catholici vitam degant, etiamsi Infidelium aut Hæreticorum opprimantur iugo; ubi tamen permittuntur Religionis suæ officia obire, habeant pariter distincta sua Cæmeteria: multò verò magis habere debeant, ubi Novatores nonnisi precariò vivunt.

4. Quòd ipsimet Novatores, ex præscripto suæ sectæ, huiusmodi commixtionem contemnant, irrideant, horreant, ac scriptis suis improbent.

5. Quòd Principum edicta, quibus libertas eis conceditur, vetent hanc commixtionem.

6. Quòd cùm ipsi sacram Scripturam continuò prætexant, & Ecclesiam primitivam; hæ non solùm eiusmodi commixtionem non præcipiant, verùm econtrà severè prohibeant.

EOD. LIB. IV. PAR. III.

Obiectionem Novatorum Gallorum, Hæc esse Sepulchra patrum suorum; *esse ineptissimam multis capitibus. Putà,*

1. Quòd sit contra ipsorummet conscientiam, & religionem.

2. Quòd ipsi non sint veri filij antiquorum illorum Gallorum, aut Francorum.

3. Quòd sacra Cœmeteria pertineant ad Religionem publicam, non ad personas privatas, quantumvis ipsæ ea construxerint: nedum ad eorum liberos, illósque maximè qui eorum religionem deseruerunt.

4. Quòd Sepulchra illa patrum ipsorum non ampliùs

extent, cùm ipsi ea destruxerint; quinimmò & corpora effoderint, combusserint, aut disiecerint, patrum suorum; necnon Sanctorum Dei, summorum Pontificum, Regum, ac Principum.

Supplicationes, & querelas, quas de his offerunt Regibus Christianissimis, esse nullius momenti:

1. *Quoniam Catholici longè favorabiliùs ab iis tractari merentur.*

2. *Quoniam iidem Reges in suâ inauguratione, iureiurando obstringunt sese Catholicorum iura tueri.*

3. *Quoniam sæpiùs iidem disertissimè Hæreticos, etiam tractatibus pacificationum, exclusos declaraverint à Cœmeteriis Catholicorum, etiam quæ ipsorummet patres extruxerunt: sitque id ipsum frequentissimis supremarum Curiarum iudiciis confirmatum.*

4. *Denique quoniam hæc causa est iurisdictionis Ecclesiasticæ, non sæcularis: nisi quatenùs Principes sunt defensores iurium Ecclesiæ; suâque auctoritate decreta eius roborant, & executioni mandari curant.*

Atque hæc sunt, quæ copiosiùs tractare intendimus. Aspiret Deus, secundétque Beatissima Virgo, ac faveant Cælites omnes: ut bonum, felix, faustum, fortunatum, ac salutare sit Religioni Christianæ, Ecclesiæ Catholicæ, mihique, & cunctis hominibus bonæ voluntatis.

COEME-

COEMETERIA SACRA.

INTRODVCTIO IN EA.

NTIQUI illi Philoſophi, quorum aut ſapientiâ aut ingenio animus excelluit, & in intima Naturæ myſteria profundiùs penetravit; eximiam HOMINIS conditionem attentiùs conſiderantes, & cùm eius corporis admirabilem compoſitionem, tum animæ divinas facultates iuſtis rationis ponderibus expendentes; adeò ad hæc ingentia eius inſignia obſtupuerunt, ut exquiſitiſſimis quique eius maieſtatem encomijs commendare certatim ſatagentes; inter alios ſapientiſſimus Zoroaſter [a] illum, *Audacis ac præſidentiſſimæ Naturæ artificium, & machinamentum*; Mercurius [b] Triſmegiſtus, *Magnum Miraculum, animálque venerandum, & adorandum; animal [c] divinum, Deúmque mortalem*: divinus Plato [d] *Miraculum divinum, & Miraculum miraculorum*: Protagoras [e] Abderites *omnium rerum menſuram*: ac denique, ut cetera ſingula ſingulorum mittam, uno fermè omnes, unà cum acutiſſimo naturæ contemplatore Democrito, ſenſu atque conſenſu,

I. DE HOMINIS DIGNITATE.

[a] *In oracul.*
[b] *In Aſclep.*
[c] *In Pymandr. dial. 10. eodémque modo Cic. lib. 2. de finib.*
[d] *In Timæo. Cratyl. lib. 1. de leg.*
[e] *Ap. Diog. Laert. & Plat. in Cratyl.*

Microcosmum, hoc est, *parvum mundum* appellare non dubitaverint: eò quòd is rerum omnium creatarum factus sit particeps, quando

f Horat. 1. od. 16.

——— Prometheus [f] *addere principi*
Limo coactus fuit *particulam undique*
Desectam;

atque in eo sub breui compendio contineatur quicquid vel spirituale vel corporale, in universam Mundi machinam diffusè distribuitur; & quatenùs est

g Ovid. lib. 1. Metamorph.

Fictus [g] *in effigiem moderantum cuncta Deorum,*

attingat etiam supremum Naturæ gradum, in quo sunt Spiritus cælestes, ipséque Deus. Quocircà & è nostris unus [h], Deum collocâsse inquit Hominem in terrâ, *quasi Magnum mundum in parvo:* videlicèt ob intellectualem animam, & ipsiusmet Dei imaginem ei inditam.

h Greg. Naz. orat. 2. de Pasch.

II.
DISCRIMEN INTER HOMINEM ET CETERA ANIMALIA, EX EORUM FIGURA.
i d. lib. 1.

Et qui eius originem, ac finem diligentiùs indagârunt, ac cum reliquorum animalium origine & fine comparârunt; aptè factum dixerunt, ut quanta esset in eorum principijs differentia, tanta etiam inveniretur in finibus dissimilitudo. Quam utramque Ovidius [i], quantùm intellectu consequi tenebricoso potuit, complexus, postquàm universi Mundi, singularúmque eius partium, necnon ceterorum animalium productionem, ac situm breviter descripsit, demùm sic de Hômine:

Sanctius his animal, mentísque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cetera posset.
Natus HOMO *est: sive hunc divino semine fecit*
Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
Sive recens tellus, seductáque nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat semina cæli:
Quam satus Iapeto mistam fluvialibus undis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.
Pronáque cùm spectent animalia cetera terram,
Os Homini sublime dedit, cælúmque videre
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Nempè vt mens eò spectet, & ratio, quò vultus ipse collineat; hocque uno admoneatur Homo, non sibi

terrena sectanda esse, velut sectantur animalia, quæ Natura ventri obedientia finxit; sed ad superna sibi intendum semper atque tendendum, tamquam ad locum suæ originis, futurique æterni domicilij. Sicut apud Silium [k] Virtus Scipionem ad illustria facinora, cælitúmque imitationem, hâc eâdem potissimùm ratione cohortatur:

[k] *Lib. 15.*

Nonne vides Hominum ut celsos ad sidera vultus
Sustulerit Deus, ac sublimia finxerit ora:
Cùm pecudum, volucrúmque genus, formásque ferarum,
Segnem atque obscœnam passim stravisset in alvum?

Et expressiùs Orator [l], *Natura figuram corporis habilem & aptam ingenio humano dedit. Nam cùm ceteras animantes abiecisset ad pastum, solum Hominem erexit, & ad cæli, quasi cognationis, domiciliique pristini conspectum excitauit.* Unde & verum comprobatur, quod Scriba [m] Naturæ, qui mente ac sensu calamum intingere consueverat, pluries [n] asseruit, Deum & Naturam in omnibus rebus semper ex his quæ fieri possunt, quod melius est facere; & ut quodque aptum est optimè fieri, sic esse factum à Naturâ. Et æquè apparet, cur eadem Natura mater piissima, seu potiùs Naturæ parens & creator Deus Opt. Max. cùm (sicut tradunt Anatomici) motioni capitis Hominis quatuordecim musculos assignaverit, duósque dumtaxat ex ijs inflexioni & depressioni, quatuor circularibus motibus, (seu potiùs semicircularibus; circularis enim capitis motus perfectus nullus datur) inservire dederit; extensioni, & elevationi, tamquam longè nobiliori, ac finali causæ creationis Hominis planè convenienti, octo ancillari iusserit. Hæc enim Naturæ providentia (inquit idem [o] Orator) *Homines humo excitatos, celsos & erectos constituit, ut Deorum cognitionem cælum intuentes capere possent. Sunt enim è terrâ, non ut incolæ atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque cælestium, quarum spectaculum ad nullum aliud animantium genus pertinet.* Quare & è nostris observavit Eusebius [p] agens de nomine Enos, qui à Mose dicitur *cœpisse invocare nomen Domini*, Hebræis *Enos* signi-

[l] *Cic. lib. 1. de leg.*
[m] Ita ap. Suid describitur Aristoteles
[n] *Arist. lib. 2. Physic. lib. 4. de part anim. &c.*
[o] *Cic lib 2. de Nat. deor.*
[p] *De præpar. 5.*

NOMINIS ENOS SIGNIFICATIO.

ficare *Hominem*; non tamen ſimpliciter, ſed *verum hominem*: convenienti videlicèt ratione, quòd non alum deceat appellare verum hominem, quàm qui Deum verè cognoſcit, & colit: qui verò talem non habent cognitionem ac cultum, animalibus irrationabilibus nihilo præſtantiores eſſe, utpotè in ventrem, & voluptatem pronos: indéque Scripturam alios *lupos*, & *canes*, *ſues* alios, alióſque *ſerpentes*, & eiuſmodi appellationibus, pro vitiorum ſimilitudine quibus dediti ſunt, nuncupare conſueviſſe.

III.

HOMO UNDE DICTUS APUD GRÆCOS.

Eâdémque ratione à Græcis huius generis Philoſophiæ diligentiſſimis tractatoribus, rerúmque involutarum ſubtiliſſimis explicatoribus, appoſitiſſimè *Homo* appellatus eſt ἄνθρωπος, (ut quidam Etymologi volunt) quaſi ἄνω θεωρῶν, *quæ ſupra ſunt ſpeculans*; ſive (ut alij) quaſi ἄνω ἀθρῶν, *ſursùm reſpiciens*; vel etiam quaſi ἄνω ῥέπων, *ſurſum vergens*; aut denique (ut eſt apud Platonem[q]) quaſi ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε, *conſiderans & expendens quæ vidit*. Et quamvis aliquando[r] Ariſtoteles rectæ Hominis figuræ cauſam aſſignet, quòd habeat cordis pulmoniſque locum calidiſſimum, & ſanguine refertiſſimum; aliàs[s] tamen hanc potiſſimam affert, quòd ſolus ex omnibus animantibus divinitatis ſit particeps, naturâque, & ſubſtantiâ divinâ præditus. Quod & elegantiſſimè Manilius[t] proſequitur: aliique plurimi tam Græci quàm Latini Philoſophi, egregiè pro viris qui ſupernaturali lumine carentes, & in rerum divinarum inveſtigatione ingenio naturali confiſi, non niſi in tenebris corruptionis & confuſionis ſuæ ambulaverunt. In quibus & præcipuè cavendum Stoicorum dogma, quo animas noſtras eſſe[u] particulas quaſdam crediderunt divinitatis, eaſdémque vinculis corporis ſolutas redire ad ſuum principium unde deſumptæ, eique rursùs coaleſcere. Alioquin enim *planè non negabimus* (inquit Tertullianus[x]) *aliquando Philoſophos iuxta noſtra ſenſiſſe. Teſtimonium eſt veritatis, etiam inventus ipſius. Nonnunquam & in procellâ confuſis veſtigijs cæli & freti, aliquis portus offenditur proſpero errore: nonnunquam & in tenebris aditus qui-*

[q] In Cratyl.

[r] De part. anim. lib. 2. cap. 7.

[s] Ibid. cap. 10. & lib. 4. cap. 10.

[t] Aſtronom. lib. 4. ad fin.

[u] Epiſtet. diſſert. 1. c. 14. Senec. ep. 92. & alij.

[x] De anim. cap. 2.

dam, & exitus deprehenduntur cacâ felicitate: sed & naturâ pleraque suggeruntur, quasi de publico sensu, quo animam Deus dotare dignatus est.

IV.

VERA RATIO DISCRIMINIS ANIMALIUM, EX EORUM ORIGINE, ET CREATIONE.

Sed quoniam hæc plerique, ut diximus, non nisi caliginosè prætentârunt, aut sub fabularum velamentis dubitanter asseruerunt; veram discriminis figuræ animalium rationem absque ullâ ambiguitatis nube manifestat nobis divina Scriptura, cùm docet ceterarum omnium animantium animam, sicut & corpus, ex aquæ & terræ materiâ (non tamen sine reliquorum elementorum admixtione) producta esse ex mandato Dei, cùm dixit[y]: *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram sub firmamento cæli.* Et: *Producat terra animam viventem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundùm species suas.* Hominis autem animam non terram edidisse, vel aquas: sed formato corpore de limo terræ, (coagulato videlicèt ex pulvere, & aquâ, etiam cum participatione ceterorum elementorum) *inspirâsse Deum in faciem eius spiraculum vitæ, & factum esse Hominem in animam viventem, ad imaginem Dei.* Sicque non fuisse eius animam eductam ex materiâ, sed ab extrinseco à Deo infusam; qui, non ut partem substantiæ suæ (vetus hæc hæresis, & error Poëtarum atque Philosophorum) sed ut quemdam effectum omnipotentiæ suæ de nihilo in homine illam creârit: & factum esse hominem, animal intellectu & libero arbitrio pollens. Unde & expendentes plerique Patres[z] modum creationis animalium, observârunt cetera quidem nudo iussu, nullo negotio, nullâque præcedente deliberatione creata fuisse: at cùm Homo condendus fuit, tamquam eximius artis divinæ canon, diligens initum esse consilium, ac maturam consultationem habitam sanctissimæ Trinitatis, quo pacto is formandus esset, propter quem cælum, terram, mare, & omnia ijs contenta condidisset: ut non dictum fuerit, *fiat homo*; sed, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Denique solam ipsam Hominis fabricam atque opificium, Deum facillimè demonstrare, etiam ipse Mercurius[a] sapienter philoso-

[y] *Gen. 1.*

[z] *Orig. homil. 1 in Genes. Tertul. de resur. car. cap. 5. Basil. homil. 10 in Hexam. Gregor. Nyss. orat. 1. in Faciam. homin. Chrysost. hom. 8. in Gen. Greg. Magn. 9. Moral. 17.*

[a] *In Pyman. dial. 5.*

phatus est. *Quòd igitur animantia bruta* (inquit Auctor Tractatûs de Definitionibus [b], qui Magni Athanasij nomine circumfertur) *ex terrâ acceperunt animam suam, ideò ad terrena solummodò habent affectionem, & omnem appetitum, nec est illis rerum cælestium cura. Quòd verò Homo ex inspiratione divinâ suam animam accepit, ideò res divinas agnoscit, superna persequitur, & res cælestes intelligit, quærit, appetit, & desiderat, quoniam illinc habet creationem suam.* Et S. Augustinus [c]: *Corpus nostrum sic fabricatum est, ut indicet nos meliores esse, quàm bestias, & propterea Deo similes. Omnium enim animalium corpora, sive quæ in terris, sive quæ in aquâ vivunt, sive quæ in aëre volitant, inclinata sunt ad terram, & non sunt erecta sicut Hominis corpus. Quo significatur & animum nostrum in superna, id est in æterna spiritualia erectum esse debere.* Nam, ut iam anteà dixerat Lactantius [d], *nihil prodest hominem ita esse factum, ut recto corpore spectet in cælum, nisi erectâ mente Deum cernat, & cogitatio eius in spe vitæ perpetuæ tota versetur.* Boëtius [e] item præclarè:

Quàm varijs terras animalia permeant figuris!
Namque alia extento sunt corpore, pulverémque verrunt,
Continuúmque trahunt vi pectoris incitata sulcum.
Sunt quibus alarum levitas vaga, verberétque ventos,
Et liquido longi spatia ætheris enatet volatu.
Hæc pressisse solo vestigia, gressibúsque gaudent,
Vel virides campos transmittere, vel subire silvas.
Quæ varijs videas licèt omnia discrepare formis,
Prona tamen facies hebetes valet ingravare sensus.
Unica gens Hominum celsum levat altius cacumen,
Atque levis recto stat corpore, despicítque terras.
Hæc, nisi terrenus malè desipis, admonet figura,
Qui recto cælum vultu petis, exerísque frontem,
In sublime feras animum quoque, ne grauata pessum
Inferior sidat mens corpore celsiùs levato.

Ac planè divinè divus Bernardus [f]: *Corporis staturam dedit Homini Deus rectam, ut ista corporea exterioris, viliorísque rectitudo figmenti, hominem interiorem illum, qui ad imaginem Dei factus est, spiritualis suæ servandæ recti-*

[b] *quæst. de anim. & ment.*

[c] *Lib. 1. de Gen. contr. Manich. cap. 17.*

[d] *Lib. 3. cap. 27. inst.*

[e] *Lib. 5. de consol. metr. 5.*

[f] *Serm. 24. in Cant.*

tudinis admoneret, & decor limi deformitatem argueret animi. Quid enim indecentius, quàm curvum recto corpore gerere animum? Perversa res est & fœda, luteum vas, quod est corpus de terrâ, oculos habere sursùm, cælos liberè suspicere, cælorúmque luminaribus oblectare aspectus: spiritualem verò cælestémque creaturam, suos è contrario oculos, id est internos sensus, atque affectus, trahere in terram deorsùm; & quæ debuit nutriri in croceis, hærere luto tamquam unam de suibus. In quos iurè stomachatus antiquus Gentilis auctor Antidamus [g], *Quis* (inquit in Moralibus) *fabrè compactum animal hominem, ferat sic esse pecuatum? Quis averruncâssit tam arietinas hominum mentes?*

[g] *Ap. Fulgent. Placiad. verb. Fabrè: & Delr. in Sen. Hercul. Oet.*

V.

SOLUS HOMO EX OMNIBUS ANIMALIBUS DEI COGNITIONIS CAPAX.

Quoniam igitur (inquit Plato [h]) *solus ex omnibus animantibus Homo divinæ sortis particeps effectus est; solus ob hanc cognationem Deos esse putavit.* Factúmque est, ut sicut nulla fuit umquam usquámve gens (quemadmodùm varijs locis argumentantur Cicero [i], Seneca [k], aliique antiqui Philosophi) tam immansueta, neque tam fera, adeóque extra leges moré sque proiecta, quæ non, etiamsi ignoret qualem habere Deum doceat, tamen habendum sciat: nullum genus hominum tam vecors, quod non habuerit etiam sine doctrinâ, sine instituto aliquo, sine lege, anticipationem, seu anteceptam quamdam informationem Dei, à naturâ innatam, & in omnium singulorúmque hominũ animis quasi insculptam: Ita in hominibus nulli umquam tam immanes extiterunt, quorum mentem non imbuerit eiusdem Dei colendi religio. Quippe divina clementia non solùm mentem hominis cognitione illustravit; sed etiam normam præfixit voluntati, quâ Deum ita cognitum supremo cultu ac veneratione extolleret. *Gentes enim* (inquit Apostolus [l]) *quæ legem non habent*, (hoc est, scriptam in tabulis, seu membranis) *naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ipsique sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Quinimmò & inde nomen *Religionis* deductum esse, Lactantius [m] Philosophus Christianus existimavit, cùm scripsit: *Hác conditione gignimur, ut generanti nos Deo iusta & debita obsequia præbeamus; hunc*

[h] *In Protag.*

[i] *De nat. Deor. lib. 1 & 2. de legib. lib 1. Tuscul. 1. de haruspic. resp.*

[k] *Epist. 117. & c.*

[l] *Rom. 2.*

[m] *4. Divin. Inst 28.*

RELIGIO UNDE SIC DICTA.

solum noverimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti Deo, & religati sumus; unde ipsa Religio nomen accepit: nempè ab eo vinculo naturali, quo Deo obligamur, ex propriâ naturæ conditione: cùm (ut diximus) hæc sit nobilitas creaturæ rationalis, ut per se, & ex vi suæ originis, ad nullum alium, nisi ad Deum, ut ad finem, ordinetur. Et ut loquitur auctor Commentarij [n] de Spiritu & Animâ, cui locus datus inter opera S. Augustini; *tantæ dignitatis sit humana conditio, ut nullum bonum præter Summum bonum ei sufficere possit.* Unde & idem aliàs Lactantius [o], contra vanas Ethnicorum religiones pro vero Dei cultu disputans; *Quis* (inquit) *non intelligat nefas esse rectum animal curvari ut adoret terram? quæ idcircò pedibus nostris subiecta est, ut calcanda nobis non adoranda sit: qui sumus ideò excitati, & ex eo statum sublimem præter ceteras animantes accepimus, ut non revolvamur deorsùm, ne hunc cælestem vultum proÿciamus ad terram, sed oculos eò dirigamus, quò illos natura suæ conditio direxit: nihílque aliud adoremus, nihil colamus, nisi solùm artificis parentísque nostri unicum numen, qui propterea hominem rigidum figuravit, ut sciamus nos ad superna & cælestia provocari.* Ac demùm totam disputationis suæ rationem brevi circumscriptione signans: *Idcircò* (inquit) *mundus factus est, ut nascamur: ideò nascimur, ut agnoscamus factorem mundi ac nostrî, Deum: ideò agnoscimus, ut colamus: ideò colimus, ut immortalitatem capiamus: ideò immortalitate afficimur, ut similes Angelis effecti, summo Patri ac Domino in perpetuum serviamus, & simus æternum Deo regnum.* Quæ est imago illa Dei, ad quam formatus est homo, consistens tum alijs in rebus, tum maximè in cognitione, amore, & cultu Dei; ut Patres [p] disserere consueverunt. Quapropter quòd quidam Philosophi, cùm ratione naturali cognoscerent falsam esse plurium Deorum religionem, & veram unius Dei non valerent, seu præ negligentiâ, seu præ mentis hebetudine, attingere; omnem cultum, & venerationem superioris numinis abiecisse dicuntur [q]: *hi omnes* (ut loquitur Apostolus [r]) *evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est*

[n] Cap 15. Ap. August. to. 3.

[o] Lib. 2. cap. 18. & lib. 7. cap 7. Vide etiam lib. de Opif.

[p] Greg. Nyss. de opif. hom. cap. 5. Aug. tract. 8. in 1. ep. Ioan. Bern. lib. 1. medit. cap. 1 & alij.

IN PHILOSOPHOS ATHEOS.

[q] Lact. lib. 2 cap. 3. Ælian. 2 Var. 31.

[r] Rom. 1.

est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Nam si credebant nullum esse Deum, quæ maior stultitia cogitari potest? cùm (sicut etiam ait Plato [s]) *& ipsa terra, sol, sidera, ipsúmque universum, temporum quoque ornatissima varietas id ostendant, ac Græcorum præterea, barbarorúmque omnium consensus fateatur*: & qui hoc dubitat, existimaverit Cicero [t], *dubitare etiam posse, Sol sit, an nullus sit*: quinimmò & Iáblichus [u] Philosophus, qui Pythagoricorum, ac Platonicorum dogmata accuratè prosecutus est, scripserit adeò hanc notionem innatam esse animis hominum, ut sit etiam omni rationis usu, omníque demonstratione prior; dicique possit tactus quidam divinitatis magis, quàm notitia. Si autem agnoscentes, & quasi manu tangentes esse aliquem Deum, à cuius potentiâ, & providentiâ pendeant, ac regantur universa, nihilominùs censuerunt eum non esse colendum: ánnon illi omnis se rationis, sensúsque naturalis inanissimos demonstrârunt? *Si terras peragres* (inquit Plutarchus [x] adversus Colotem Epicureum) *invenire poteris urbes muris, regibus, opibus, numismate, tectis carentes, gymnasiorum ac theatrorum nescias: urbem verò templis, Diísque carentem, quæ precibus non utatur, quæ non sacrificet bonorum adipiscendorum causâ, quæ non sacris mala avertere nitatur, nemo vidit, aut videbit umquam: faciliúsque puto urbem condi sine fundamentis posse, quàm politiam ibi constitui, aut conservari absque deorum opinione, & religione.* Nec in veteri & nostro solùm Orbe hoc apparuit, sed in rudi illo novo: ubi inter barbaros, feros, homiedones, nullus adhuc angulus repertus est, quem religio & numen non vindicaret. Quare & cùm firmissimis Lactantius [y] Firmianus argumentis demonstret, non tam rationem homini esse propriam, quàm religionem in Deum: verius fortassis erit, prædictos Philosophos haud Deos planè & plenè negâsse, sed illos quos tunc colebant, & ideò ἀθέων cognomine affectos: nec de omni cultu divino abiiciendo, sed de externo tantummodò locutos esse: quandoquidem putârunt aliqui, externa signa cultûs permitti quidem posse propter vulgus, verè tamen nihil deservire respectu Dei, sed suffi-

[s] *Dial. 10. de legib.*
[t] *Lib. 1. de nat. Deor.*
[u] *De Myst. Ægypt. cap. 1.*
[x] *Lib. 2.*
[y] *3. Inst. 10. cum de irá Dei cap. 12.*

DE CULTU DEI INTERNO ET EXTERNO.

cere actus internos, & spirituales. Verùm ut hæc Theologis discutienda, & vel refellenda vel explicanda relinquamus; illud tamen impræsentiarum, quod sese offert, ex S. Ioanne Damasceno [z] non omittimus; *duplici adorationis genere rerum omnium parentem, & architectum Deum afficiendum à nobis esse, quia nos ex visibili simul & invisibili, hoc est ex eâ naturâ quæ intelligentiâ percipitur, & eâ quæ in sensum cadit, constamus.* Itémque ex S. Augustino [a] de externis gestibus, & visibilibus ceremoniis Orantium agente: *Quamvis eorum invisibilis voluntas, & cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei pandatur animus: tamen his magis se ipsum excitat homo ad orandum gemendúmque humilius, atque ferventiùs: & nescio quo modo, cùm hi motus corporis fieri nisi motu animi præcedente non possint, eisdem rursus exteriùs visibiliter factis, ille interior invisibilis, qui eos fecit, augetur; ac per hoc, cordis affectus, qui ut fierent ista præcessit, quia facta sunt crescit.* Ac denique illud benè dictum à Pythagora [b], *tum maximè & pietatem, & religionem versari in animis, cùm rebus divinis operam daremus;* actibus videlicet externis. Et divinus Propheta [c], *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum:* ubi cor ad spiritum pertinet, caro ad id quod exteriùs geritur.

[z] 4. Orthod. fid. 13.

[a] De cur. pro mort. cap. 5.

[b] Ap. Cic. lib. 2 de leg.

[c] Psalm. 83.

VI.

CULTUS DIVINUS EX LEGE NATURÆ.

Ceterùm quoniam, & si hominibus cultus divinus in præcepto est ex vi ipsius Legis naturalis, non tamen ex vi eiusdem solius legis determinatus est certus ac specialis modus eiusdem cultûs, qui magis vel per positivam legem, vel ex arbitrio ipsius hominis operantis determinatus est; indeque contigerit, ut in modo colendi Deum externis ritibus, magna ab usque Mundi conditu varietas exciterit non solùm inter Ethnicos, verùm etiam inter veros Dei cultores: (in quibus quòd Enos dicitur [d] *cœpisse invocare nomen Domini*, communiter ab Interpretibus intelligitur de quibusdam sacris ritibus, ac ceremoniis ab eo institutis ad publicum Dei cultum; & retinendam iustorum pietatem, quam ab invalescente Cainorum tyrannide periclitari cernebat: cùm alioquin etiam ante illum, Adam, Abel, Seth, Deum invocâssent,

[d] Genes. 4.

ac coluissent; nec omnes post eum, usque ad legem Mosi datam, eodem modo Deum coluisse reperiantur:) nihilominùs sicut iuxta Aristotelem [c], non eamdem quidem omnes voluptatem, omnes tamen voluptatem, vt Summum Bonum, appetunt, & sequuntur: (Quali enim quisque animo præditus est, talem de Summo Bono opinionem aucupatur,) ita licèt non omnes eumdem Deum, iisdémque cæremoniis coluerint, omnes tamen in aliquo Deo agnoscendo, eumdémque religiosis quibusdam ritibus colendo unanimiter consenserunt. Idque eâdem ipsâ auctrice Naturâ; quæ sicut hominibus informationem Dei dedit, ita insculpsit in mentibus, ut eum tamquam optimum, & maximum, & beneficentissimum, & potentissimum amarent, atque interiùs exteriúsque venerarentur; & ad eum, tamquam ad Summum Bonum, & supremam suæ felicitatis causam, finémque præcipuas vitæ & mortis actiones dirigerent; cuius solius benignitate scirent se & malis quibus premerentur liberari, & bona quæ concupiscerent consequi posse.

[c] 7. Ethic. 13

VII.

SEPULTURA AD HOMINIS DIGNITATEM PERTINET.

Hoc verò etiam quam maximè ad ea quæ in Defunctorum FUNERE, EXEQUIIS, & SEPULTURA fierent, extendi, propterea convenientissimum existimatum est, quòd hæc eximiam illam, quam diximus, humanæ Naturæ dignitatem spectent; & tam eorum ritus ad honestandam Defunctorum inter homines memoriam, ac voluti deificandas cum cœlitibus eorum animas, fuerint (ut videbitur) necessarij habiti; quàm ipsa SEPULCHRA ad hoc introducta censeantur, ut & defunctos in memoriam vivorum revocent, & vivi sibi quoque moriendum, simúlque omnes ad mortem tendentes rectè sibi, ac sanctè, & secundùm Deum vivendum esse moneantur. Quocircà, ut præter alios observavit Augustinus [f], Sepulchra Græcis Μνημεῖα, eâdémque significatione Latinis *Memoriæ*, seu *Monumenta* nominari consueverunt, quòd memoriam afferant, ac mentem moneant. Auctórque est Varro [g], solita illa disponi secundùm vias publicas, quò prætereuntes monerentur, ipsos esse mortales, sicuti fuerant qui illic siti erant. Ac rur-

[f] De cur. pro mort. cap. 4.

SEPULCHRA MORTUORUM, MEMORIÆ VIVENTIUM.

[g] Lib. 5 de lin. Lat.

sùm Io. Chrysostomus [h], *Propterea Deum ubique sepulchra fieri voluisse, ut illis nostræ infirmitatis memores fieremus; ideóque omnem civitatem & omne castellum ante ingressum sepulchra habere, ut contendens intrare in civitatem, quæ floret divitiis & dignitatibus, priusquàm videat quod secum concipit, videat primùm quod fit.* Indéque & Democritus [i] ridibundus ille, non sanè ridiculè, ex omnibus locis, mortuorum monumenta ac cineres ad philosophandum eligere consueverat. Et Socrates [k], Plato, Cicero [l], Plutarchus [m], necnon Brachmanes [n], aliique præstantissimi quivis Gentilium Philosophi, ac prudentissimi sapientiæ Magistri, germanam omnis Philosophiæ rationem in mortis consideratione & meditatione collocârunt. Ad quod etiam habuerunt Mysteria quædam, & sacra; quorum finem ultimum & fructum esse dicebant, quòd qui iis initiati essent, evaderent quàm simillimi diis, & post mortem essent cum iis habitaturi. Fuisse namque instituta ad emendationem morum, & vitam hominum corrigendam, docet inter alios Arrianus in Dissertationibus [o] Epicteti. Estque de illis illustris locus Ciceronis [p]; quo ait, non solùm ex illis *vivendi rationem* homines *accepisse*, sed etiam *moriendi cum spe meliori*: nempè *fruendi in cœlis ævo sempiterno*, ut idem alibi [q] loquitur. Sicuti & Themistius [r], *Mortis affectum subire, simile esse* dixit *initiationi magnis aliquibus sacris; & ut ipsa vocabula, sic etiam res inter se consimiles esse: τελευτᾷν enim mori esse, τελεταὶ sacra, τελεῖσθαι initiari.* Quod quidem ipsi instinctu solùm naturæ, & ex primævæ lucis reliquiis, balbutiendo dixerunt; cùm alioqui certi aliquid pronunciare, aut viam rectam eò perveniendi indicare non potuerint.

[h] Serm. de fid. & leg.
[i] Laërt. in Democr.
[k] Ap. Plat. in Phædo.
[l] Tuscul. 1.
[m] Cont. Coloten. 1
[n] Strab. lib. 15.
[o] Lib. 3. c. 21.
[p] Lib. 2. de leg.
[q] In Somn. Scip.
[r] Ap. Stob. Serm. 119.

VIII. MORS PRÆSTANTIOR QUAM VITA HUMANA.

Sanè quod mortis ac vitæ considerationem spectat; divinus Ecclesiastes [s] *meliorem* dixit *esse diem mortis die nativitatis*: nempè (ut interpretantur sancti Patres [t]) quòd natalitius dies in turbulentum huius vitæ pelagus nos inducat, dies verò transitûs è stadio nos educat. Ac præclarè philosophatus antiquus auctor Commentarij [u] in Iob tributi Origeni, in interpretatione verborum S. Iob, *Pereat dies, in quâ natus sum; Animadvertamus*, in-

[s] Ecclef. 7.
[t] Hier. Olymp. ed. & alij.
[u] Lib. 3.

quit, *ô homines, quæ immutatio facta est in hominibus. Nam priores diem Nativitatis celebrabant, unam vitam diligentes, & aliam post hanc non sperantes: Nunc verò nos non nativitatis diem celebramus, cùm sit dolorum atque tentationum introitus; sed mortis diem celebramus, utpotè omnium dolorum depositionem, atque omnium tentationum effugationem;* (exceptis CHRISTO Domino, Virgine Matre, & Baptistâ Præcursore, quorum utrumque diem ob fecundissima Mysteria, quibus abundant, celebrare consuevit Ecclesia.) *Diem mortis celebramus, quia non moriuntur hi qui mori videntur. propterea & memorias Sanctorum facimus, & parentum nostrorum, vel amicorum in fide morientium memoriam devotè agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quàm etiam nobis piam consummationem in fide postulantes.* Nec defuêre, qui dixerint [x] CHRISTUM, quando Lazarum resuscitaturus erat è mortuis, lachrymatum esse, non quòd Lazarus esset mortuus, sed quòd à loco requietis revocaretur ad locum miseriæ, & à portu in quem tutus evaserat, reduceretur ad fluctus maris & procellas ventorum. Quas & Natura ipsa docere nos voluit, dum (ut loquitur Plinius, [y]) *hominem natali die ad vagitus statim & ploratum abiicit; nullúmque tot animalium aliud ad lacrymas, & has protinùs vitæ principio: qui à suppliciis vitam auspicatur, unam tantùm ob culpam, quia natum est.* Ac fuit etiam inde nonnullorum olim populorum [z] consuetudo, natos lacrymis doloris prosequi, mortuos cantibus lætitiæ: quoniam (ut est apud Hegesippum [a]) illos ad ærumnas natos dolerent, hos ad beatitudinem isse gratularentur; illorum animas ad servitutem venisse ingemiscerent, istorum ad libertatem missas gauderent: & (ut apud Macrobium [b] ex Platonicis, ut apparet, dogmatibus) quòd persuasum haberent, post mortem corporis animas ad originem dulcedinis musicę, cuius fuerant priùs conscię, id est, ad cælum redire. Paritérque Brachmanas Indorum Philosophos dixisse, mortem esse nativitatem ad veram illam & felicem vitam, Strabo [c] testatur. Et apud Nonnum [d] Indi oculis non flentibus sepeliebant mortuos, tamquam qui vitæ mortalis terrestria fugissent vin-

[x] Concil. Tolet. III. c. 21. Isid. Pelus. 2. ep. 173. Rupert. in Ioan. 11. Auct. ep. ad Tyras. ap. Hieron. &c.

[y] Lib. 7. in praef.

[z] Philostr. l. 5. de vit. Apollon. de Gaditanis: *Herodot. lib. 5. Val. Max. lib. 2. cap. 6. & alij, de* Thracib. *Pomp. Mela lib. 2. de* Getis: *Herodot. ibid. de* Trausis: *Strab. lib. 11. ex Eurip. de* Caucasiis: *Stob. ser. 119. de* Causianis. *&c.*

[a] Lib. 5. de Excid. Ierosol.

[b] 2. de Somn. 3.

[c] Lib. 15.

[d] Dionys. l. 37. in pr.

cula, animâ missâ unde venit, circulari vinculo metam ad antiquam. Observatúmq; legimus à nonnullis [e] Mel antiquis Symbolum fuisse mortis, Fel autem vitæ; quia mors laborum meta est, quibus exuberat vita. Et Maximus [f] Tyrius, *Hoc, inquit, quod mortem plerique vocant, id ipsum est immortalitatis exordium, & futuræ vitæ generatio; intereuntibus scilicèt suâ lege, suóque tempore corporibus, animis verò ad proprium locum, propriámque vitam abeuntibus.*

[e] *Cal. Rhodig. lib. 28. cap. 17.*
[f] *Orat.* 15. Et plura de his egregia *ap. Cic. Tuscul.* 2. *Senec. de consol. ad Marc. & de Brevit. vit. Plutar. de Consol. ad Apoll. Stob. serm.* 117. *& seq.* atq; alios plurimos tam Christ. quàm Gentil. scriptores.

IX. Vita ista, mors potius dicenda.

Quo sensu accipimus, quod apud Platonem in Cratylo σῶμα, hoc est corpus, dictum putatur quasi σῆμα, id est, sepulchrum, tamquam anima in corpore sit sepulta, ac veluti mortua. (Epicureos enim, Lucretij, & aliorum eiusdem farinæ hominum sensus, quibus non alios esse inferos asseruerunt, quàm ipsa corpora, quibus inclusæ animæ fœdum patiantur carcerem, horremus, & penitùs reiicimus.) Quod & ipsum asserens in Gorgiâ, citat etiam illud Euripidis: *Quis novit, utrùm vivere mori sit, mori autem vivere?* Idémque ipse Euripides [g], Sophoclésque [h], & omnium antiquissimus Homerus [i], aliíque Græci eos secuti, hominis corpus δέμας vocaverunt, hoc est, vinculum, tamquam in eo (ut exponit Themistius [k]) anima δεδεμένη, hoc est, illigata sit. Quomodò & Seneca modò vinculum [l] vocat, modò carcerem [m], sarcinam [n], pondus [o], caveam [p], onus [q]. Plutarchus [r] etiam animam abditam esse in corpore, tamquam in pistrino; & Plato [f], tamquam in custodiâ & carcere. Déque his agens Macrobius [t] observat, Ciceronem utrumque significantem, corpus esse vinculum, corpus esse sepulchrum, quod carcer est sepultorum, dixisse [u] eos qui patriam conservârint, adiuverint, auxerint, postquàm *è corporum vinclis, tamquam è carcere evolârint*, verè in cælo vivere: quippe, *quæ in terrâ dicitur vita, mortem esse.* Sicut & idem Plutarchus contra Colotem [x]; *Boni tantum, inquit, cumulatè secum adfert mors, ut tum demùm verè sit animus victurus, cùm excesserit è vitâ: hîc non vivat reverâ, sed instar somnij nutet.*

[g] *In Orest.*
[h] *In Antig.*
[i] *Odyss.* λ. σ. ω.
[k] *Ap. Stob. serm.* 119.
[l] *Consol. ad Marc.*
[m] 3. *de Benef.* 20.
[n] *Ep.* 14.
[o] *Ep.* 65.
[p] *Ep.* 88.
[q] *Ep.* 102.
[r] *In Conviv. sept. Sap.*
[f] *In Phædon.*
[t] 1. *Somn. Scip.* 11.
[u] *Cic. in Somn. Scip.*
[x] *Lib.* 1.

Vita unde dicta.

Quamobrem & vocabulo à *vi* deducto *vitam* nominârunt, βίον παρὰ τὴν βίαν. Et Rex Propheta cùm semel considerâsset *pretiosam* [y] *esse in conspectu*

[y] *Psal.* 115.

Domini, non nativitatem, sed *mortem Sanctorum eius*, inde & Dominum rogabat, ut *educeret* [z] *de custodiâ animam suam*: & Apostolus, cùm sciret *seminari* [a] corpus *in ignobilitate, surgere in gloriâ; seminari in corruptione, surgere in incorruptione; desiderium* [b] ardens *habebat dissolvi*, (scilicèt vinculo, quo anima in hâc vitâ corpori colligatur, & includitur quasi terrestri domui huius habitationis, seu tabernaculo, ut alibi [c] vocat) *& liberari de corpore mortis huius*[d]. Non quidem eo sensu, quo dicebant Platonici, non posse animas esse beatas, nisi omni prorsùs corpore exutæ sint; quos refellit Augustinus [e], docens non simpliciter corpus, sed corpus corruptibile aggravare animam, & illi esse impedimento ad beatitudinem; quam tunc plenissimè consequetur, cùm post resurrectionem carnis recepto corpore spirituali perfectum [f] habebit naturæ suæ modum: Sed ab ærumnis corporis & huius vitæ, à concupiscentiâ & peccato, à fastidio terræ rerúmque terrenarum; à *carcere* denique, ut etiam vocat Basilius [g]; &, ut Ambrosius [h], à corporeæ vinculis fragilitatis: ob quæ vincula, & carcerem, ac pondera, quibus ligamur, includimur, ac premimur, (*occupatio enim magna* ut ait divinus [i] Ecclesiasticus, *creata est omnibus hominibus, & iugum grave super filios Adam, à die exitûs de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium: à residente super sedem gloriosam usque ad humiliatum in terrâ & cinere: ab eo qui utitur hyacintho, & portat coronam, usque ad* [k] *eum qui operitur lino crudo*) tum aliqui è Patribus observârunt, mortem à Deo post peccatum inductum fuisse in beneficium potiùs hominis quàm pœnam, ne perpetuò obnoxius esset peccato, & laboriosæ ac ærumnosæ vitæ: tum alij [l] disputant, an hæc vita potiùs mors dicenda sit, quàm vita: rursúmque alij [m] multis rationibus conantur persuadere Christianis, non esse timendam, sed appetendam mortem. Appetendam autem, non simpliciter ut vitam cum morte commutent, (hoc enim omninò repugnat amori intimo, qui inter animam corpúsque intercedit) verùm (quod senserunt iidem Propheta, Apostolus, Patres, & alij sacri Scriptores, qui non pauci, nec

z Psalm. 141.
a 1. Cor. 15.
b Philip. 1.
c 2. Cor. 5.
d Rom. 7.
e 13. De civit. 16.
f Aug. 11. de Gen. ad lit. 35.
g Orat. de leg. libr. Gentil.
h Lib. 2. in Luc.
i Eccli. 40.
k Chrys. ho. 18. in Gen. Theodor. quæst. in Gen. &c.
l Aug. 13. de civit. 10. Greg. hom. 17. in Euang.
m Cypr. lib. de mortal. Ambros. tract. de bon. mort. Chrys. hom. 5. ad pop. Antioch. & alij passim.

pauca de his scripserunt) ut ad beatam illam æternámque vitam transeant, sintque cum Sanctis & Angelis, & CHRISTO. Unde & fieri videmus, ut cùm aliquibus gravioribus ærumnis homines opprimuntur, desiderio mortis sese sublevent, tamquam securissimo omnium remedio. Sicut eâdem ratione mortui *μακάριοι*, & *μακαρῖται* à Græcis [n], hoc est, beati, quasi vitæ miseriis defuncti; à quibusdam Doriensibus *χαμεῖται*, melioris iam partis & sortis compotes, vocari solebant; Latinis [o] *securi*; & *Dij* [p] *securitatis*, Dij Manes; & *securus* [q] *somnus*, iugis illa atque æterna quies; *securitásque æterna*, sive *perpetua*, ut vocatur frequenter in Inscriptionibus [r]. Ut iam omittam, ipsam etiam mortem, necnon & Sepulchra, iisdem aliisque eiusmodi appellationibus nuncupata reperiri.

[n] *Lucian. de luct. Plut. de consol. ad Apollon. Stob. serm.* 120. *Athen. lib.* 3. *Suid. verb. μακαρ.*
[o] *Lucan. lib.* 9. *Tertul. de testim. anim. cap.* 4. *Iul. Firmic. lib.* 1. *c.* 1. *Petr. Diac. de not. D. M. S. b. o.* Dormiāt mortui securi.
[p] *Inscript. Gruter.* 318. 9. 618. 3.
[q] *Lucan. lib.* 3. *ad pr.*
[r] *Vid. Gruter. in Indic. c.* 16.

X.
MOS CORONANDI DEFUNCTOS UNDE.

Indéque mos antiquis coronandi [s] defunctos, feretra, rogos, urnas, sepulchra, funeráque coronatos prosequi: nempè ad significandam victoriam sæculi, ut innuitur à Clemente Alexandrino in Pædagogiâ [t], & à Chione ad Platonem scribente de quadam visione sibi ostensâ; asséritúrque apud Suidam [u], & in Responsis Epicteti ad Quæsita Adriani Imp. Respicítque eodem Hieronymus [x], cùm ad Marcellam scribens de obitu S. Leæ viduæ, *Universorum*, inquit, *gaudiis prosequenda est, quæ calcato diabolo coronam iam securitatis accepit.* Quem tamen morem prisci illi Christiani [y] minimè probárunt: quoniam & coronæ diis consecrabantur ac (ut loquitur Plinius [z]) *deorum honos erant, & Larium publicorum privatorúmque, ac sepulchrorum, & Manium:* &, ut exponit vetus ille Poëta apud Stobæum [a], coronatione & delibutione cadaverum significarentur symposia, seu Beatorum convivia, ad quæ defuncti proficisci existimabantur. Coronatos enim & unguentatos convivia antiquos celebrare consuevisse,

[s] *Eurip. in Orest. Phœniss. & Herc. fur. Aristoph. in Concion. & in Lysistr. Pind. in Nem. od.* 4. *Sophocl. in Electr. Plutar. in Num. Pericl. Timol. Pelop. Marcel. Philop. Demetr. Ag. & Cleom. Lucian. de luct. Dion. Halicar. lib.* 11. *in fun. Virgin. Herodian. lib.* 4. *de Anton. Cic. lib.* 2. *de leg. & or. pro Flac. Virgil. lib.* 6. *ad fi. Plin. libr.* 21. *cap.* 3. *Val. Max. libr.* 5. *cap.* 1. *Capitol. in M. Aurel. & alij quamplur.*
[t] *Lib* 1. *cap.* 8. [u] *Verb. μάρτ.* [x] *Epist.* 24. [y] *Clem. d. c.* 8. *Tert. de cor. mil. c.* 10. *Minut. in Octav. ad fi.* [z] *Lib.* 21. *cap.* 3.
[a] *Serm.* 120. *de compar. vit. & mort.*

nulli

nulli non notum: At Christiani non mortuos coronant in signum victoriæ; cuiusmodi victoriales coronas nulli Patres, etiam in Gentilibus, neque in militibus Christianis reprobârunt: si Tertullianum excipias, iam in transversum actum. Nam in Paradiso omnes coronati sunt: & de Sanctis dicitur in eorum historiis, accepisse coronam martyrij, aut confessionis, aut virginitatis. Denique coronari solita martyrum sepulchra, intelligitur ex Paulino [b], Gregorio [c] Turonensi, & aliis; plenissiméque constat ex antiquis monumentis Romæ Subterraneæ. Quâ etiam fortè de causâ consuetum iisdem Christianis fuisse constat Laurum in sepulchris ponere; videlicèt quòd perpetuò vireat, & ut ait Plinius [d], triumphis propriè dicetur, vel gratissima domibus ianitrix Cæsarum, Pontificúmque; quæ sola & domos exornat, & ante limina excubat. Contra quod Gentiles cupressum apposuisse, aliàs visuri sumus. Sic enim auctore eodem Gregorio [e], Valerius Episcopus repertus fuit in sarcophago incorruptus, Lauri folia sub se habens strata. Et occasione novæ fabricæ basilicę S. Petri in Vaticano, anno 1605. motis suo loco sacris corporibus SS. Simonis & Iudæ Apostolorum, reperta quoque fuêre sub eorum capitibus folia Lauri. Quemadmodùm & Christianis, æquè ac Gentilibus, morem fuisse sepulchra spargere diversorum generum floribus, ex Ambrosio [f], Hieronymo [g], Prudentio [h], aliisque intelligitur; sive in admonitionem hominum, quæ spectatissimè floreant celerrimè marcescere, ut loquitur Plinius [i]; sive ut suam in defunctos benevolentiam, & honorem quo illos affectos vellent, hâc florum sparsione significarent: sicuti & in vivos fieri receptum [k] erat. Denique his quæ diximus, apprimè videtur convenire ritus ille solemnis Romanorum, quo & morientibus, & compositis ad sepulturam, *Salve* & *Vale* inclamare consueverant: (ut apud Virgilium [l]:

—— Salve æternùm mihi maxime Palla
Æternúmque Vale.

& Catullum [m],

—— In perpetuum frater Ave atque Vale:

[b] *Natal* 3. *S. Felic. & in vit. S. Mart. lib.* 6.
[c] *De M r. c. Mart. l b.* .
[d] *Lib.* 15. *c.* 30.
[e] *De glor. confess. cap.* 84.
[f] *Orat. de obit. Valent.*
[g] *Epist.* 26. *ad Pammach.*
[h] *Hymn. de exeq.*
[i] *Lib.* 21. *c.* 1.
[k] *Liv. lib.* 33. *Capitol. in M. Ant. Herodian. in Commod. Apul. metamorph. lib.* 6. *&* 11. *& alij.*
[l] *Æn.* 11.

SALVE, ET VALE DEFUNCTIS.

[m] *In infer. ad fratr. tumul.*

& frequenter apud alios[n]) eadémque verba monumentis[o] eorum inscribi: non solùm quod ab iis recederent, eos numquam ampliùs visuri; (quæ est communis eorum verborum interpretatio ex Varrone[p], Artemidoro[q], & aliis) verùm etiam, ut ex prædictá sacrâ Philosophiâ colligi posse videtur, quoniam tum primùm verè salvere, & valere homines inciperent, cùm ab ergastulo corporis solverentur, & abirent. Itémque ille[r], quo cùm morientibus oculi solerent claudi à proximis, tamquam iis non amphùs opus esset ad huius mundi & corporis usum; tamen cùm post mortem comburendi componerentur ad pyram, iidem rursùs ab illis ipsis qui clauserant, aperiebantur versùs cælum; putà aspecturis domicilium & sedem animarum: ductrice etiam ad hoc ipsâ Naturâ[f], dum cunctis hominibus indidit, ut morientes attollant in cælum oculos: ac confirmante pariter omnium fermè hodiéque gentium usu, mortuos supinos sepeliendi vultu cælum versùs spectante, & ad orientalem plagam.

[n] *Plaut. in Mercat. Virg. Æn. 5. Ovid. metamorph. 6. & 10. & Fast. 4. Stat. 3. silvar.*
[o] *Inscript. Grut. Indic. cap. 16.*
[p] *Ap. Serv. in Æn. 1. & 11.*
[q] *Onirocrit. lib. 1. cap. ult.*
[r] *Plin. lib. 11. cap. 37. & vid. inf. fol. 28. a.*

OCULI OCCLUSI, ET APERTI.

[f] *Arist. problem. sect. 4. quæst. 1.*

LIBRI I. PARS I.

De sanctitate SEPULTURÆ, *ac* FUNERUM, *apud omnes* RELIGIONES *&* GENTES.

CAPUT I.

De variis SEPELIENDI *modis: eorumdémque apud gentes existimatione.*

SUPERIORA præfati, ut rem ipsam modò aggrediamur; si singula rituum genera, quibus antiqui populi erga defunctorum corpora uti consuevissent, considerare voluerimus; (quæ fuerunt, ut vel illa Aëri exponerent; vel Aquis immergerent; aut Igne consumerent; aut Terrâ conderent; vel denique Animalibus devoranda obiicerent:) omninò reperiemus illam, de quâ loquuti sumus, pietatem & religionem semper in iis omnibus eluxisse; dum hâc ratione putârunt, se parentum, vel affinium, aut amicorum corpora ad suum principium, ex quo procreata essent, reducere, vel etiam in Deorum suorum tutelam tradere: quòd à Philosophis suis, aliisque sapientiæ Antistitibus audirent, Elementa; non solùm principia rerum cunctarum esse, ex quibus cetera omnia componuntur, & in quo resolvuntur; verùm etiã Deos; quos & Geniales [t] dicebant, eò quòd essent rerum semina. *Vani* namque *homines* (inquit divina Sapientia [u]) *in quibus non subest scientia Dei, de his quæ videntur bona non potuerũt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset Artifex: sed aut* IGNEM,

I.

[t] *Fest. verb.* Genial.
[u] *Sap.* 13.

aut SPIRITVM, *aut citatum* AEREM, *aut* GYRVM STELLARVM, *aut nimiam* AQVAM, *aut* SOLEM, *&* LVNAM, *rectores Orbis terrarum* DEOS *putaverunt*. Siquidem post originale peccatum, tantis fuit tenebris obscurata natura, ut primò usq; ad veri Dei ignorationem, inde in opinionem pluriuṁ Deorum devenerit; ac demùm inter Deos non solùm homines, & elementa, sed etiam gradatim delapsi pleraque omnis generis bruta, ac vilia animalia statuerit. De quibus eadem Sapientia; *In erroris*, inquit, *viâ diutiùs erraverunt, Deos æstimantes hæc quæ in animalibus sunt supervacua, infantium insensatorum more viventes.* Et B. Paulus[x]: *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis Hominis, & Volucrum, & Quadrupedum, & Serpentium.* Quin & præter animalia etiam bruta, atque elementa, varias quoque Fruges, Arbores, Lapides, Flumina, Montes, aliáque his longè absurdiora, ex quibus aliquem fructum percipere viderentur, Gentiles pro Diis coluisse, notius est quàm ut probatione indigeat.

[x] Rom. 1.

II.

VARII ANTIQUORUM SEPELIENDI RITUS.

Hâc verò semel apud eos firmiter stabilitâ credulitate, haud mirum, si tot diversis uterentur, sicut in ceteris rebus ad cultum divinum pertinentibus, ita etiam in defunctorum sepulturâ, ritibus, iisdémque ut plurimùm superstitiosis & fœdis, vel etiam immanibus & impiis: videlicèt quòd tales Deos adorarent, quos nullæ dedecerent nefandissimæ cæremoniæ: quæ *sacra sacrilega* Lactantio[y], Optato[z], Augustino[a], Prospero[b], Sidonio[c], & aliis Christianis Scriptoribus dicta fuère. Sic enim de iis Lucianus[d], *Sepulturæ rationem in varios dividunt modos. Nam Græcus exurit, Persa defodit, Indus adipe suillo oblinit, Scytha devorat, Aegyptus muriâ condit.* Et plures aliquantò modos in unum congerens Sextus[e] Philosophus; *De pietate erga mortuos his non dissimilia dici possunt. Alij integra mortuorum corpora componentes terrâ tegunt, Soli ostendere ipsos impium existimantes. At Aegyptij intestina extrahentes condiunt defunctos, & secum super terrâ habent. Ex Æthiopibus autem ij qui sunt Ichthyophagi in paludes ipsos conyciunt, piscibus escam futuros: Hyrcani verò*

[y] Lib. 1. ca. 21.
[z] Lib. 1.
[a] 8. Confess. 2.
[b] Dimid. tēp. cap. 7.
[c] 3. ep. 12.
[d] De luct.
[e] Pyrrhon. hypotyp. 24.

canibus vorandos exponunt; aliqui ex Indis, vulturibus etiam. Troglodytis autem moris esse aiunt, ut in aliquem collem defunctum adducant, deinde religato eius capite ad pedes saxis non sine risu petant; cùm autem aggere iactorum lapidum eum operuerint, discedant. Sunt praetereà nonnulli barbari, qui eos qui sexaginta annorum aetatem excesserunt immolatos comedunt; at eos qui iuvenes obierint terrâ condunt. Aliqui etiam mortuos comburunt: ex quibus alij ossa eorum sumentes, recondita asservant, alij temerè proiecta relinquunt. A Persis autem aiunt suspendi mortuos, & nitro condiri, ac tum demùm fasciis involvi. Recenset & nonnullos alios aliarum gentium modos Stobaeus[f] ex Nicolai antiquioris Scriptoris Collectaneis de moribus gentium. Plurimos Silius[g] Consul sic carmine expressit:

[f] *Serm.* 21.
[g] *Lib.* 13.

——Tumuli, & cinerum sententia discors.
Tellure (ut perhibent) is mos antiquus Iberâ,
Exanima obscœnus consumit corpora vultur.
Regia cùm lumen posuerunt membra, probatum est
Hyrcanis adhibere canes: Aegyptia tellus
Claudit adorato post funus stantia saxo (sive *taxo* funestâ arbore)
Corpora, & à mensis exsanguem haud separat umbram.
Exhausto instituit Pontus vacuare cerebro
Ora virûm, & longum myrrhata reponit in aevum.
Quid? qui reclusa nudos Garamantes arenâ
Infodiunt? quid? qui saevo sepelire profundo
Exanimes mandant Libycis Nasamones in oris?
At Celtae vacui capitis circumdare gaudent
Ossa (nefas) auro, & mensis ea pocula servant.
Cecropidae ob patriam Mavortis sorte peremptos
Decrevêre simul communibus urere flammis.
At gente in Scythicâ suffixa cadavera truncis
Lenta dies sepelit putri liquentia tabo.

Verùm nec istae tantùm, quas Lucianus, Sextus, & Silius enumerant nationes, huiusmodi sepeliendi modis usae reperiuntur; sed & aliae complures: nec hi tantùm modi in usu fuerunt, sed tot penè quot gentes, & apud easdem gentes diversis temporibus diversi. Qui tamen om-

nes reduci facilè possunt ad quinque illa genera quæ nuper diximus, nimirùm ut vel quatuor Elementis, vel Animantium visceribus traderentur.

III. AUCTORES QUI SCRIPSERUNT DE FUNERIBUS ET SEPULTURIS.

De quibus cùm multi antehàc præclaras ac valdè eruditas ediderint variis temporibus tractationes; imprimis accuratissimè in iis versati sunt patrum memoriâ *Alexander ab Alexandro* Iurisperitus Neapolitanus in suis *Genialibus Diebus*: (cuius tamen eâ de re, sicut & de ceteris quas agitat, assertiones, solâ ipsius auctoritate constitissent apud insuetos antiquioris Græcorum Latinorúmque lectionis; ni *Andreas Tiraquellus* natione Gallus, & ipse Iurisperitissimus utilissimâ diligentiâ manu eos duxisset ad fontes, ex quibus singula securiùs haurirent quàm ex rivulis Alexandri.) *Ludovicus Cælius* patriâ Rhodiginus, ac *Lilius Gregorius Gyraldus* Ferrariensis, insignis ac variæ literaturæ viri, ille in *Lectionibus Antiquis*, hic proprio commentario *De sepulchris, & vario sepeliendi ritu*: ex quo & *Thomas Porcaccius* suos sermone Italico Dialogos *de Funeribus antiquorum* compilâsse noscitur. Omitto quamplurimos alios viros eruditissimos, qui sive Lectiones varias, Miscellanea, Semestria, & alia id genus scripta commentando, sive poëtas, oratores, historicos, exponendo, sive de antiquis populis Rebúsque publicis scribendo, sibi persuasisse videntur, nullâ magis sese re ab oblivionis funere vindicare posse, quàm funerum illustratione. Qui verò prætereà amplissimum hoc argumentum accuratiùs tractârint nostro sæculo, *Claudius Guichardus* Pedemontanus ceteris præivit idiomate Gallico, prolixo & exquisitissimo commentario *De Funeribus antiquorum, &c.* quo omnium penè gentium tam veterum quàm recentiorum Sepulturæ ac Funerum ritus mirabili solertiâ prosecutus est; quem studiosè legisse neminem umquam scientiarum studiosum pœnitebit. Secuti sunt *Ioannes Meursius* Batavus tractatu *De Funere*, & *Ioannes Kirchmannus* Lubecensis *De Funeribus Romanorum*; ac postremò *Iacobus Gutherius* Gallus *De Iure Manium*: è quibus iste Legum etiam Funerearum interpretationem subtiliùs investigavit, ac dilucidiùs exposuit; illi plurima

Græcorum immiſcuêre: ac ſpeciatim Kirchmannus de Romanis profitetur, ſe quicquid huius argumenti vel ipſemet veterum ſcripta pervolutando obſervavit, vel notatum ab aliis eſt, uno velut faſce complexum eſſe. Ita ut qui leges, ritus, cæremonias, differentias, proprietates, aliáſque Sepulturæ, Sepulchrorúmque, ac Funerum circumſtantias; Exequiarum apparatum, ordinem, pompam; ornamenta Sepulchrorum, ac titulos; Ludos, Inferias, Epulas, Luctum; quicquid denique ad rem funebrem Gentilium pertinere poteſt, ſcire cupierit: habeat abundè apud iſtos unde ſibi parvo negotio ſatisfacere valeat. Quod enim Chriſtianos ritus attinet; præter illa quæ iidem auctores attigerunt, & doctiſſimus ac diligentiſſimus *Onufrius Panvinius* breviter collegit *De ritu ſepeliendi mortuos apud veteres Chriſtianos, & eorumdem Cæmeteriis*; & *Guill. Bernard* Franciſcanus breviori tractatu *De Sepulturis & Exequiis*; aliíque variis diverſarum linguarum ſcriptis tractârunt; *Nóſque ipſi* anno 1597. luſimus adverſus hæreticos Gallico idiomate *De Sacris Cæmeteriis*; ultimò *Iac. Gretſerus*, Societatis IESU decus & ornamentum, de iiſdem compoſitè, ornatè, & eruditè egit tribus libris *De Funere Chriſtiano*; ac noviſſimè *Antonius Boſius* Romanus quondam amicus noſter, in opere poſthumo *De Româ Subterraneâ*, linguâ Italicâ conſcripto.

IV. QUALITER NOBIS IN HIS AGENDUM.

Cùm igitur tot ac tanti de eâdem re ſcripſerint; in eo maximè nobis laborandum fuit, ne repoſitos iterùm atque iterùm cibos apponentes, marceſcentes adhuc convivarum ſtomachos præteritorum onere, moveremus magis quàm recrearemus. Cúmque à M. Tullio Tuſculanâ primâ accepiſſemus, fieri quidem poſſe ut rectè quis ſentiat, & id quod ſentit politè eloqui non poſſit; ſed mandare quemquam literis cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere nec illuſtrare valeat, nec delectatione aliquâ allicere lectorem; hominis eſſe intemperantem abutentis & otio & literis: Alium novi condimenti lautum & opiparum apparatum miniſtrare quæſivimus. Quem ſanè ſicut ex locupletiſſimâ illâ ceterorum penu, potiori

parte selectam esse haud inficias ierimus; ita non vulgari arte instructum polliceri audeamus, in quo & plurima vicissim eminere videri possint, ingens ferculorum ac dapum varietas, rectus ministrationis ordo, gratus epularum sapor, gravitas simul atque amœnitas sermonum convivalium, observationes non adeò communes, plurima aliis intacta, aliáque eiusmodi non pauca: quæ non levem nobis spem faciunt, haud fore ingratam hanc operam, nisi fortè illis quorum palato nihil sapit nisi quod ipsi sibi condiunt.

V. SERIES NOSTRÆ TRACTATIONIS.

Quod igitur ad rem in præfatione totius Operis propositam aptiùs visum fuit, id imprimis probandum suscipimus; Nullum planè illorum Rituum Sepulturæ ac Funerum, quos diversis Gentibus usui fuisse vidimus, quantumvis & dictu fœdum, & auditu horridum, nisi specie & opinione iustitiæ, pietatis, & religionis usurpatum ab iis populis fuisse: Nullámque usquam Gentem, sive immanitate barbaram, sive humanitate politam extitisse, cui non & Sepultura, & Funerum solemnia, ipsáque Sepulchra & Sepulchreta, sacra, religiosa, & inviolabilia fuerint: Nullam ab orbis conditu in hanc usque diem fuisse uspiam Religionem, seu veram, seu falsam, quæ non illa inter sanctiora sacrorum suorum mysteria habuerit: Nullum aliquando Ius, seu privatum, seu publicum, usurpatum aut cognitum fuisse, quod non illa comprobârit, commendârit, observandáque præceperit. Inde verò, Nullam ullibi Gentem, nullam aliquando Religionem extitisse, cui non gravissimum visum fuerit, sepulturâ privari; cuique non sui sepeliendi ritus sanctiores, maiorúmque suorum sepulchra longè ceteris pretiosiora habita fuerint: quæ denique non graviorum criminum reos, maximéque sequiorum Religionum sectatores, vel omni prorsùs vel saltem suarum cæremoniarum monumentorúmque sepulturâ privaverit. Rursúmque, Nullam non Gentem, Religionémve, quos sepulturâ indignos iudicaverit, si fortè eam adepti fuerint, eosdem extumulâsse, ac proiecisse. Hisque sic stabilitis, causas expositum ibimus harum observationum. Ac demùm

mùm (qui finis præcipuus ac ſcopus eſt totius diſputationis) eas in Hæreticos torturi ſumus; quò demonſtremus nihil iuris eis competere in ſacra Sepulchra Catholicorum, ſed vel inſepultos abiiciendos eos eſſe, vel terrâ profanâ obruendos. Quæ quidem ſicut firmiſſimis argumentorum generibus, ac luculentiſſimis dictorum auctoritatibus, certiſſimiſque factorum exemplis, probare intendimus; ita ne inconcinnâ rerum multitudine Lectorem obruamus, hæc commodior viſa eſt methodus, ut quoniam de Sepulturæ, ac Funerum, Sepulchrorúmque ſanctitate ac religione agere profitemur; omnium Religionum auctoritate firmemus, hanc conſtantem fuiſſe apud earum ſingulas de eiuſmodi ſanctitate & religione ſententiam: Religionibúſque Iura intermiſceamus, quòd ita naturâ ſuâ ſimul copulentur & connectantur, ut nequeant facilè ab invicem ſeparari, & probationes his inſervientes non valeant illis non ſuffragari. Sic enim & fiet, ut quoniam nulla aliquando gens extitit, quæ non qualicumque Religione ac Iure uſa ſit, & Religiones ac Iura nonniſi gentium ac populorum uſui ſint inſtituta: hâc ratione, eadem Sepulturæ ac Sepulchrorum ſanctitas, & ius religioſum, cunctarum ſimul gentium uſu probatum permaneat; cùm non niſi ex dictis, vel factis, aut legibus vel moribus gentium, probationes peti poſſint; ſítque alioquin nimij vel etiam ingrati, &, ut ita dicam, funeſti laboris, funera ſingulorum velle populorum, poſt tam multiplices, copioſas, ac varias prædictorum auctorum deſcriptiones, denuò deſcribere.

CAPVT II.

De variis RELIGIONIBUS.

QUÆNAM verò ſint eiuſmodi Religiones, & Iura declaraturi, cùm multa de iis dici poſſint, non eſt tamen animus ſubtiliter de ſingulis diſputare; ſed tantùm præcipua genera, ac receptiores diviſiones, quàm I.

necessariò, tam breviter attingere. RELIGIONEM igitur imprimis definimus cum Cicerone[h], *quæ superioris cuiusdam naturæ, quam divinam vocant, curam, ceremoniámque affert.* Quam definitionem usurpavit etiam S. Augustinus[i]. Est enim Religio, secundùm vocis proprietatem, soli Deo attributa[k]; Deúmque solum, & eius cultum respicit. Hæcque significatio ex ipsâ vocis etymologiâ colligitur: quæ cùm multiplex afferatur ab Auctoribus sacris & profanis; verior illa censetur, quam superiùs adduximus ex Lactantio[l], & approbârunt Hieronymus[m], & Augustinus[n]; nimirùm ut dicta sit à *Religando*: sive (ut vult Lactantius) quòd ipsa homines Deo liget: sive (ut Hieronymus) quòd ipsos homines inter se liget ad colendum Deum: sive ab alio novo superaddito vinculo, quod explicat Augustinus, & post eum Thomas[o]. Complectitur igitur non solùm scientiam[p], seu cognitionem Dei; verùm etiam cultum eiusdem, seu modum colendi eum. Quemadmodùm & alibi Cicero[q] Religionem, *id est cultum Deorum* interpretatur: qui & *Ceremoniarum* voce designari solet. Quoniam verò non solùm in scientiâ & cognitione Dei, verùm etiam in modo cultús eius, (sive hic modus consideretur in hominis actibus tam externis quàm internis, sive in rebus quæ talibus actibus deserviunt, quæ etiam Religionis nomine significari solent:) & olim erratum est à plerisque, & hactenùs erratur: inde natum est discrimen *Veræ* & *Falsæ* Religionis, hoc est doctrinæ de Deo, & cultûs eiusdem: cùm alioqui quæ falsa est Religio, potiùs nulla sit, & magis appelletur *Superstitio*: quam Isidorus[r] inde ait esse dictam, *quòd sit superflua, aut superstatuta observatio;* nempè (ut videtur) id omne, quod præter legitimum, ac statutum ritum colendi Deum, additum est: ut iam de aliis eius vocis[s] derivationibus & acceptionibus agere omittam. Sicuti & de Irreligiositate, seu dixerimus Irreverentia: quæ ita opponitur Religioni, ut[t] quemadmodùm superstitio peccat in excessu cultûs, ita Irreligiositas in defectu; quando videlicèt in ipsomet actu qui deberet esse cultus, defectus aliquis committitur, ratione

RELIGIO QUID SIT, ET QUOTUPLEX.

VERA, ET FALSA RELIGIO.

[h] *Lib. 1. de Invent.*
[i] *Lib. 83. quæst. q. 31.*
[k] *S. Th. 2. 2. q. 81. art. 1. ad 2.*
[l] *4. Divin. Inst. 28.*
[m] *In Amos 9.*
[n] *De ver. Relig. cap. ult.*
[o] *Opusc. 19. cap. 1.*
[p] *Salvian. lib. 2. ad Eccl. Cathol. Lact. lib. 4. cap. 4.*
[q] *Lib. 2. de nat. deor.*
[r] *8. etymol. 3.*
[s] *Ap. Cic. 2. de nat. Serv. in Æn. 8. Lact. 4. Inst. 28. Isid. ibid. & vid. Delrio Disq. mag. l. 1. c. 1.*
[t] *S. Thom. 2. 2. q. 92. & 97.*

cuius cedit potiùs in irreverentiam Dei. Dicimus ergo *Veram* illam *Religionem*, quæ verum Deum, verúmque cultum illi debitum ostendit atque proponit: (quâ acceptione Fides Christiana frequenter à Patribus appellata est sola & vera Religio:) *Falsam*[u] autem, quæ pro Deo colit quod non est Deus: (quo modo fuit apud Gentiles, colentes falsos Deos:) vel quæ colit quidem verum Deum, sed non ritè; ut est nunc apud Iudæos, Mahometanos, Hæreticos, & omnes illos Infideles, qui vel falsis signis, vel inutilibus & illegitimis ceremoniis ad Deum colendum utuntur.

u *Aug. 2. de Doctr. Christ. 19. & seqq.*

II. QUOT, ET QUÆ FUERINT RELIGIONES IN ORBE.

Hâc igitur ratione si velimus singulas enumerare Religiones, tam veras, quàm falsas, quæ hactenùs fuerunt in Orbe ab eius conditu, omnes ad sex genera facillimè reducentur: nempè *Legis Naturæ*, *Ethnicorum*, *Iudæorum*, *Christianorum*, *Hæreticorum* simul & *Schismaticorum*, ac denique *Mahometanorum*. Nam quod Epiphanius[x] & Damascenus[y], ante Christum quatuor sectas constituunt, nempè *Barbarismum* ab Adam usque ad Noë, quo promiscuè homines Deum vel deos colebant, secundùm quod unicuique rectum videbatur: *Scythismum* à Noë usque ad Gentium dispersionem post Turrim Babylonicam, qui etiam crudelia hominum sacrificia habuit: *Græcismum*, inde ad Abrahamum & Mosen, quo idololatria, & plurium deorum cultus maximè invaluit: ac demùm *Iudaismum*, qui verus fuit Dei cultus usque ad Christum: Hanc distributionem sumpserunt illi quidem ex Apostoli verbis, dicentes ad Colossenses[z], non esse ampliùs Gentilem & Iudæum, Barbarum & Scytham, sed omnia & in omnibus Christum: verùm cùm nec illa eò pertinere intelligantur; nec eiusmodi partitio sectarum, satis insinuet distinctionem Religionum; haud illi immorantes, nostram prosequimur.

x *In pr. Panar.*
y *De Hæres.*
z *Coloss. 3.*

III. DE LEGE NATURÆ.

Et quod ad primum eius genus attinet, nempè LEGIS NATURÆ; quamvis nullibi scriptum reperiamus, fuisse principiò specialiter institutum à Deo aliquem modum externi cultûs, nec quoad genera actionum, nec quoad res, vel tempora, aut alias circumstantias: non ta-

men defuerunt umquam, qui Deum aliquo externo cultu venerarentur. Sic enim ab ipso fermè rerum hominúmque initio legimus [a] Abel & Cain per visibile sacrificium obtulisse Deo de bonis suis: quos Lege Naturali ductos ad id fuisse, probè existimârunt Clemens [b], Chrysostomus [c], Cyrillus [d], & Cassianus [e]. Sicut & naturale inter homines est, (quemadmodùm hâc in re argumentatur S. Thomas [f]) ut qui aliorum imperio & potestati subiecti sunt, tributa eis pendant, & munera offerant, in argumentum suæ servitutis. Cùm tamen & facilè consenserimus iis, qui putant etiam ante Abel & Cain, Adamum eorum patrem à Deo ipso edoctum, sacrificium obtulisse, quo eius benevolentiam recuperaret, quam per peccatum transgressionis amiserat; eumdémque ipsum docuisse filios suos, dare Deo decimas & primitias. Post eos verò usque ad Mosen, id ipsum eâdem ductrice Naturâ frequentatum fuisse, sacra Scriptura nos docet: quamvis non omnes eodem modo sacrificarent; ut in sacrificiis Noë, Abrahæ, & Melchisedech notari potest. Indéque patet, fuisse etiam tum propriè Religionem, secundùm eius vocis acceptionem superiùs deductam; hoc est, quoad cultum Deo per externas ceremonias quomodocumque exhibitum. Cùm tamen Lex ipsa Naturæ, cuius instinctu hæc fiebant, non nisi impropriè inter ceteras Religiones connumerari possit, quatenùs Religio accipitur pro speciali & stato cultu, seu modo colendi Deum, ab aliquâ hominum congregatione seorsùm ab aliis instituto, & observato: sed sit potiùs radix, & mater Religionis, & cultûs divini: quandoquidem in confesso est, Religionem in Deum esse Iuris naturalis & divini, naturaliter & unà cum ipsâ ratione à Deo infusam, & insculptam in mentibus hominum. Nec ante Mosen aliquis certus sciatur eiusmodi specialis externus cultus à Deo determinatus, ad quem homines obligarentur. Nam quod suprà observavimus de ritibus ab Enos institutis, haud equidem probat eos ipsum instituisse speciali Dei mandato, ut fecit posteà Moses: quamvis certum sit, id eum minimè præstitisse, nisi divino motu & dire-

[a] Gen. 4.
[b] 6. Const. 10.
[c] Hom. 18. in Gen.
[d] Lib. 1. in Gen.
[e] Coll. 8. c. 23.
[f] 2. 2. q. 85. art. 1.

ctione: Quemadmodùm quod posteà dicitur Rebecca [g] uxor Isaaci, cùm sensisset in utero collisionem parvulorum, *perrexisse ut consuleret Dominum*: etiamsi ex eo nonnulli colligant, fuisse iam tunc peculiarem quemdam locum, in quo Deus specialiter coleretur, quem fideles orationis, & cultûs divini causâ, adire consuescerent: congruentiùs alij cum nonnullis Patribus, accipiant de aliquo ex sanctis Patriarchis, gratiâ & oraculo Dei claro, ad quem Rebecca pro illius collisionis explicatione accesserit: vel magis cum aliis, de oratorio, & arâ domesticâ, in quâ sacrificium Deo offerri consueverat; ubi Sara Deum oraverit, & ab eo per Angelum responsum acceperit. Ceterùm quòd universum illud temporis spatium, ut distinguatur ab eo quo palàm Moses Legem divinitùs promulgavit, segregatúsque est populus Iudaicus à ceteris gentibus, peculiaribus statisque ceremoniis; vocari soleat *Tempus Legis Naturæ*; ideò nos quoque in probationibus nostris, huius temporis exempla præponemus, ac si propriam & separatam constitueret à ceteris, de quibus posteà acturi sumus, Religionem: eáque dumtaxat ex Fidelibus sumemus, quòd ij soli legitimè usi fuerint rectitudine Legis Naturalis.

[g] Gen. 25.

IV. De Religione Ethnicorum.

Subsequetur verò generationis ordine Religio ETHNICORUM, sive GENTILIUM; tum quòd ipsi eodemmet tempore Legis Naturalis, peculiares sibi ritus constituerint, quibus depravatâ Lege Naturali, cultum uni ac soli Creatori debitum, ad omnigenam creaturam, pravâ mente, ac malitiâ dæmonum transtulerunt: tum maximè quòd cùm eorumdem religio non sit legitimè instituta, sicut fuit aliquando Iudæorum, & posteà Christianorum; ipsi semper ad totius Legis Naturalis observationem obligati permanserunt. Quæ autem extiterit origo Idololatriæ, quoad causas & occasiones, S. Thomas [h] ex pravâ affectûs hominum dispositione, ex ignorantiâ veri Dei, & imbecillitate humani discursûs, adiunctâ hominum negligentiâ, & dæmonum industriâ ac deceptione, processisse ait. Alij ex erectione statuarum & imaginum in memoriam defunctorum, accedente au-

[h] 1.3.q.94. art.4.

ctoritate & tyrannide hominum potentium, & nimiùm diligentium mortuos ſuos, eorúmque honorem affectantium; quæ pravam conſuetudinem paulatim induxit, cooperante dæmone ſuis præſtigiis ac deceptionibus, quibus motum, vocem, & quaſi vitam ſtatuis dabat, ac reſponſa per eas edebat. Hæcque utraque opinio apertè colligitur ex divino Sapiente [i]; ac de eâdem utrâque egregiè philoſophatur Gregorius Nazianzenus oratione ſecundâ de Theologiâ. Alij [k] denique ex eo quòd Reges maximi & potentiſſimi, ob merita virtutum ſuarum, aut munerum, aut artium repertarum, cùm chari fuiſſent iis quibus imperitaverant, in memoriam ſunt conſecrati. Factúmque videtur, ut ex hoc primo Idololatriæ genere, quod in cultu hominum mortuorum verſabatur, natum ſit ſecundum, quo ipſæ eorum ſtatuæ per ſe, tamquam numine plenæ & animatæ coli cœperint [l]: eíque ſucceſſerit tertium, Elementorum [ll], & corporum cæleſtium, quorum pulchritudine, & admirandâ virtute capti, etiam iis cultum divinum exhibere cœperint; ac denique quartum, animalium, aliarúmque rerum generi humano utilium, vel etiam noxiarum, quibus quòd vim aliquam inviſibilem à quâ regerentur connexam eſſe putarent, eam proinde colendam cenſuerint, ut commoda ſui generis conferret, incommoda averteret. Quo verò tempore, & à quo Idololatria primùm cœperit, cùm variæ admodùm ferantur auctorum [m] ſententiæ, non eſt ut quid certi aſſeratur. Quòd tamen, (ut vidimus) dicatur [n] Enos *cœpiſſe invocare nomen Domini*; omnéſque interpretentur de cultu Dei ſacris ritibus ac ceremoniis adornato: inde multi putant, etiam tunc fuiſſe Idololatriam in aliis Adæ familiis; ideóque Enos ei oppoſuiſſe publicum unius Dei cultum, & ſanctæ Eccleſiæ viſibilem quamdam formam inſtituiſſe. Sanè enim poſt Diluvium etiam vivente Noë, & incaſſùm renitente, certum eſt ſimulachrorum venerationem ita Orbem occupâſſe, ut non ſolùm familiæ Chami & Iapheti, verùm etiam ipſius Semi, è quâ CHRISTUS oriturus erat, eâ infectæ fuerint: quandoquidem ex ſacrâ Scripturâ [o] conſtat, etiam Tha-

IDOLOLATRIA QUANDO COEPERIT.

[i] *Sap. 13. & 14.*

[k] *Lact. 1. divin. Inſt. 8. & 15. Minut. in Octav. &c.*

[l] *Vid. Aug. 8. de civit. 23. & 24.*

[ll] *Sap. 13. Aug. 7. de civit. 6.*

[m] *Vid. Lact. lib. 1. & 6. Epiph. præfat. lib. de hæreſ. & init. Panar. Euſeb. lib. 10. de præpar. Aug. lib. 4. de civit. & ſeqq. Iſid. 8. Orig. 11. Damaſc. de hæreſ. in pr. Th. 2. 2. q. 94. art. 4. & alios recentiores.*

[n] *Gen. 4.*

[o] *Ioſu. 24.*

ram patrem Abrahæ, qui centum propemodùm annis ſub Noë vixit, ſerviviſſe diis alienis. Quod & de ipſomet Abrahamo, quouſque à Deo vocatus eſt, non pauci opinati ſunt. Cui aptari poteſt quod Paulus [p] Apoſtolus ait, *Non prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpiritale.*

[p] 1. Cor. 15.

V. De Lege Mosis, seu Religione Iudæorum.

Cùm igitur vidiſſet Deus corruptam ubique ab hominibus, multiplicibus, ac fermè infinitis, iiſdémque inter ſe diverſiſſimis modis, Legem naturalem; velut executor eius & vindex (ut loquitur Caſſianus [q]) adiutricem apponens *Moſaicæ Legis* ſeveram diſtrictionem, ut vel metu pœnæ præſentis non penitùs homines ſcientiam naturaliter inſitam extinguerent: quadringentis [r] poſt datam Abrahæ circumciſionem, vel quadringentis [s] triginta poſt vocationem & egreſſum eius de terrâ ſuâ annis, Religionem inſtituit; quâ præter morales regulas, quibus ſepultam Naturę Legem renovare, & ad diligentem eius obſervationem homines excitare voluit, etiam certos ritus, ſtatáſque ac ſolemnes ceremonias ſtabilivit, ac per Moſen deſcendentibus eiuſdem Abrahæ dedit, *ſeparans* [ss] *eos ſibi in peculium, & hereditatem de univerſis populis terræ*, & *agglutinans* [t] *ſibi, ut eſſent ſibi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam.* Nec tamen oſtium claudens, quin poſſent etiam alij, ſi vellent, in eamdem Religionem introire [u] per Circumciſionem, cum intentione profitendi Legem Moſaicam. Sicque qui priùs naturali vinculo ligati erant ad colendum unum Deum auctorem ſuum, iam per eiuſmodi ſpecialem inſtitutionem, vocationem, & electionem, iterùm ligati ſeu religati fuêre: ex quâ vocis proprietate à nonnullis Religionis nomen explicari vidimus.

[q] Collat. 8. cap. 21.
[r] Act. 7.
[s] Gal. 3.
[ss] Exod. 19. Deuter. 7. 3. Reg. 8.
[t] Ierem. 13.
[u] Exod. 12. Iudith. 14. &c.

VI. De Religione Christiana.

Quòd verò Lex Moſaica, ſeu Iudaica Religio, quoad prædictas ceremonias, externúmque Religionis cultum, non eſſet niſi temporaria, quouſque adveniret MESSIAS, quem omnes & ſingulæ eius ceremoniæ præfigurabant; demùm ubi venit [x] plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ſub Lege, ut eos qui ſub Lege erant redimeret: qui & fecit [y] utraque unum, & me-

[x] Gal. 4.
[y] Epheſ. 2.

dium parietem maceriæ solvens, ipse summus angularis lapis, Gentiles unà cum Iudæis in unam ædificationem construens, longè perfectiorem, & omnibus modis præstantiorem divinæ legis ac naturalis declarationem patefecit, ac velut novam Legem à se conditam, Ecclesiæ suæ in æternum permansuram tradidit: quâ (ut ait Tertullianus[z] pulcherrimè) *quicquid retrò fuerat, aut demutatum est, ut Circumcisio; aut suppletum, ut reliqua Lex; aut impletum, ut Prophetia; aut perfectum, ut Fides ipsa. Omnia de carnalibus in spiritualia renovavit nova Dei gratia, superducto Evangelio expunctore totius retrò vetustatis.* Quippè ex eo tempore, quo plenè stabilita est Ecclesia, (nempè die Pentecostes, quando Spiritus sanctus in Discipulos descendit) cessavit obligatio Circumcisionis, & omnes ceremoniæ Mosaicæ versæ sunt in superstitionem; quamvis ad breve tempus toleratæ in Iudæis ad fidem accedentibus; ut, quemadmodùm dicunt Patres, Synagoga sepeliretur cum honore: perstititque sola vera RELIGIO CHRISTIANA, quam instituit Dominus ad perficiendum ea quæ in Lege Naturali & Mosaicâ defecerant. Unde Hugo[a] de S. Victore; *In tempore* (inquit) *Legis Naturalis convictus est homo de cæcitate in tempore Scriptæ*, (hoc est, Mosaicæ) *de infirmitate, &c. Postquam itaque cognovit cæcitatem, & infirmitatem suam; convenienter data est Lex, quæ & illuminaret cæcum, & sanaret infirmum; illuminaret ignorantiam, refrigeraret concupiscentiam; illuminaret ad cognitionem veritatis, inflammaret ad amorem virtutis, &c.*

[z] De orat. cap. 1.

[a] Tom. 1. serm. 70.

VII. DE HÆRESIBUS.

Verùm quia nihil est tam sanctum, quod non diabolus violare studeat: & ut ait etiam Seneca philosophus, *nihil tam sacrum est, quod sacrilegium non inveniat:* confestim ac CHRISTUS in cælos ascendit, & formam suam in terris accepit Ecclesia; eruperunt ex inferis adversus illam multi Antichristi, qui per HÆRESES doctrinam eius corrumpere, & per SCHISMATA vestem scindere, multis ac diversis conatibus molientes; eò id periculosiùs machinati sunt, quò pellibus ovinis lupos tegentes, Christiano & ipsi nomine conspicui processerunt: *Simiarum more* (inquit de illis Cyprianus[b]) *quæ cùm homines non sint, homines*

[b] Ep. 73. ad Iubaian.

homines tamen imitantur. Equidem *prodierunt isti ex nobis*, (ut ait B. Ioannes [c]) *sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Hos autem *Antichristos* ipse vocat: & omnes post eum S. Ecclesiæ Doctores [d] æquè confirmant, cunctos illos qui sese ab unitate Ecclesiæ per Hæresim, seu per Schisma præcidunt, Antichristos esse, & quidvis potiùs quàm Christianos. Immò & eorum nonnulli [e], ex celebri illâ, sed horrendâ historiâ [f] Core, Dathan, & Abiron, qui quòd stetissent contra legitimos duces & pastores populi Israël Mosen & Aaron, hiatu terræ absorpti sunt, & vivi ad inferos deiecti; rectè collegerunt, peccatum Schismatis gravius esse quàm Idololatriæ, quod non nisi gladio [g] punitum est. Meritò igitur omnes illos à Christianâ Religione secludimus, suamque peculiarem illis, sicut & aliis à recto Dei cultu alienis tribuimus, quòd & ferè suos habuerint proprios modos & ritus colendi Deum: quamvis in plerisque eorum sectis nihil apparuerit cur omninò Religionis nomen obtinere debuerint; cùm omnia à se repulerint, quæ Religiones universæ tam veræ quàm falsæ, veluti quasdam generales Religionis notas, & principia unicuique Religioni communia adsciverunt.

[c] 1. Ioan. 2.

[d] Tertul. de præscr. Cypr. ep. 52. ad Anton & de unit. Eccl. Lact. 4. Inst. ult. Athan. serm. 2. cont. Arian. & ep. ad solit. Hieron. cont. Lucif. & cont. Iovin. Aug. de grat. Chr. c. 10. & tract. 3. in ep. Ioan. & aliy. Vide infr. fol. 245. b. & seqq.

[e] Opt. lib. 1. Aug. lib. 4. de Bapt.

[f] Num. 16.

[g] Exod. 32.

VIII. DE RELIGIONE MAHOMETANA.

Superest MAHOMETANORUM Religio: quam duabus præcipuè de causis in postremum locum reiecimus; tum quòd recentior sit ortu ceteris; (quippe eius auctor Mahometes non nisi post annum sexcentesimum à Christi nativitate eam fabricavit:) tum etiam quòd nefandus impostor, ut pietatis specie omnis generis homines ad se alliceret & attraheret; ex Gentilibus, Iudæis, Christianis, Hæreticis, aliqua mutuatus est, quò secta sua nullius sive Religionis, sive Superstitionis exors existeret. Illud verò demùm de prædictis omnibus falsis Religionibus monendum censemus, quòd etsi diversissimi apud singulas earum extiterint ritus ac ceremoniæ divini cultûs, secundùm immodicam diversitatem numinum quæ colerent, aut opinionum quas amplecterentur; ac propterea plures etiam Religiones, iuxta frequentem huius vocis acceptionem, iisdem separatim tribui pos-

ſint: tamen quoniam omnes illæ ſectæ, quæ aliquâ prædictarum Religionum generali appellatione deſignantur, in uno aliquo præcipuo errore communiter convenerunt, putà Ethnici in plurium deorum adoratione, Hæretici & Schiſmatici in oppugnatione veræ Christi Eccleſiæ, Mahometani in cultu ſui Pſeudoprophetæ: idcircò eos omnes uno faſce ſub unicâ falsâ Religione, aut *Ethnicorum*, aut *Hæreticorum* ſimul & *Schiſmaticorum*, aut *Mahometanorum* complectemur.

CAPVT III.

De diverſis IURIBUS.

I. Iuris divisionis apud Iurisconsultos. EADEM porrò ratione IURA, quantum inſtituto noſtro neceſſe eſt, diſcuſſuri, primùm omnium dicimus, *Ius*, quatenùs Legem ſignificat, (ceteræ namque eius vocis ſignificationes nihil modò ad nos) dividi à Iuriſconſultis [h], primò in *Publicum* & *Privatum*, deinde in *Naturale, Gentium*, & *Civile*. Publicum Romanis dictum, quod in ſacris, ſacerdotibus, & magiſtratibus conſiſtit: Privatum, quod ad ſingulorum hominum utilitatem & commodum ſpectat. Naturale verò diſtingui à Iure Gentium, quòd illud natura tam homines, quàm bruta quęque animalia docuerit; Gentium autem ſit proprium Hominum. Sed quod rurſùm iidem Ius Gentium definiunt [i], *quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit*; inde conſtat ipſum cenſeri etiam Naturale, ſed ſpeciali modo, & proprio hominum; quod videlicèt hominibus cum naturâ & ratione datur à Deo, non autem aliquâ ſpeciali hominum lege vel auctoritate primitùs conſtitutum eſt. Unde fit, ut & ipſum Ius Naturale vocent aliquando [k] Ius Gentium; quia ſicut materia Iuris Gentium locum ſolummodò habet inter homines, ita etiam materia Iuris Naturalis, vel omninò vel ferè eſt propria hominum; cùm reverâ bruta animalia non ſint iuris ca-

[h] *Lib. 1. D. de iuſt. & iur. Inſt. de iur. natur.*

[i] *L. 9. de eo.*

[k] *d. L. 9.*

pacia, nisi valdè impropriè ex parte generalis cuiusdam inclinationis ad sui defensionem, vel ad conservandam speciem. Et ideò multa exempla, quæ ab iisdem Iurisconsultis [l] ponuntur sub Iure Gentium, sunt potiùs Iuris Naturalis, ut Religio in Deum, obedientia erga parentes, pietas in patriam, & alia eiusmodi. Ius autem *Gentium* differt [m] à *Civili*, quia Gentium non scripto sed moribus; non unius vel alterius, sed omnium, vel fermè omnium populorum constat: Civile verò vel scriptum est, vel moribus unius gentis, aut civitatis introductum. Sicque quod [n] Civile, non idem continuò Gentium, sed quod Gentium idem Civile esse debet. Quemadmodùm & quæ vocantur *Consuetudines*, si generales totius vel ferè totius Orbis fuerint, constituunt Ius Gentium; si particulares alicuius civitatis vel Reipublicæ, Civile. Sunt autem moribus [o] & usu introductæ, ex tacito & non expresso hominum consensu: quæ nec per se scripturam requirunt, nec præceptum alicuius: & si redigantur in scripta, non desinunt esse Consuetudines, quia non scribuntur nisi ad memoriam, vel probationem. Et hæc quidem de Iurisconsultorum divisione Iuris.

[l] *L. 2. & 3. eo.*

[m] *§. Ius autem. Inst. de iur. natur. Isid. 5. Orig. 4. & 5.*

[n] *Cic. Off. 3.*

[o] *L. de quibus. D. de legib. l. ius civile. D. de iust. & iur. §. constat. & §. non scripto. Inst. de iur. nat.*

II. IURIS DIVISIO APUD THEOLOGOS.

Theologi verò de Lege, seu Iure tractantes, (Ius enim, prout Legem significat, cum illâ convertitur, & tamquam synonyma reputantur) primò dividunt [p] illud in *Naturale* & *Positivum*: ac Naturale dicunt, quod ex ipsis rerum naturis oritur, insidétque menti hominis ad discernendum honestum à turpi. De quo S. Thomas [q]. *Quia homo* (inquit) *inter cetera animalia rationem finis cognoscit, & proportionem operis ad finem; ideò naturalis conceptio ei indita, quâ dirigitur ad operandum convenienter, Lex Naturalis, vel Ius Naturale dicitur; in ceteris autem æstimatio naturalis vocatur. Bruta enim ex vi naturæ impelluntur ad operandum convenientes actiones, magis quàm regulentur quasi proprio arbitrio agentia.* Estque Lex illa, seu Ius Naturale, veluti proprietas quædam Naturæ, quam Deus ipsi Naturæ humanæ inseruit. Ex quâ parte est etiam hoc Ius *Divinum*, tamquam à Deo

[p] *Thom. 1. 2. q. 91. & 94. & 2. 2. q. 57. & alij Theologi.*

[q] *In 4. d. 33. art. 1.*

immediatè procedens: sicut & eiusmodi Legem expressè Isidorus [r] Divinam appellat. Ambrosius [s] autem ita illam definit, *quæ non scribitur, sed innascitur; nec aliquâ percipitur lectione, sed profluo quodam Naturæ fonte in singulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur.* Complectitur autem omnia principia moralia, quæ evidentem habent honestatem necessariam ad rectitudinem morum. Sicut & sensit Aristoteles [t], cùm omne Ius in *Naturale* & *Legitimum* distinguens, sub Naturali comprehendit omne illud, quod necessariam & immutabilem habet veritatem. Itémque Cicero [u], cùm ait Ius Naturæ esse, *quod non opinio genuit, sed quædam innata vis insevit, ut religionem, pietatem, &c.*

[r] 5. Orig. 2.
[s] Epist. 41.
[t] 5. Ethic. 7.
[u] Lib. 1. de Invent.

III.
IURIS POSITIVI DIVISIO.

Ius autem Positivum subdividitur in *Divinum* & *Humanum*. Divinum Positivum est, quod ab ipso Deo immediatè institutum est, ac Iuri Naturali additum & positum. Subdividitúrque rursùs in *Vetus* & *Novum*. Vetus est, quod Deus in veteri Testamento ministerio Angelorum tulit, ac per Mosen populo Israël promulgandum curavit. Novum, quod Ecclesiæ tradidit Christus, ac proinde Deus ipse; tum quia ipse CHRISTUS verus est Deus; tum etiam quia per Christum, ut hominem, Deus [x] loquutus est nobis. Humanum Positivum est, quod ab hominibus conditum & positum est. Subdividitúrque in *Civile* & *Ecclesiasticum*. Civile est, quod ad civitatum Rerúmque publicarum politicam gubernationem, & ad temporalia iura tuenda, pacémque ac iustitiam conservandam, naturaliter ordinatur. Est enim etiam Politica potestas à naturâ ipsâ proseminata; quippe licèt non immediatè feratur à naturâ, fertur tamen per potestatem homini connaturalem: súntque instituta particularium civitatum (ut loquitur Philo [y]) additamenta naturalis Iuris, & appendices rationis rectæ à naturâ nobis insitæ. Quemadmodùm & Cicero [z] dixit, Naturam fontem esse omnis Iuris; & Naturæ rationem esse Legem divinam & humanam. Ecclesiasticum, seu *Canonicum* Ius est, quod in sacris Ecclesiæ Catholicæ, eiúsque Pontificum Canonibus & decretis continetur.

[x] Hebr. 1.
[y] Lib. de leg.
[z] 3. de Off.

Quod & *Divinum* vocari solet, eò quòd ab speciali potestate à Deo specialiter traditâ derivetur, & ad supernaturalem finem, & divinum cultum, ac salutem animarum potissimè referatur. Omittimus autem hic specialiùs tractare de Lege *Aeternâ*, quæ est in Deo, & magnâ ex parte solet confundi cum *Providentiâ divinâ*, & in hominibus cum rectâ illâ ratione, quâ absque ullo alterius legis adminiculo probantur ea quæ bona sunt, ac damnantur contraria: ac proinde est omnium ceterarum legum fons & origo. Itémque de *Supernaturali*, quæ est à Deo, per se infundente gratiam & supernaturale lumen fidei. Sicut & nonnullas alias Iuris, seu Legis divisiones, ac differentias, quæ tam à Theologis, quàm Philosophis, & Iurisperitis afferri solēt, tractandas relinquimus iis, quorum est otium & munus. Nobis ad institutum satis, ista exscerpsisse, quę communiori usu nota sunt, & frequētiori praxi inter omnes recepta. Cùm & alioqui cetera cuncta Iura, sub istis quæ diximus comprehendantur, nempè Divino & Naturali, Gentium & Consuetudinario, Ecclesiastico & Civili.

IV. ALIA PROBATIONUM GENERA.

Ceterùm quamvis ductâ semel per explicata Iura, recensitásque Religiones, sanctitatis Sepulturæ & Sepulchrorum probatione, sit etiam illa (ut diximus) permansura singulis gentibus probatissima; adeò ut nihil ampliùs ad eius commendationem desiderari posse videatur: cùm pręsertim qui in reliquis penè rebus omnibus inter se populi dissenserunt, in religiosâ sacræ Sepulturæ observatione mirum in modum omnes consenserint: Nihilominùs tamen subiungemus his, velut confertum cumulum, exempla eorum quæ extra consuetum ordinem, ceu divino calculo, per Visiones & Apparitiones, aut alia parili ratione, in confirmationem eorum quæ de singulis Religionibus dicta fuerint, contigisse reperimus. Ac novissimè corollarium apponemus, Animantium omnis generis nobilissimarum exempla; quæ non legibus scriptis, aut populorum consuetudinibus, sed naturali instinctu, Sepulturæ religionem observârunt. Quibus quòd impetus pro ratione, sicut homini ratio pro impetu, (ut ait Sene-

IUS NATURALE ANIMANTIUM.

[a] 2. de irâ 16. ca[a]) datus à naturâ fuit; inde fieri videtur, ut licèt reverâ & propriè ius omne ratione constet, solúsque homo rationis, atque adeò iuris sit particeps; tamen cetera quoque animalia iuris naturalis peritia censeri, Ulpianus[b] responderit: quippè quòd & feræ ipsæ impulsu quodam naturali ad aliqua ferantur, quæ nihil prohibet (ut loquitur Cicero[c]) esse & inter se animalibus reliquis, & cum bestiis homini communia, quoniam omnium est natura communis. Quas naturales inclinationes Philosophi στοργὰς φυσικὰς appellant; súntque potiùs fons & causa Iuris, quàm Ius ipsum. Sicuti & in ceteris rebus omnibus ratione carentibus, efficacitas divinæ virtutis, & necessitas atque inclinatio naturalis, quæ in iis inde exoritur, per metaphoram Lex, sive Ius appellatur.

[b] l. 1. D. de iust. & iur.

[c] Lib. 5. de finib.

CAPUT IV.

Variorum SEPULTURÆ GENERUM *Exempla.*

I. QUOD superiùs promisimus, primùm omnium ostensuros nos, nullum planè Sepulturæ genus, quantumvis dictu & auditu horridum, nisi specie sanctitatis & religionis, observatum ab ullis populis fuisse: est ut antequàm ulteriùs progrediamur, cuncta superiùs indicata Sepulturæ genera levi pede percurrentes, aliquot singulorum Exempla ex immensâ eorum silvâ in apertum proferamus; quibus & sua dictis fides constet, & facilior pateat ad sequentium tractationem aditus. Diximus autem, usum Sepulturæ in universum fuisse, ut vel Animalibus devoranda obiicerentur corpora defunctorum, vel uni alicui ex quatuor Elementis commendarentur. Porrò quòd in cunctis Animalibus mirè excellat HOMO, idémque rebus omnibus creatis longissimè præstet; inde Essedones[a] populi Asiæ utramque Scythiam incolentes, cœtibus propinquorum ad parentum funera advocatis, concisis commistisque unà cum parentum cadaveribus,

SEPULTURA IN VENTRIBUS HOMINUM.

[a] Herodot. li. 4. Strabo lib. 11. Mela lib. 2. Solin. cap. 19.

ovillis carnibus, iis communiter veſcebantur: honeſtius & ſanctius eſſe exiſtimantes, ab hominibus quàm à vermibus & aliis animalculis devorari; & ut hâc ratione quammaximam in eos pietatem oſtenderent, séque illos iuxtà ſecum amare profiterentur. Paritérque Sidones[b], Indi[c], ac Maſſagetæ[d], & Pontici[e], Derbicéſque[f] proximi Hyrcano mari, & Hiberni[ff], aliæque eiuſmodi gentes, defunctos parentes & affines devorabant; pietatis id munus, maximæque honeſtatis eſſe putantes, ut à ſe potiùs quàm à vermibus comederentur. Tantâ etiam poſterorum acceptione, ut & hactenùs aliquibus Indiarum ac Scythiæ ſeu Tartariæ populis id ipſum obſervatum perhibeatur[g]. Et Chryſippus[h] Philoſophus id olim probaverit, ac literis prodere non dubitaverit. Sicuti & fabulantur[i], cùm Tyrrheni Herculis filij comites aliquando humanâ carne veſcerentur, ac propterea incolæ aufugerent, Tyrrhenum conchæ ſono eiſdem revocatis hâc arte ſatisfeciſſe, ut aſſereret ſuos non comedere homines, ſed ſepelire. Et è contrà Saturnum finxerunt filios devorâſſe, quòd (ut interpretatur Lactantius[k]) eos extulerit, ſepulturæque mandaverit. Ut iam ab his ſeiungam Artemiſiam illam Mauſoli Cariæ Regis coniugem, quæ ſupra omnes amorum fabulas, ultràque omnem humanæ affectionis fidem, virum amans, eiuſdem fato abſumpti, poſt conquiſitorum omnis generis honorum, monumentique uſque ad Septem Miracula provecti magnificentiam, *Vivum ac ſpirans Sepulchrum* fieri concupivit; eorum teſtimonio[l], qui illam extincti oſſa ciueréſque potioni aſperſos bibiſſe tradunt.

[b] Zenodot. in Collect. cent.5. proverb.25.
[c] Herod. ibid. & lib.3. Strab. lib.15.
[d] Herod. lib.1. Strab. lib. 11. Hieron. contr. Iovin. lib.2.
[e] Tertul. cont. Marcion.
[f] Strab. lib. 11. Euſeb. 1. de præpar. 1. Hier. ibid.
[ff] Strab. lib. 4.
[g] Barroſ. de Indi. Belleſor. lib.4. Coſmogr. Boem. de morib. gent. lib.2.
[h] Ap. Laert. lib. 7. & Sext. Empir. lib.10. adverſ. Mathem. & Pyrrhon. hypotypoſ. lib.3. cap.25.
[i] Higin. fab. 274.
[k] 1. Inſt. 11.
[l] Val. Max. lib.4. cap.6. Agel. lib.10. cap.18.

II.

ALIORUMQUE ANIMALIUM.

Quod verò pertinet ad alia ſepulchralia Animalia, ſive (ut etiam[m] vocabant) *Animata Sepulchra*, τάφοις ἐμψύχοις; imprimis Barcæos gentem Heſperiam invenimus[n], ex aliquo morbo mortuos, ut ignaviter defunctos, ad notandam mortis ignominiam, igni cremâſſe; eos verò qui in bello mortem oppetiiſſent, ut ſummâ virtute ornatos, VULTURIBUS devorandos obieciſſe, quòd eas aves ſacras exiſtimarent. Idque ipſum moris fuiſſe Taxilis[o], & Iberis[p], alij tradunt. Parthos[q] item, ac

[m] Hermog. de ideis. Euſtath. in Iliad. α. &c.
[n] Ap. Ælian. 10. de animal. 22.
[o] Strab. lib.15.
[p] Sil. lib. 13.
[q] Iuſtin. lib. 41.

Persarum [r] Magos, non priùs humâsse cadavera, quàm à feris aut avibus laniata fuissent, háncque honestissimam sepulturam putâsse; sicut & Neontas [s] Indos, omnigenas silvarum feras: itémque Hyrcanis [t] & Caspiis, aliísque nonnullis indomitis gentibus CANES pro Sepulchro fuisse, (inde *Sepulchrales* dictos) quos affluenti cibo nutrientes, suos quique parabant in vitâ, à quibus mortui lacerarentur; atque hoc optimum ac felicissimum habitum esse apud illos funus; probatissimi auctores scribunt. Eâdémque ratione tradunt [u], Bactrios Scythiæ populos mortuorum cadavera, seu volucribus, seu canibus devoranda obiicere, omnium beatissimum Sepulturæ genus existimâsse; ídque Alexandri Præfectum emendare volentem, penè amisisse provinciam.

[r] *Herod. lib. 1. Cic. 1. Tuscul. Strab. lib. 15.*
[s] *Diod. Sic. lib. 17.*
[t] *Cic. ibid. Sil. lib. 13. Eusob. 1. de prap. 3. Hieron. lib. 2. in Iovin. Plut. tract. num improb. suff. ad infelic.*
[u] *Plut. Euseb. Hieron. ibid.*

III.

ET ELEMENTORUM.

Sic etiam, quod ad Elementa spectat, scribit Diodorus [x] Siculus, Æthiopum nonnullos defunctorum corpora in fluenta proiicere consuevisse, quòd existimarent id optimum esse sepeliendi modum. Idque ipsum Hyperboreis [y], Pæonibus [z], Ichthyophagis [a], Chelonophagis [b], Chiis [c], & aliis eiusmodi populis commune extitisse, ut vel in mare, aut flumina, vel paludes, cadavera proiicerent, existimantibus id sepulturæ aqueum genus eximium, omniúmque beatissimum, alij scripserunt: sive id agerent, quòd *Aquam*, uti & multæ aliæ [d] gentes, sacram, vel etiam deam esse putarent, atque ideò cadavera ei committendo, illa sanctificarent: sive quòd cùm plurimi eorum nullo alio nutrirentur cibo quàm piscium, æquum iudicarent humana cadavera piscibus obiectare, ut sic victum quem ab eis acceperant, ex seipsis rependerent: seu denique ex dogmate Thaletis inter Septem illos Sapientes præcipuè celebrati, qui dicebat [e] omnia ex Aquâ constare, & procreari: ac propterea sic vellent corpora humore resoluta ad suum principium unde orta essent reduci. Quamquam Thaletem defunctos terrâ obrui voluisse tradant; sed tamen eodem fine, nimirùm ut sic humore paulatim resolverentur. Quomodò & posteà

[x] *Lib. 3. cap. 1.*
[y] *Plin. lib. 4. cap. 12. Mela lib. 3. cap. 2.*
[z] *Laert. lib. 9. in Pyrrhon.*
[a] *Diodor. lib. 3. cap. 3.*
[b] *Strab. lib. 16.*
[c] *Stob. ser. 122.*
[d] *Sap. 13. Athanas. orat. cont. idol. Arnob. lib. 6. Clem. Alex. in Protrept. Agath. lib. 1. & 2. Herod. lib. 1. Strab. lib. 15. Var. lib. 1. de re rust. Horat. od. 1. & alij.*
[e] *Aristot. 1. Metaph. 3. Cic. lib. 1. de nat. Deor. & Academ. 2. Sen. 3. nat. quæst. 13. Plutar. de plac. phil. lib. 1. ca. 3. Serv. in Æn. 11. & alij.*

Xeno-

Xenophanes Colophonius[f] Aquam & Terram principia rerum constituit: auctore etiam forsan Homero[g], dum Menelaum inducit imprecantem timidis Achivis, ut resolverentur in aquam & terram, (nimirùm in elementa ex quibus ortum haberent & constarent:) hoc est, morerentur. Ut nesciam, an eâdem quoque ratione quamplurimi reperiantur apud Pausaniam, & alios antiquos[h] Scriptores, sepulti ad amnium ripas, nonnulli etiam in ipsis alveis. Qui verò corpora truncis & arboribus affixa, vel quovis alio modo AERE dissolvi debere volebant (quales fuerunt Scythiæ[i] gens quædam, Colchi[k], Tibareni[l], Sacerdotes[m] Phrygum, aliique non pauci populi, qui parentum cadavera terræ mandare, pro scelere próque flagitio arbitrabantur:) Anaximenem iactare poterant sui ritûs auctorem, vel confirmatorem; quòd is[n] Aërem esse principium universi, omniáque ab eo generari, & in eum resolvi assereret. Sive id agebant eâ ratione, quâ Suecones[o] & Gothos legimus cadavera Principum in frondosis arboribus, præsertim quercinis, tamquam sacris locis numinibus consecratis, suspendere consuevisse. Nam & antiquiores Ethnicos varias arbores, & lucos sacros existimâsse, ínque illis fana extruxisse, religionem illorum testantia, nemini non notum, tam ex sacris[p] quàm profanis[q] literis. Unde & Servius[r] observat, numquam à Virgilio lucum poni sine religione; & ubicumque ponitur lucus, sequi consecrationem. Indéque & Oreades nymphæ, Dryadésque & Druidum nostrorum nuncupatio; & creberrima apud Pausaniam in Lucis, ut in templis defunctorum, sepulchra: & apud Calabrum[s] Glaucus tumulatur in Luco, ubi variæ deliciæ: & apud Virgilium[t] Turnus parentibus parentat in Luco, ut in eo sitis. Et Cicero oratione pro Milone, Albanos tumulos, atque Lucos implorat atque obtestatur; quasi ibi essent tumuli, ubi Luci. Ac denique Plato[u] vult Lucum arborum plantari in circuitu Sepulchrorum Virorum iustorum. Sic quippè miseri homines, postquàm Legem Naturalem flagitiis suis corrupissent, nullâ doctrinæ scholâ, vel ratione, aut lege, sed suo quisque in-

[f] Plutar. lib. de Homer.
[g] Iliad. η.
[h] Vid. Cerd. in Æn. 6. vers. 874.
[i] Sil. lib. 13.
[k] Æl. 4. Var. 1. Nicol. ap. Stob. ser. 122. Apoll. lib. 3 Argon.
[l] Hieron. lib. 2. cont. Iovin.
[m] Stob. ibid.
[n] Plut. d. c. 3.
[o] Olaus lib. 16. cap. 37.
[p] Vid. Concor. Bibl. verb. Frondosus & Lucus.
[q] Cic. lib. 2. de Leg. Virg. Æn. 7. 8. 9. Val. Max. lib. 1. cap. 1. Plin. lib. 12. cap. 1. Sen. epist. 41. Tac. de mor. Germ. Max. Tyr. Dissert. 38. &c.
[r] In Æn. 1. & 3.
[s] Lib. 4.
[t] Æn. 9.
[u] Lib. 12. de Leg.

genio, & prout impetus animi tulit, deos geniósque adoptando (ut loquitur Plinius[x]) numina coluerunt: & (quod ait S. Hieronymus[y]) tam in Sepulturis, quàm in ceterâ omni conversatione, unaquæq; gens suo ritu & proprietatibus victitauit; & hoc esse legem naturæ putavit, quod didicit. Quo magis devinctos nos CHRISTO salvatori agnoscere debemus; quo præmonstrante, explosâ ferarum gentium doctrinâ, ritibúsq; immanibus & barbaris, veram religionem edocti, quid quemq; deceat, & quibus legitimis sacris, quâque purâ mente Deum verum colere oporteat, intelligimus. Cùm tamen quod Sepulturam Quercuum aut Lucorum spectat, nequaquàm illam, sicut nec quascumq; alias quibusvis locis honestè positas, dum absit superstitio, damnare velimus: cùm sciamus etiam sanctum patriarcham Iacob[z] Deboram Rebeccæ nutricem sepelisse ad radices Bethel subter quercum: & posteà laudabiliter Iabesitas[a] corpora Saül ac filiorum eius, in nemore subter quercum. Quinimmò & plantâsse Abrahamum[b] nemus in Bersabee, & invocâsse ibi nomen Domini Dei æterni.

x Lib. 2. cap. 7.
y Lib. 2. in Iovin.
z Gen. 35.
a Gen. 21. in fi.
b 1. Reg. ult. 1. Paral. 10.

IV. SEPULTURA IGNEA.

Ut verò nonnihil etiam de reliquis duobus Elementis, sepeliendíque generibus omnium celeberrimis, & scriptis monumentísque veterum auctorum notissimis, ac recentibus doctorum virorum commentariis illustratissimis, *Combustione* videlicèt, atque *Humatione*, quantum ad institutum sat sit, agamus: fuerunt istæ politioribus gentibus, ac præcipuè Græcis & Romanis, ab ipsis antiquissimis temporibus in promiscuo usu, cùm sive pro temporum necessitate, aut varietate, sive pro gentium ac nationum arbitrio, utrique utramque usurpârunt: quos plurimi alij per Orbem populi eâ in re aut imitati sunt, aut prævenerunt. Nam & nostros quoque Gallos[c] & Germanos, aliósque Septemtrionales, aliquando corpora defunctorum combussisse, compertum est. Quod quidem fuit Heracliti[d] dogma; qui quoniam Ignem volebat esse omnium rerum principium, omniáque ex eo constare, & in eum resolvi; æquè dixit comburenda esse corpora, ut ad suam originem reverterentur. Idque etiam

c Diod. Sicul. lib. 5. Cæs. de bel. Gall. lib. 6. Tac. de morib. Germ. Sidon. 3. ep. 2. Saxo Gram. hist. Dan. lib. 8. &c.
d Cic. Acad. quæst. lib. 4. Plut. de plac. phil. lib. 1. ca. 3. Serv. in Aen. 11. &c.

placuisse Heraclidi Pontico, scripsit Varro[e]. Unde & tot ab illis sacræ ceremoniæ huiusmodi Funeribus adhibitæ. Potéstque prætereà ex veterum scriptis multiplex alia inferri Exustionis ratio; sive quia[f], quod in nobis divinum est, igneo veluti vehiculo ad superna subvectum inseritur, subsidente quod terrenum est: sive quòd Ignis [ff] natura, quia mobilis est & sursùm nititur, vitæ & immortalitatis contineat rationem: seu denique quoniam [g] cùm Ignis vim habeat expurgandi, per exustionem anima à sordibus purgata ad suam originem naturámque revertatur. Ceterùm hominem priusquàm genito dente cremari, morem gentium non fuisse, Plinius [h] scripsit: itémque fulguritos cremari fas non fuisse [i], sed condi terrâ religionem tradidisse. Quare & Infantium sepulchra, (qui necdum quadraginta dies implêssent, ut interpretatur Fulgentius [k] Placiades; cùm alioqui non ante septimum mensem primores dentes gigni, Plinius eodem loco scribat:) non *Busta*, cùm non comburerentur, sed *Suggrundaria* antiqui dicebant, quòd [l] nec sub terrâ humarentur, sed in urnulis vel similibus vasculis, in ipsis locarentur suggrundiis. Fulguriti autem, hoc est fulmine occisi, tamquam *sacra cadavera* (ut vocantur ab Euripide [m], & aliis) non more consueto cremabantur, sed eodem ipso loco quo icti fuerant, terrâ absque ullis iustorum ceremoniis operiebantur [n] Aruspicum [o] curâ. Sed hæc parergõs de sepulturâ Igneâ; de quâ plura omittimus, quæ alij diligentiùs collegerunt: eos etiam prætermittentes, qui non solùm post mortem igne comburi, sed & mortem in ipso Igne oppetere, sapientissimum existimabant: quales fuisse Indorum Brachmanas sive Gymnosophistas legimus [p]: multósque alios, quibus cùm liberum esset mortis arbitrium, hoc mortis genus aliis omnibus, quæ quidem infinita sunt, anteposuêre. Quos quidem primâ superiorum Combustionis rationum ad id ductos fuisse, auctoritate etiam Lycophronis in rogo Scyllæ, Eustathius [q] observavit: sicuti & postremâ Euripidem, cùm Clytemnæstræ corpus igne depuratum scribit.

[e] Non. cap. 3. verb. Vulgus.
[f] Serv. in Aen. 3. Sol. lib. 10. in funer. Pauli: Eustath. in Iliad. α.
[ff] Lact. lib. 2. cap. 10.
[g] Quintil. declam. 10. Eustath. ibid.
[h] Lib. 7. ca. 16.
[i] Lib. 2. cap. 54.
[k] De prisc. serm. verb. Suggrund.
[l] Vid. Delr. in Sen. Troad. vers. 511.
[m] n Supplic.
[n] Artemid. 2. de somn. 8. Plutar. 4. Sympos. 2. Fest. verb. occisus: Quintil. declam. 274.
[o] Senec. 1. de clem. 7.
[p] Philo lib. de Abrah. Plin. lib. 6. cap. 19. Mela lib. 3. Dio lib. 54. Strab. lib. 15. Curt. lib 8.
[q] In Iliad. α.

Inhumandi verò ritus, ut est ceterorum omnium anti- V.

SEPULTURA TERRÆ CETERIS ANTIQUIOR, ET PRÆSTANTIOR.

quissimus, ita & quamplurimis gentibus acceptissimus; idémque omnium probatissimus, & sanctioribus ritibus celebratus: quippe & naturæ conformior, & à Deo ipso Naturæ auctore initio rerum, si non disertè præceptus, certè indicatus; dum primum omnium hominum Adamum, qui suâ prævaricatione mortem corpori, aliàs immortali futuro, inferens, æquè necessitatem intulit Sepulturæ; de peccato arguens, addidit[r]: *Terra es, & in terram reverteris*: Idque duplici imprimis de causâ; tum ut homines suæ conditionis memores minùs efferrentur, dum recogitarent se è terrâ corpus accepisse, nihilque aliud quàm pulverem esse; (quomodò & Horatius[s] breviter æquè ac eleganter dixit, *Pulvis & umbra sumus*:) tum ut futuræ corporum resurrectionis spes magis confirmaretur. Habet quippe Humatio aliquam sementis similitudinem; de quâ ipse Dominus nos admonet, cùm ait[t]: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Et post eum Apostolus[u]: *Quod seminas non vivificatur, nisi priùs moriatur, &c.* Quare sicut terræ sulcis mandantur semina, & ubi in illis resoluta & emortua sunt, ex iisdem cum fœnore renascuntur: ita in terram deposita corpora nostra, ubi per illam resoluta corruptibilitatem suam exuerunt, olim in die novissimo gloriosa & clarificata resurgent. Et inde appositissimè Germani (ut audio) Cœmeteria vocant *Agros Dei*: in quos videlicèt tot grana fructum in perpetuam vitam productura, seminantur & sparguntur, quot homines in Christo obdormientes sepeliuntur. Ideoq; huiusmodi sibi sepulturam non temerè delegit auctor vitæ, restitutórq; immortalitatis, & reformator corporis humilitatis nostræ, CHRISTUS Dominus, & qui ante[x] illum omnes, & post illum in hanc usq; diem in ipsum nasciturum, natúmve crediderunt. Quam & nescientibus eum plurimis antiquissimis placuisse populis (licèt nonnullis cum aliquo temperamento, seu medicamento, ut corpora maximè diuturna essent) putà Assyriis, Æthiopibus, Ægyptiis, ac Persis, veterum Scriptorum[y] monumenta testantur. Estque idem hodie

[r] Gen. 3.

[s] 4. od. 7.

[t] Ioan. 12.

[u] 1. Cor. 15.

[x] Iudæi an aliquando corpora suorum combusserint, v. de infrà fol. 68.

[y] Herod. Diodor. Cicer. Strab. &c.

Turcis in usu, atque omnibus Mahometis sectatoribus. Denique à multis sæculis ceteri cuncti sepeliendi modi, præter Humationem, apud omnes gentes non solùm in desuetudinem venisse videntur, (sublati videlicèt paulatim à Christianæ religionis politiâ, unà cum plurimis aliis non minùs barbaris infidelium populorum ritibus;) sed etiam in ignominiam esse versi, ac scelerum pœnam. Sicuti & fuisse olim in eosdem usus aptatos ab iis qui aliis ac diversis uterentur sepeliendi modis, videbimus posteà cùm agemus de privatione Sepulturæ, & extumulatione. Cùm alioqui nec deesset olim suum Sepulturæ Igneæ Resurrectionis symbolum, quòd semper dentes invicti (ut loquitur Plinius [z]) remanerent igni, nec cremarentur cum reliquo corpore: quos ideò Tertullianus [a] dixit, ut semina retineri fructificaturi corporis in resurrectione. Unde & fortassis quod nuper ex Plinio observavimus, hominem prius quàm genito dente cremari, morem gentium non fuisse: quia videlicèt tenelli ac medullosi infantes igne penitùs absumerentur, nec ossium vel dentium superesset quicquam ad semen evigilationis extremæ.

[z] *Lib. 7. c. 16.*

[a] *De resur. car. c. 42.*

DENTES, SYMBOLUM RESURRECTIONIS.

VI. HUMATIONIS CONGRUENTIA.

Quàm verò aptè congruentérque fiat, ut corpora Terræ mandentur, vel inde constat, quòd ita reddatur homo humo, & ut divina loquitur Scriptura [b], *revertatur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Quod apud Prudentium [c] sic expressum legimus:

Spiritus simul & caro vivit;
Rescissa sed ista seorsùm
Proprios revocantur in ortus.
Petit alter æthera fervens,
Humus excipit arida corpus.

[b] *Ecclef. 12.*

[c] *Hym. in exeq. defunct.*

Itémque apud Lucretium [d]:

Cedit item retrò, de terrâ quod fuit antè,
In terras; & quod missum est ex ætheris oris,
Id rursùm cæli rellatum templa receptant.

[d] *Lib. 2.*

Et apud Phocylidem [e] his verbis Latinè redditis:

Spiritus usui à Deo datus est mortalibus, & imago Dei.
Corpus enim ex terrâ habemus, & omnes in eam

[e] *Poëm. admonit.*

Resoluti pulvis sumus ; cælum verò spiritum recipit.

Sic & Euripides [f]:

Sinite iam terrâ mortuos operiri ,
Et unumquodque unde in corpus venit ,
Illuc redire ; Spiritum quidem ad æthera ,
Corpus verò in terram. Non enim possidemus
Illud proprium , sed quamdiù hanc vitam incolimus ,
Deinde restituendum est suæ parenti.

Et apud Xenophontem [g] Cyrus filiis inhibens ne ipsum in auro vel argento, aliâve ullâ re præterquàm in terrâ conderent; *Quid enim* (inquit) *beatius, quàm terræ commisceri, quæ pulchra omnia, bonáque omnia & gignit & nutrit.* Indéque & Cicero [h] *antiquissimum id fuisse Sepulturæ genus* dixit, quo *redditur terræ corpus, & ita locatum ac situm, quasi operimento matris obducitur.* Ac Plinius [i] eleganter de Terrâ agens; *Ei uni* (inquit) *rerum naturæ partium, eximia propter merita, cognomen indidimus maternæ venerationis. Nos nascentes excipit, natos alit, semélque editos sustinet semper: novissimè complexa gremio iam ab reliquâ naturâ abdicatos, tum maxime ut mater operiens, nullo magis Sacramento, quàm quo nos quoque sacros facit.* (ob sanctitatem videlicèt Sepulchrorum , de quâ posteà.) Philo item: *Hominibus, & omnibus terrestribus animalibus, natura magis propriam regionem tribuit, non solùm viventibus, verùm etiam morientibus, ut ipsa & primum susciperet ortum, & à vitâ ultimam resolutionem.* Omniúmque antiquissimus & sapientissimus Iob [k] : *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Ac post illum divinus Ecclesiastes [l] : *Sicut egressus est nudus de utero matris suæ , sic revertetur;* hoc est, in uterum matris, sed communis, terræ scilicèt ; ut expressiùs dixit Ecclesiasticus [m] : *Iugum grave super filios Adam, à die exitûs de ventre matris eorum usque in diem Sepulturæ in matrem omnium.* Quippe, ut rursùm ait Ecclesiastes [n], *de terrâ omnia facta sunt, & in terram pariter redeunt:* cùm sit naturale, ut omnia revertantur ad suum principium. Unde & fortè Romanis mos [o], ut recentes natos infantes primùm humi ab obstetricibus ponerentur, è quâ à patre levabantur : atque inde

[f] In Supplic. cuius tamen versus, ap. Stob. ser. 112. tribuuntur Moschioni, seu Menandro.

[g] De Cyr. pæd. lib. 8.

TERRA NATURALIS LOCUS SEPULTURÆ HOMINUM.

[h] Lib. 2. de leg.

[i] Lib. 2. c. 63.

[k] Cap. 1.

[l] Eccles. 5.

[m] Eccl s. 40.

[n] Eccles. 3.

[o] Var. lib. 2. de Vit. Pop. Rom. ap. Non. cap. 12. vers. Pilumnus : Plin. præf. l. 7. Suet. in Aug. cap. 1. Ovid. in Ibin. Stat. 1. Silv. ult. Macrob. 1. Satur. 12.

Levana [p] dea. Et ut ait Philo [q] de nece Flacci agens, *satius est in terrâ, quàm in mari perire; quandoquidem hominibus, ceterísque terrestribus locum proprium natura Terram assignavit, ubi non solùm vivant, sed & moriantur; ut quæ nascentes excipit, eadem fato functos recipiat.* Indéque Diti Patri (cui terrenam vim omnem, atque naturam antiqui dedicárant) factum nomen scripsit Cicero [r], *quia & recidant omnia in terras, & oriantur è terris.* Quemadmodùm & Aristoteles [s], & post eum alij [t] ex Gentilibus, principium rerum Terram dixerunt. Nec scio utrùm ad hoc pertineat, quod à multis Scriptoribus [u] observatum, cadentes in acie prono ore humum solitos mordere: tamquam Matri osculum imprimant, à quâ placidè recipi cupiant: quamvis sciam, hoc vulgò ad iram morientium [x] referri, & ne quis gemitus anteactâ vitâ indignus à circumstantibus excipiatur. Ac denique Græcis Sepulchra dicta sunt ἠρία (sed ferè ignobiliorum, nobiliorum enim ἡρῷα) παρὰ τὴν ἐπιχεομένην τοῖς νεκροῖς ἔραν, id est, ab eâ quæ mortuis iniiciebatur terrâ, quam vocant ἔραν: & ἠριεὺς, mortuus, & ἠρίαι πύλαι Athenis, porta per quam efferebantur mortui: cùm alioquin (ut scripsit Plinius [y]) *sepultus* intelligeretur quoquo modo conditus; (adeò ut & qui cremabantur, æquè dicerentur sepulti; quòd ossium reliquiæ, ac cineres diligentissimè collecti, & urnis aliísve præparatis vasis inclusi, in suis conditoriis reponerentur;) *humatus* verò tantummodò humo contectus.

[p] Ap. Aug. 4. de civit. 11.
[q] Contr. Flac. in fi.
[r] Lib. 2. de nat. deor.
[s] Lib. 1. Metaphys.
[t] Lucret. lib. 1. de rer. nat.
[u] Homer. Il. 11. Lycophr. in Alex. Eurip. in Phœnis: Calab. lib. 1. Virg. Æn. 11. Sen. in Herc. fur. act. 4. & aliis.
[x] Vid. Cerd. in Æn. 11. vers. 418. & 669. Delr. in Sen. Herc. fur. vers. 895.
[y] Lib. 7. c. 54.

CAPUT V.

De sacro Sepulturæ usu sub Lege Naturæ.

QUOD igitur hoc fuerit ceteris antiquius, & Naturæ conformius Sepulturæ genus; ut iam hinc commodè ad religiosam eius curam in antiquissimo Legis Naturæ Tempore investigandam procedamus; opportunè in ipso limine sese omnium hominum parens offert, I.

qui exemplo suo quid posteri observare debuerint, ostendat. Siquidem Iacobus [z] Orrhoahita, sive Edessenus, inter Syros Scriptores apprimè nobilis, & magni Ephræm quondam præceptor, memoriæ prodidit, Noëmum ossa Protoplasti Adami magnâ secum religione in Arcam intulisse, & post siccatum à Diluvio Orbem terrarum, cum ipso terrarum orbe ossa quoque illa inter suos tres filios distribuisse; & quem ceteris anteferebat Semo primogenito Calvariam donâsse, & regionem illam ei in habitationem assignâsse, quæ posteà Iudæa nuncupata est. Hæc quidem in Mosis libris frustrà quæsieris; quia præter universi Mundi creationem, Hominis lapsum, & humani generis propagationem, quantùm sufficeret ad Christi genealogiam demonstrandam, fermè nihil de primâ illâ Mundi ætate ab eo conscriptum est. Sed Iacobum illa ab antiquioribus Syris quasi per manus accepisse, quis dubitet? Nihil enim hic apparet, quod fabulæ nomen mereatur, nisi si, quæcumque in Archivis veterum traditionum continentur, quia nobis ignota, pro fabulis habenda. Sanè quod scripsit de Divisione Orbis inter filios Noëmi, & Palæstinâ sub sorte Semi constitutâ, illud ipsum & Epiphanius [a] apertè confirmat; etiamsi (ut subdit) fuerit illa deinde à posteris Chami violenter occupata. Et quamvis sciamus de hâc divisione non omnes inter se convenire; Adami tamen ossa in Palæstinâ tumulata fuisse, consentiunt Patres [b] omnes, quotquot de eius Sepulchro egerunt, quorum ingens est numerus; etsi de loco particulari nonnihil aliqui dissentire videantur. Idque post Diluvium contigisse potiùs quàm anteà, inde omninò asseri posse videtur, quòd ob immensas Diluvij inundationes, non solùm omnia cadaverum ossa dissipata, sed etiam sepulchra ipsa cum ceteris cunctis ædificiis adeò vastata ac dispersa fuerint, ut nullum penitùs eorum vestigium remanserit. Fuit igitur hoc pium consilium, sive Noëmi, ob reverentiam Protoplasti diligenter curantis ne eius ossa, sicut aliorum, dispergerentur; sive (ut credibilius videtur) ipsiusmet Adami, spiritu prophetico hanc cladem

[z] Ap. Mos. Barceph. lib. de paradis. par. 1. c. 14. qu. ext. to. 1. Bibl. Patr.

[a] In Ancor. ad fi.

[b] Vid. Torniel. Annal. Sacr. an. 930. Salian. eod. an. &c.

ADAMI OSSA IN PALÆSTINAM DELATA.

dem prævidentis, & de præservandis suis ossibus, atque honesto semper loco conservandis, præceptum posteris suis testamento relinquentis: ut qui piè sanctéque de futurâ corporum resurrectione cogitaret, eamdem fidem hâc etiam religiosâ sacri sui funeris solicitudine in posteros suos propagaret. Eius autem sepulturæ famam ab ipso Noë fuisse propagatam, tradit Basilius [d], & ex eo Theophylactus [e]. Cùm etiam tanta omnium gentium, tam inter se remotarum, & moribus ceteris atque institutis diversarum, in sepulturæ religione ac solicitudine consensio, manifestè arguat eam ex unâ eádémque origine processisse; nempè ex ipso Adamo primùm, ac post Diluvium ex Noëmo, eiúsque posteris, in gentium ab urbe Babylonicâ Dispersione.

d *In Isa. c. 5.*
e *In Ioan. 19.*

II. Prima verò Sepulturæ in sacrâ Scripturâ fit mentio in rebus gestis [f] magni illius Patriarchæ ABRAHÆ. Quod non parùm eius facit commendationi, ut eam tanta solemnitate celebrâsse describatur *Pater credentium*, in honorem dilectissimæ suæ coniugis SARÆ, dominæ (quod significat eius nomen) omnium gentium, quæ in eius semine benedicendæ erant: quam & ideò S. Paulinus [g] *matrem vocationis nostræ* appellat, sicut Abrahamum *patrem fidei*. Quantâ porrò solicitudine eius funus curaverit, docet Moses, dum imprimis ait illum *planxisse, & flevisse Saram*; deinde *cùm ab eo officio funeris surrexisset*, magnâ instantiâ Hethæos, inter quos agebat, exorâsse *ut darent ipsi ius Sepulchri*. Nam *Luctum* & *Planctum* non solas lachrymas, quas naturalis affectus exprimit, significare, sed totum id cultûs funebris, quod exhiberi cadaveri consuevit priusquàm sepeliatur, & alia ad pompam funeris spectantia; apertè significatur ex eo quòd posteà idem Moses [h] de Iacob nepote Abrahæ ait, tam Ioseph quàm Aegyptum *flevisse ac planxisse* illum *septuaginta diebus*. Tot enim dierum lachrymis ne ipse quidem lachrymabundus Heraclitus sufficere potuisset. Qualem & putamus extitisse *fletum*, qui factus [i] est à familiâ Iacob in funere Deboræ nutricis Rebeccæ. Itáque & Patres *Planctum funeris* interpretatos esse, dicetur com-

f *Gen. 23.*
g *Epist. 37. ad Pammach.*
LUCTUS, ET PLANCTUS, IN FUNERIBUS PATRIARCHARUM, QUID?
h *Gen. 50.*
i *Gen. 35.*

modiùs dum agetur de ritibus Iudæorum ac Christianorum.

III. Abrahæ solicitudo pro sepultura conjugis.

Quod autem Moses ait, Abrahamum petiisse ab Hethæis ius Sepulchri inter ipsos, & singulis eorum sua propria gratis ei offerentibus, precibus induxisse Ephronem ad venditionem Speluncæ duplicis in sepulturam uxoris: hoc quidem imprimis declarat, quanta fuerit ipsi cura Sepulchri; ut qui in Chanaan non habuit domum, non agrum proprium, proprium tamen habere voluerit sepulchrum: (docens pariter, ut idem Paulinus argumentatur, quid sibi isti deberent homines providere; cùm is qui ad Dei verbum de terrâ patriæ cognationis exierat, nihilque præterea de pervagatis natione diversâ spatiis comparaverat, omnis terræ advena; solum tamen agrum Sepulchro, id est non temporalem, sed æternam possessionem, nec terram avaritiæ, sed quietis emisset:) tum deinde manifestè docet, etiam fuisse apud illas gentes, non aliquâ lege scriptâ, sed solius vi Legis Naturalis, loca certa sepeliendis cadaveribus addicta, eadémque in pretio & veneratione: Iúsque Sepulturæ sacrosanctum existimatum, quod nec violari fas esset, nec commercio pecuniæ turpari. Quare legitur apud S. Hieronymum [k] ex Hebræorum traditione, Ephron postquàm victus est pretio, ut sepulchrum venderet argento, licèt cogente Abraham, postea vocatum esse Ephran: significante Scripturâ, non eum fuisse consummatæ perfectæque virtutis, qui potuit memorias vendere mortuorum. Quòd enim *apud Gentiles* (inquit de hâc ipsâ quæstione S. Thomas [l]) *loca sepulturis assignata, religiosa putabantur; si Ephron pro loco Sepulturæ intendit pretium accipere, peccavit vendens: Abraham tamen non peccavit emens, quia non intendebat emere nisi terram communem.* Quippe cùm reverâ universa illius gentis religio esset vana & impia superstitio, nihil verè religiosum habebat, atque ideò meritò contemni & pro nihilo duci poterat ab Abrahamo. Nisi etiam & ipsum Ephronem peccato velimus eximere; tum ex eo quòd etiamsi spelunca deputata esset ad sepulturam, (quod tamen nec Scriptura dicit, nec aliunde satis pro-

Sepulturæ locus quomodò possit vendi.

k *Quæst. Hebr in Gen.* 23.

l 2 2. q. 100. art. 4. ad 3.

batur) nondum tamen aliquis fuisset ibi sepultus; (Ideò namque Abrahamum elegisse locum illum, ut sepulturam haberet separatam à Gentilibus, & satis indicat Moses, & notant ibi Interpretes.) Sepulchra autem non nisi legitimâ cadaveris illatione [m], ac solemni glebæ iniectione, aliisque adhibitis sacris Ceremoniis religiosa fierent: tum etiam quia licèt iam locus fuisset religiosus, tamen potuit emi & vendi condigno pretio, pro valore tantummodò ipsius agri, nullâ habitâ ratione illius deputationis, vel consecrationis, aut religiositatis. Sicuti etiam hodie calices, aliáque sacra vasa & vestimenta, vendi [n] possunt ratione materiæ vel artificij, eo pretio quo vendi possent ante consecrationem & benedictionem. Nec est alioqui credibile, voluisse Abrahamum cogere Ephronem ad locum Sepulturæ vendendum, quem ipse Ephron sacrum esse credidisset. Sed de his, déque religione Sepulchrorum apud Infideles, eorumdémque consecratione seu benedictione apud Fideles, dicetur posteà. Nunc quod agimus.

[m] *Cic. lib. 2. de leg. D. de relig. l. 2.*

[n] *Tho. in 4. dist. 25. q. 3. art. 1. & alij DD. Vid. Suar. de Relig. tract. 3. lib. 4. cap. 14.*

IV. SEPULTURAM QUANTÎ FECERIT IACOB PATRIARCHA.

Quanti post Abraham sepulturam fecerit eius nepos Iacob Patriarcha, opinione Philonis antiquissimi pariter ac disertissimi Hebræorum scriptoris, docent hæc eiusdem Philonis eâ de re verba libello quem scripsit de Ioseph filio Iacobi: *Ut perlatum est ad Iacob, non quod verum erat, venditum esse filium,* (nempè Ioseph) *sed commentum* [o] *illud de absumpto à bestiis, ictus aures nuncio, simúlque oculos spectaculo, (allata enim fuerat tunica lacera cruentáque mirum in modum) dolore turbatus obmutuit per longum temporis spatium, ne caput quidem valens attollere oppressus tantâ calamitate. Tandem repentè effusus in lachrymas velut è fonte ubertim prorumpentes, plangebat pectus & faciem percutiens, & scissis vestibus lamentabundus talia loquebatur: Non tam mortem tuam, fili mi, doleo, quam* SEPULCHRI IACTURAM. *Nam si tibi sepulchrum contigisset in terrâ propriâ, nec mihi defuisset solatium: assedissem officiosè ægrotanti ante mortem, impendissem morienti extrema oscula, clausissem oculos, mortuum lavissem lachrymis, extulissem magnificè, nihílque de* IUSTIS FUNEBRIBUS *omisissem. Atque etiam si peregrè de-*

[o] *Gen. 37.*

functus esses, dixissem ipsemet mihi: Persolutum est naturæ debitum; noli tristari: vivi habent suas patrias; mortuorum omnis terra sepulchrum est; brevis ævi sunt omnes homines. Nam qui maximè longævus fuit, quantillum temporis vixit, si ad æternitatem conferas? Vel si omninò moriturus eras per vim & insidias, levius fuisset extingui manibus hominum, qui mortuum saltem miserati obruissent terrâ, & CADAVER TUMULASSENT*: aut, ut essent crudelissimi, quid ampliùs potuissent quàm insepultum proiicere? quem tamen mox viator aliquis prætereiens, memor naturæ communis, miseratione tactus* HUMASSET. *Nunc, ut fertur, immites & carnivoras bestias pavisti, & saturâsti meis visceribus. Hactenùs multos labores inopinatos exantlavi, in huiusmodi miseriis abundè sum exercitus, errando, peregrinãdo, mercede serviendo, dura ferendo imperia, usque ad vitæ periculũ exagitatus à quibus minimè oportuit: multa vidi, multa audivi, multa sum passus gravia, quibus ad patientiã eruditus perduravi. Sed nihil præsẽti casu intolerabilius, qui totum animi mei robur subvertit atque prostravit. Quis enim luctus potest esse maior, aut miserabilior? Vestis pueri ad patrem perlata est; ex ipso non membrum, non frustum, non vel minimæ reliquiæ: totum devorârunt bestiæ; nihil superest, quod* SEPULCHRO INFERATUR. *Ac ne vestem quidem recepi, nisi ut ad eius aspectum recrudescat doloris memoria, ne umquam tantæ calamitatis oblivio possit obrepere. Sic ille sortem suam deplorabat.*

V. ALIA SEPULTURÆ PATRIARCHARUM EXEMPLA.

Qui idem anteà, amissâ coniuge dilectissimâ Rachele eiusdem Iosephi matre, *erexit titulum.* (inquit divina Scriptura [p]) *super Sepulchrum eius*; nempè (ut Brochardus tradit in Descriptione Terræ Sanctæ) pyramidem perelegantem, in cuius basi dispositi essent duodecim prægrandes lapides secundùm numerum filiorũ Iacobi; tum ut magnifico eiusmodi monumento memoriam eius celebrem posteris redderet; tum præcipuè (ut habet Lyranus) ad testificandam resurrectionis fidem. Idémque ipse moriens in Ægypto, traditur à Mose [q] per eumdem filium suum Ioseph aromatibus medicorum ministerio quadraginta diebus ex more Ægyptiorum conditus, & septuaginta diebus defletus, ac planctu magno ad sepulturam delatus, cum ingenti pompâ, & maximo comitatu.

[p] Gen. 35.

[q] Gen. 50.

Pariterque ipse Ioseph post obitum aromatibus conditus dicitur[r]. Quo modo cùm fidelium, & cultorum veri Dei nemo legatur in Scripturâ ante eosdem Iacob & Ioseph fuisse tumulatus, nec post eos usque ad Asam [s] Regem Iuda abnepotem Davidis: inde liquidò colligitur, morem illum primitùs fuisse Aegyptiorum, apud quos prædicti Patriarchæ defuncti sunt, tum ab Aegyptiis manâsse ad ceteras gentes. Sed quod ait Tacitus[t], Iudæos ab Aegyptiis didicisse condere cadavera potiùs quàm cremare; errâsse illum docent exempla Saræ, Abrahæ, & aliorum quorum in Scripturâ fit mentio, antequàm Hebræi descenderent in Aegyptum: (Est enim *condere*, sepulchro inferre, aut monumento: unde & sepulchra *Conditoria*[u], ac *Conditiva*[x] sunt dicta:) sed fortè *condere* intellexit *condire*, eo modo quem diximus. Qui quidem cùm in testimonium immortalitatis animarum, & futuræ corporum resurrectionis, introductus videretur; (nihil enim ferè Aegyptij absque mysterio peragere consueverant; qui ceteris ferè cunctis Gentibus tam scientiarum, quàm religionis & Deorum cultûs auctores extitisse perhibentur:) ideò nec tum dubitârunt sancti Patriarchæ eo uti; nec posteà Iudæi & Christiani (ut videbitur) eumdem frequentiùs usurpare. His etenim ritibus, hísque officiis sepulturæ, testatos esse homines immortalitatem animarum; religiosè etiam Cicero[y] in hunc modum explicavit: *Animos remanere post mortem, auctoribus uti possumus optimis: & primùm quidem omni antiquitate, quæ quò propiùs aberat ab ortu & divinâ progenie, hòc meliùs ea fortasse quæ erant vera, cernebat. Itaque unum illud erat insitum priscis illis, quos Cascos appellat Ennius, non sic excessu è vitâ deleri hominem, ut funditùs interiret: ídque cùm è multis aliis rebus, tum è Pontificio iure, & ceremoniis Sepulchrorum intelligi licet, quas maximis ingeniis præditi nec tantâ curâ coluissent, nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi hæsisset in eorum mentibus, mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quamdam quasi migrationem, commutationémque vitæ, &c.* Et paulò post: *Maximum verò argumentum est, na-*

[r] *Ibid. in f.*

[s] *2. Paral. 16.*

MULTA DE FUNERIBUS PATRIARCHÆ MUTUATI AB ÆGYPTIIS.

[t] *Histor. lib. 5.*

[u] *Ap. Suet. in Aug. cap. 18. & in Calig. cap. 52. Plin. lib. 7. cap. 16. & lib. 37. ca. 2. alter Plin. 6. ep. 10. Petron. in Satyr. Solin. cap. 5. & alij.*

[x] *Sen. epist. 60. & 82.*

[y] *Tuscul. 1.*

SEPULTURÆ CURA DENOTAT IMMORTALITATEM ANIMARUM.

turam ipsam de immortalitate animorum tacitam iudicare, quòd omnibus curæ sunt, & maximè quidem, quæ post mortem futura sunt. Et mox: *Quid sepulchrorum monumenta, quid elogia significant, nisi nos futura etiam cogitare?* Unde etiam morem processisse, ut in rogos defunctorum vestimenta, arma, aliáque omnis generis supellectilia iniicerentur, apud Plutarchum [z] legimus; Gallos etiam Epistolas ad defunctos, apud Diodorum [a]: ut non alia modò indagemus argumenta, quibus plerisque antiquis Philosophis ac populis immortalitatem animarum cognitam & creditam fuisse demonstremus.

[z] *Cont. Colot. 1.*
[a] *Lib. 5.*

CAPVT VI.

De Sepulturâ antiquorum Ægyptiorum, mixtímque aliarum quarumdam vetustissimarum gentium.

I. PRÆSTABANT igitur ista cadaveribus Ægyptij in honorem domicilij animarum, quas (ut testatur etiam Herodotus [a]) rectè crederent esse immortales. Atque ut omnis contaminatio inde excluderetur, refert apud Plutarchum in Convivio Sapientum Solon, Ægyptios consuevisse mortuos dissecto ventre Soli ostendere, deinde intestinis in profluentem abiectis, reliquum cadaver ut iam purgatum procurare: esse enim ista, carnis contaminationem, ac veluti corporis orcum. Resurrectionem tamen corporum, uti ex Augustino [b] intelligitur, hoc temperamento videntur credidisse, ut eam non putarent posse fieri, nisi corpora servarentur integra: (sicuti & in persecutionibus Christianorum, ceteros quoque Gentiles corpora Christianorum vastando, omnem eis spem resurrectionis auferre cogitâsse, legimus apud Eusebium [c]:) vel quòd persuasum haberent (ut ait Servius [d]; quæ fuit etiam Stoicorum sententia) tamdiù animam durare, quamdiù duraret & corpus. Quare longè secùs ipsi à ceteris fermè cunctis gentibus grande nefas [e] existimabant, suorum mortuorum cada-

[a] *Lib. 2.*
[b] *Serm. 120. de divers. cap. 12.*
[c] *5. Hist. 1. in fi. vide infrà fol. 80.*
[d] *In Æn. 3.*
[e] *Mela lib. 1. cap. 9.*

vera aliquo elemento consumi. Non enim cremabant, quoniam credebant [f] Ignem animatam belluam esse, & omnia quæ nascerentur devorare, ac postquàm devorando fuisset expleta, unà cum ipsâ re devoratâ emori: Eâdémque ratione neque humabant, nec tradebant belluis, nec arboribus suspendebant, nec in fluenta proiiciebant; ne devorarentur à vermibus, aut feris, aut volucribus, aut piscibus: sed tantâ sollicitudine saliebant, condiebántque variis aromatibus & unguentis, quæ essent idonea prohibendæ cadaverum putredini, & grato odori conciliando; ut ei officio quadraginta dies, sicut est apud Diodorum [g] Siculum, & sacra docet Genesis [h]; vel etiam aliquando septuaginta, quemadmodùm scribit Herodotus [i], impenderent: Idque adeò concinnè, ut non tantùm singula membra suam retinerent integritatem, verùm etiam palpebrarum & superciliorum pili incorrupti permanerent, totáque corporis species, ac lineamenta faciei, pristinam formam obtinerent, & dormientem magis quàm defunctum repræsentarent: (haud tamen uno eodémque omnium condiendi modo, sed triplici, ut fit, pro facultatibus aut dignitate defunctorum, opulentiorum, mediocrium, aut vulgi infimi:) Eósque sic conditos in paratis loculis, ac plerumque [k] domi, secum super [l] terram, intra penetralia [m], in lectulis [n] seruare, & aliquando etiam mensis [o] tamquam convivas adhibere consuevisse, alij auctores tradunt. Quod tamen ultimum non tam de ipsismet corporibus accipiendum putamus, (ut plurimos recentiores accepisse videmus) quàm de eorum figuris ac repræsentationibus: prout intelligitur ex eodem Herodoto, dum scribit, apud locupletes eorum, cùm multi convenissent ad cœnam, circumferre solitum in loculo mortuum à durâ materiâ factum, sed picturâ verum maximè imitantem, longitudine cubitali omninò, aut bicubitali; ostendique singulis convivarum cum hâc monitione, *In hunc respiciens pota, & oblectare, talis post mortem futurus.* Quale etiam ex argento exhibitum in convivio Trimalcionis, apud Petronium: dum potantibus convivis, lar-

ÆGYPTIORUM CONDITURA CORPORUM, QUALIS, ET AD QUID.

[f] *Herod. lib.3.*

[g] *Lib.1.par.2.*
[h] *Gen.50.*

[i] *Lib. 2.*

[k] *Cic.Tuscu.1.*
[l] *Sext.Empi.3. Pyrrhon. hypothe.c.24.*
[m] *Mela lib.1.*
[n] *Athan. in Vit. Anton.*
[o] *Lucian. de Luct. vel.li.13. ut plerique interpretantur.*

REPRÆSENTATIO MORTIS IN CONVIVIIS.

vam argenteam attulit servus, sic aptam ut articuli eius, vertebræque locatæ, in omnem partem flecterentur. Eam cùm super mensam semel iterúmque abiecisset, & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalcio adiecit:

Heu, heu, nos miseros, quàm totus homuncio nil est!
Sic erimus cuncti, postquàm nos auferet orcus.

CURA SEPULCHRI IMPP.

Idque ipsum apud alios pariter factitatum reperitur. Ac speciatim apud Imperatores Constantinopolitanos; ut scilicèt mox ut assumerentur in regnum, in disco illis exhiberentur marmorei lapides, vel alabastrini, aut porphyretici, ut quem magis vellent in sepulchrum eligerent: aliúsque unâ manu vasculum plenum mortuorum ossibus ac pulveribus offerret, aliâ stuppam lini subtiliter pexam, cui protinùs ignis adhiberetur: ut scilicèt in uno deberet considerare quod esset, in altero deberet videre quod haberet: in cineribus se cinerem recognosceret, in stuppâ iam colligeret, in die Iudicij quàm subitò mundus arsurus esset: quemadmodùm hæc referens philosophatur S. Petrus Damianus Cardinalis scribens ad Alexandrum II. Rom. Pontificem.

II.
NECESSITAS CURÆ CORPORUM APUD ÆGYPTIOS.
p Coll. 15. cap. 3.

Sed quod rursùm Ægyptiorum curam corporum spectat; ea erat conditio regionis, ut penè afferret necessitatem sic illa curandi: prout singulariter exponitur à Cassiano p, dum aliud agens ait, hunc illis morem Nili fluminis invexisse eluviem, ut quoniam universæ terræ illius latitudo instar immensi pelagi non parvo anni tempore solitâ aquarum eruptione contegebatur, itaut nulla cuiquam viandi copia nisi lemborum transvectione tribueretur; corpora mortuorum pigmentis condita redolentibus, in editioribus cellulis recondererentur, quòd madens ebrietate continuâ terræ illius solum, humandi arceret officium, dum siqua cadavera defossa suscepisset, evomere ad superficiem suam inundationum nimietate compelleretur. Quâ etiam ratione factum putamus, ut cùm posset aliis quoque locis idem accidere, ac præsertim uliginosis, esset verò piaculum sepultos aquarum incursibus aut eruptionibus obnoxios relinquere; veterum plurimos

plurimos legamus in montibus, vel rupibus, aliisque locis saxosis & aridis sepulchra constituisse: non autem solummodò eâ ratione, quâ Plato [q] voluit mortuos locis sterilibus & culturæ ineptis collocari, ne terræ fecunditas impediretur. Ægyptiorum porrò in condiendis cadaveribus peritiam, antiquis auctoribus multipliciter commendatam, post tot secula hodiéque testatur quæ ex Ægypto præstantissima adfertur caramomia (ut vocant officinæ, & pharmacopœa) de quâ nostri Thevetus & Bellonius [r] in suarum Peregrinationum relationibus. Auctor quippe est S. Augustinus [s] eos hâc arte sic corpora siccâsse, ut quasi redderent ænea, eáque linguá suá appellâsse *Gabbaras*. Unde & Glossæ Isidori, *Gabbares, mortuorum condita corpora*: & paulo antè, *Gabarus, insulsus, barbarus; unde Gabares mortuorum*. Cuiusmodi procerissimum cadaver advectum fuisse ex Arabiâ Romam sub Claudio Imp. Plinius [t] scribit. Quantum autem in erigendis sepulchralibus monumentis, gentes omnes superârint Ægyptij, cùm tamen in privatorum ædificiorum constructionibus ferè ab omnibus vincerentur; ex diversis auctoribus [u] liquidò constat. Quorum moles immanes (sic enim veriùs, quàm sepulchra dixerimus) tantæ fuerunt magnificentiæ, ut quæ à Regibus constructæ sunt inter Mundi Miracula computarentur: quæ præter Pyramides, constabant etiam admirabilibus colossis, sphyngibus, obeliscis, labyrinthis, palatiis, ac ceteris eiusmodi superbissimis ædificiis: quorum descriptio quæ fit ab antiquis auctoribus incredibilis penitùs videretur, nisi quæ hactenùs visuntur eorum reliquiæ [x] sufficerent ad conciliandam illis amplissimam fidem. Has verò tam ingentes sepulchrales moles cùm Reges Ægypti primùm excogitâsse dicat Plinius [y] ad stultam pecuniæ ostentationem, sive ne pecuniam successoribus, aut æmulis insidiantibus præberent, aut ne plebs esset otiosa: vel (sicut Pierius [z] philosophatur) ut testarentur, corpore soluto animam superesse, quæ circumacto circulo triginta sex millium annorum (post quem omnia in eumdem pristinum statum redacta iri opinabantur) aliud corpus sibi factura

[q] *De leg. dial. 12. & ep. Cic. lib. 2. de leg.*

[r] *Scripsit etiam iste tractatum* De medicato funere; *quem examinavit* Guichard. *de Funer. lib. 3. cap. 10.*

[s] *Serm. 120. de divers. cap. 11.*

GABBARES ÆGYPTIORUM.

[t] *Lib. 7. cap. 16.*

[u] *Herod. lib. 1. Diodor. lib. . Strab. lib. 17. Plin. lib. 36. cap. 12. & aliis.*

PYRAMIDES ÆGYPTIORUM AD QUID ERECTÆ.

[x] *Vid. Bellon. singul. observat. lib. 2. & de admir. oper. antiq. praest.*

[y] *Lib. 36. cap. 12.*

[z] *Hierogl. lib. 60.*

[a] Lib. Gallus Roma hospes, par. 1.

esset: vel etiam, ut Ludovicus Demontiosius [a] prosequitur, ad significandam anni solaris rationem: (ut sanè omninò credibile est, antiquos illos Ægyptios, quorum, ut iam diximus, ingenia omni disciplinarum genere exculta erant, nihilque absque mysterio agere consueverant; aliud quid ingentibus illis molibus mysticè designare voluisse, quàm ut inutili labore lapides lapidibus superponerent:) eas tamen potissimas existimamus, tum quam diximus immortalitatis animarum, & resurrectionis corporum obscuram licèt fidem; (nam & Plato [b] ex cadaveribus diuturnis Ægyptiorum, firmissimum duxit ad confirmandam animarum immortalitatem argumentum) tum etiam ut Reges sub magnificentissimis istiusmodi, & ad æternitatem affabrè factis structuris conditi, immortalitatis & ipsi famam, & quemdam æternitatis fructum, qualemcumque tandem ipsi in suis tenebris sibi fingebant, consequerentur. Quarum sanè partem haud improbabile est Hebræorum labore, cùm illic captivi detinerentur, extructas fuisse; sicuti & Iosephus [c] asseruit. Nec verò solummodò Reges, sed & in universum cunctos Ægypti incolas, refert Diodorus [d] tempus limitibus vitæ circumscriptum perexigui existimâsse; sed quod celebrem à morte virtutis memoriam habiturum sit, illud pependisse maximè: ideóque & domicilia viventium, *Diversoria* nominâsse, quòd exiguum ad tempus ea incolantur; defunctorum autem sepulchra *Domos æternas*, quòd ad multa sæcula in eis quiescendum esset: & cùm de structurà domorum privatarum minùs solliciti essent, in adornandis eximiè sepulchris nihil studij & diligentiæ missum fecisse. Denique probitatem morum non magis ex rectà cum vivis agendi consuetudine expendisse, quàm ex pià in mortuos humationis & cultùs exhibitione. Ipsos autem corporum salitores ac conditores adeò omni cultu & honore affectos [e] fuisse, ut & familiares essent Sacerdotibus, atque in templa & sacraria pariter cum eis ingrederentur, utpotè qui & ipsi sacri censerentur. Quòd verò *Domos æternas* Sepulchra vocabant; fuisse & istud ceteris populis in usurpatione, tam ex pro-

[b] In Phædon.

[c] 1. ant. 5.

[d] Lib. 1. par. 1.

SEPULCHRA, DOMUS ÆTERNÆ.

[e] Diod. ibid.

fanis [f] quàm sacris [g] Scriptoribus intelligitur: sicuti & dicebātur aliis *perpetua* [h] *& æterna sedes*, *æterna possessio* [i], & alia eiusmodi: nonnullis etiā simpliciter *Domus* [k] *Defunctorum*.

Sed quod magis firmat sanctitatem Sepulturæ apud Ægyptios, legimus pariter apud Plinium [l], Regum Ægyptiorum ex Lino fuisse funebres tunicas. Et apud Herodotum [ll], profanum eis fuisse *laneis* vestibus tam sepeliri quàm in templis uti, lineásque utrique huic usui fuisse solemnes; sicut & illis qui Orphei & Pythagoræ ceremoniis participarent. Cuius rei aliquam ex eodem Plinio colligere rationem possumus, dum ait, Lanam tingi & adulterari alienis coloribus faciliùs quàm Linum. Nam etsi tentatum est tingi Linum quoque, & vestium insaniam accipere, tamen mansisse colori pertinacem gratiam. Aliámque ex Plutarcho, dum in tractatu de Iside & Osiride ait, Sacerdotes Isidis *lineo* vestitu, & rasurâ conspicuos incedere consuevisse; quòd sacram de Diis III. doctrinam ab omni superstitione & curiositate puram, in animo suo tamquam in arcâ gestarent atque continerent: eosdémque post mortem iisdem ornari, quòd signum esset illos abire nullâ aliâ re quàm istiusmodi doctrinâ instructos. Itémque propter colorem, quem Linum florens emittit, cæruleo colori mundum æthereum circumdanti similem. Rationémque discriminis inter Linum & Lanam hanc adfert, quòd ex excrementis Lana, sicut & crines, nascatur; ineptum autem esset, Isaicos, ubi puritatis & castimoniæ causâ suos posuissent capillos, amiciri impuris & reiectaneis pecorum lanis: Linum autem è terrâ oriatur immortali, & vestem exhibeat tenuem ac puram, quæ gerentem non gravet, sítque apta singulis anni temporibus. Quæcumque autem è Terrâ nascuntur, ea pura & munda existimârunt. Hinc porrò *Linigera* Isis dicta [m] frequenter, eiúsque Sacerdotes *Linigeri*: & Tertullianus [n] linteum quo Christus circumstrictus est quando pedes Discipulorum lavit, *propriam Osiridis vestem* appellat: quippe iidem Osiridis qui & Isidis sacerdotes erant: ac peculiariter Osiridi Linum tribuit etiam Lucanus [o]. Quemadmodùm & in vita Apollonij [p] Philostra-

LINUM IN SACRIS, NON LANA, ET QUARE.

[f] Var. ap. Priscian. lib. 2. ad fi. Sen. tragœd. Octav. act. 4. Vid. Gruteri Inscript. in Indic. cap. 16.
[g] Psal. 48. Eccles. 12.
[h] Vid. inf. fol. 40.
[i] Paulin. ep. 37. ad Pammach.
[k] Tibul. 3. eleg. 2. l. quis sep. 4. C. de sep. viol. Val. Prob. de not. D. M.
[l] Lib. 19. cap. 1.
[ll] Lib. 2.
[m] Ovid. metamorph. 1. de Pont. 1. & 2. Amor. 2. Iuven. sat. 6. Martial. 12. epig. 29. Claudian. de 4. Honor. Consul. &c.
[n] De cor. mil. cap. 8.
[o] Lib. 9.
[p] Lib. 8.

tus commemorat, Apollonio apud Domitianum Imp. crimini datum, quòd vestitu lineo uteretur: ipsúmque crimen diluentem dixisse, Linum purum Indis, purum etiam Ægyptiis videri, & propterea prius Pythagoræ, deinde etiam sibi visum conveniens uti lineo vestimento, quod & tam disputantibus congrueret, quàm orantibus, atque sacrificantibus. Et Apuleius Apologiâ pro seipso scribit, Linum purissimum esse rebus divinis velamentum; quippe lana segnissimi corporis excrementum pecori detracta, iam inde Orphei & Pythagorę scitis profanum vestitum esse: sed enim mundissimam Lini segetem inter optimas fruges terrâ exortam, non modò indutui & amictui sanctissimis Ægyptiorum Sacerdotibus, sed opertui quoque in rebus sacris usurpari. Unde & Plutarchus [q] rationem reddens cur Romanæ mulieres in luctu albas gererent vestes (quod & Argivis fuisse in usu tradit: cùm alioqui sciamus, in colore luctus diversos fuisse gentium, temporum, sexûs, ætatis, conditionis hominum ritus; quâ de re alij:) hanc præcipuam assignat, quoniam sicut defunctorum corpora albis involvebant tegminibus, (quod item ex Cicerone [r], Suetonio [s], Herodiano [t] intelligitur: idémque & Græcis in usu extitisse [u] constat:) ita & eodem modo amictos vellent esse necessarios: sic autem corpora ornare consuevisse, quia animam non possent, quam vellent puram illustrémque prosequi, ut peracto difficili certamine iam dimissam: sive quoniam luctum maximè decent quæ simplicia sunt; quæ porrò colore infecta sunt, partim luxum, partim supervacanearum rerum studium arguunt: solum autem album sincerum esse ac purum; ac proinde optimè convenire iis qui sepeliuntur, quia mortuus simplex quippiam factus est ac purum. Nec verò solùm Gentiles, sed & olim Sacerdotes Iudęorum ex Legis pręscripto, dum ministrarent in templo, Lineis vestibus necessariò uti debuisse, nec quicquam laneum gestare fas fuisse, sacra testatur Scriptura. Auctórq; est Hegesippus [x], Iacobum Apostolum fratrem Domini & Ierosolymorum Episcopum, privilegium habuisse ingrediendi Sancta Sanctorum, quod vestibus Lineis, non laneis uteretur. Ac deniq; hoc à ce-

[q] *Quæst. Rom. 26.*

[r] *Orat. in Vatin.*

[s] *In Neron. cap. 50.*

[t] *Lib. 4. in fun. Severi.*

[u] *Homer. Il. σ. in fun. Patro. Artemid. l. 2. cap. 3. Plutar. in Arat. ad β. &c.*

[x] *Ap. Euseb. 2. Hist. 22. & Hieron. de Scrips Eccles. in Iacob.*

teris quoque Apostolis, corúmq; successoribus, continuâ serie observatum fuisse, luculentissimis exemplis, & probatissimis auctoritatibus demonstrârunt, eiúsque rei mysteria declarârunt, qui de Officiis divinis Tractatus ediderunt. Quemadmodùm & quod ad Sepulturam attinet, legimus in Scripturâ [y], Nadab & Abiu sacerdotes elatos esse in vestibus Lineis: ac posteà Lazarum [z], ipsúmque CHRISTUM [a] Dominum sepultos esse in Lino; ídque ipsum ab aliis deinceps Christianis factitatum, notius est quàm ut diutiùs in iis immorari debeamus, qui iã fortè morosas nimis in iis moras duxisse censebimur.

[y] *Levit.* 10.
[z] *Ioan.* 11.
[a] *Matth.* 27.

IV.

IMACUNCULÆ INTRA CORPORA ÆGYPTIORUM.

Verumtamen antequàm Lectorem ab Ægypto dimittamus, monendum esse censemus (quod maximè pertinere videtur ad convenientiam Sepulturæ Ægyptiorum cum religiosissimis illorum sacris Isidis & Osiridis) intra condita illa corpora quæ ex Ægypto evehuntur, frequenter reperiri parva idola ænea, marmorea, fictilia, alteriúsve eiusmodi materiæ; quæ à peritis earum rerum creduntur imagines ferre Isidis & Osiridis, eò quòd Plutarchus in prædicto Tractatu quem de iis conscripsit, antiquiorum auctoritate asserat, *Osiridem* non alium esse quàm qui apud Græcos *Pluto*, & *Isidem* quàm *Proserpinam*; quos habitos fuisse inferorum deos, nemo est qui nesciat; cosdémq; Sepulturæ auctores existimatos posteà videbimus. Denique scribit Herodotus [b], morem fuisse Ægyptiis, ut siquis sive Ægyptius sive extraneus, compertus fuisset in littore Nili necatus à crocodilo, aut submersus undis fluminis, urbs ad quam cadaver appelleret, necesse omninò haberet illud condire, & quàm honestissimo funere in sacris monumentis sepelire; ídque tantâ religiositate, ut illud ne contingere quidem fas esset defuncti amicis aut proximis, sed tantummodò Nili Sacerdotibus; qui illud veluti maius quiddam quàm humanum cadaver contrectabant, manibúsque suis sepulturæ mandabant: quòd videlicèt tam Crocodilum, quàm Nilum pro Diis haberent. Cùm tamen & fuisse plurimos Ægyptiorum, qui Crocodilos non solùm pro diis non haberent, verùm etiam ut nocuos & humano

[b] *Lib.* 1.

generi perniciosos detestarentur, & insectarentur, ex eodem Herodoto, Strabone[c], Æliano[d], & aliis constat. Scribítque Plinius[e], quod ad rem sepulchralem spectat, Tentyritarum gentem huic belluæ adversam, & præsentiâ animi in iis persequendis miram, (sunt enim, ut omnes[f] scribunt Crocodili fugaces audacibus, audacissimi timidis) voce etiam solâ terrentes eos, *cogere evomere recentia corpora ad sepulturam.*

[c] Lib. 17.
[d] 10. de anim. 21.
[e] Lib. 8. c. 25.
[f] Herod. & Strab. ibid. Sen. quæst. nat. lib. 4.

V.

CONDITURA CORPORUM, SYMBOLUM RESURRECTIONIS.

Quod verò ad causas attinet condituræ, quam diximus, corporum; auctore quoque Varrone[g] scimus, olim Democritum Philosophum voluisse corpora defunctorum servari in melle. Nempè *in spem reviviscendi;* ut interpretatur Plinius[h], resurrectionem licèt corporum deridens. Quod quidem videtur Democritus sumpsisse ab Ægyptiis; quem constat[i] tum illam regionem, tum alias plurimas discendi cupiditate peragrâsse. Quinimmò & Persas (quorum etiam Sapientes, seu Magos dictos, homines in vitam redituros, immortalésque futuros docuisse, Laërtius[k] ex Theompompo & Eudemo Rhodio scribit) cerâ circumlitos condere mortuos suos consuevisse, vt quàm maximè permanerent diuturna corpora; idem Cicero[l] post Herodotum[m] tradit; & Strabo[n] confirmat. Cùm & alioqui ex Ammiano[o] didicerimus, Persarum veterum corpora consuevisse inarescere in modum stipitum, ut nec liquentibus membris, nec sanie perfusâ madescerent: quod (inquit) vita parcior faciebat, & ubi nascebantur exustæ caloribus terræ. Fidémque huic rei affert, quod Xenophon[p] ait, eos nec spuere nec emungi, quòd victu modico uterentur, & humiditatem per laborem consumerent. Sed ad rem. Babylonios item, ceterósque Assyrios, eâdem diuturnitatis fine in melle condere solitos, iidem Herodotus[q] & Strabo[r] scribunt: quorum & luctus funebres persimiles fuisse Ægyptiacis tradunt. Itidémque Lacedæmoniorum Reges peregrè mortuos, ut ad sepulchra maiorum deferri possent, condiri[s] in melle ne corrumperentur, eóque deficiente superfundi[t] cerâ; & Scytharum Reges incerari[u], solemne fuisse reperimus. Aegyptiis quoque

[g] Ap. Non. cap. 3. verb. Vulgus.
[h] Lib. 7. c. 55.
[i] Laert. in Democr. Cic. l. 5. de fin.
[k] In præf.
[l] Tuscul. 1.
[m] Lib. 1.
[n] Lib. 15.
[o] Lib. 19. c. 20.
[p] Cyr. pæd. lib. 1.
[q] Lib. 1.
[r] Lib. 16.
[s] Xenoph. rer. Græc. lib. 5. de Agesil.
[t] Plut. & Æmil. Prob. in Vit. Agesil.
[u] Herod. l. 4.

cedrium ad hoc adhibitum, Plinius [x] testatur; cùm tamen idem (ut ait) viventia corpora corrumpat: mirâ (inquit) differentiâ, cùm vitam auferat spirantibus, defunctisque pro vitâ sit, eos incorruptos ævis servans. Denique legimus in Historiis Novi Orbis, multos ex illis populis barbaris in hoc diligentissimè incubuisse, ut corporum structura integra post mortem conservaretur; sperantes fore ut aliquando resumpta ab animabus corpora reducerentur in vitam. Et ut uno verbo rem absolvam, quicumque quâvis arte (quæ multiplices apud auctores [y] reperiuntur) putredinem à mortuis abigere curârunt, id eos ad resurrectionem denotandam instituisse fas est credere: quamvis apud plurimos labentibus sæculis obliterata fuerit primoris eiusmodi institutionis memoria. Cùm & alioqui vel ipsam solam Humationem id satis significare, & iam superiùs demonstraverimus; & confirmet Athanasius, seu quivis alius auctor Quæstionum ad Antiochum, cùm ait [z] *statim ab initio per patres legem dedisse Deum de sepeliendis & abscondendis mortuis corporibus; ut etiam taciti omnes confiterentur resurrectionem. Quicquid enim terrâ à nobis obruitur, in spem resurrectionis occultari.* Et ex primâ hominis creatione, quæ facta est de terrâ, argumentum pro resurrectione confecerint antiqui Patres, Clemens [a] Romanus, Athenagoras [b], Irenæus [c], Tertullianus [d], Cyrillus [e] Ierosolymitanus, & alij. Ac denique ex eo quod Scriptura [f] in obitu sanctissimi Patriarchæ Abrahæ ait, ipsum *congregatum esse ad populum suum*, Theodoretus [g] elicuerit immortalitatem animarum, & spem resurrectionis. Et ex simili phrasi collegerint Rabbini, Ismaëlem [h] in gratiâ Dei mortuum. Sanè etenim si phrasim perpendas, vix inveneris in sacrâ Scripturâ de aliis quàm bonis & iustis usurpari; uti [i] de Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Aarone, & Mose: etsi Iosephus historicus, (sed malè) de malis etiam usurpet. Populus enim, ad quem fieri dicitur huiusmodi congregatio sive collectio, accipienda [k] est societas iustorum omnium qui antè decesserunt, ad quam colliguntur iusti morientes; sicuti de agris colligitur & congregatur matura messis in

[x] *Lib. 16. c. 11. & lib. 24. c. 5.*

[y] *Vid. Bellon. de admir. oper. ant. Kirchm. de funer. lib. 1. cap. 8.*

HUMATIO, SYMBOLUM RESURRECTIONIS.

[z] *Quæst. 119.*

[a] *5. Const. 8.*

[b] *De resur. car.*

[c] *Lib. 5. cap. 3.*

[d] *De resur. car. cap. 9. 10. 11.*

[e] *Catech. 18.*

[f] *Genes. 25.*

[g] *Quæst. 109. in Gen. in fi.*

[h] *Genes. 25.*

[i] *Gen. 25. 35. 49. Num. 20. 31.*

CONGREGARI, VEL APPONI AD POPULUM SUUM, QUID SIT.

[k] *Rupert. Caiet. & alij in Gen. 25.*

[l] Luc. 16.

horreum: quem locum CHRISTUS [l] Dominus *sinum Abrahæ* vocavit. De ceteris bonis malísque, promiscuum illud in libris sacris, *Dormivit cum Patribus suis*; sive *Appositus est ad patres suos*: ponitúrque simpliciter pro mori, seu etiam sepeliri: *patrésque* illi intelliguntur, piorum quidem morientium pij prædefuncti, impiorum impij. Quamvis sint etiam qui observent, immortalitatem animæ clariùs ostendi priori illâ phrasi, *Congregatus est*, sive *appositus ad populum suum*; (quippe denotat, Iustos aliquo in loco simul viuere:) posteriori verò *dormitionis*, resurrectionem corporum, non secùs ac solent dormientes de somno expergisci.

VI.

MORS DICTA SOMNUS, ET QUARE.

[m] Serm. 32. de Cœmet. appel.
[n] In Il. u. in fi.
[o] Lib. 4. c. 9.
[p] Hom. 5. & 21. ad pop. Ant.
[q] Cap. 12. in fi.
[r] 1. Cor. 15. & 1. Thess. 4.
[s] Eccl. hier. cap. 7.
[t] Can. 25.
[u] In epp. ad Rom. Cor. & Philip.
[x] Ignat. ep. ad Tral. Clem. Rom. 5. Const. 6. Iren. lib. 5. cap. 7. Tert. de resur. car. c. 23. & 24. Athan. orat. de incarn. Verb. Hieron. advers. error. Ioan.
[y] Matth. 28.

Unde & loca illa ubi corpora humantur, dicta sunt ab Hebræis *Bethym*, hoc est domus viventium; à Christianis Græcis Κοιμητήρια, hoc est *Dormitoria*: *ut discamus* (inquit Chrysostomus [m]) *eos qui illic siti sunt, non mortuos, sed somno consopitos esse, & dormire.* à verbo κοιμᾶσθαι, quod significat dormire, seu (ut exponit Eustathius [n]) discubare ad capiendum somnum. quemadmodùm & olim à Cretensibus (ut est apud Athenæum [o]) cœnacula in quibus dormiebant peregrini & hospites, κοιμητήρια vocabantur. Quoniam verò (ut habet alibi idem Chrysostomus [p]) *mors non est mors, sed somnus consueto longior, & dormitio temporaria*; inde & factum, ut κοιμᾶσθαι pro *Mori* usurpetur: & *Mortui* ab Authore libri secundi [q] Machabæorum κοιμώμενοι; à Paulo [r] Apostolo, & ab eius discipulo Dionysio [s] Areopagitâ appellentur κεκοιμημένοι, *qui placidè dormierunt*: & ab eodem Dionysio, atque à Patribus Synodi [t] Antiochenæ celebratæ in Encæniis Dominici Aurei, Mors κοίμησις, hoc est *dormitio*. Quare quòd vox ista plena sit fidei ac pietatis, Resurrectionis videlicèt spem testificans, quâ mortui dormientes celerrimè evigilabunt ex somno mortis; quámque non solùm Christi resurrectio (ut frequentibus & efficacissimis verbis atque nominibus docuit idem Paulus [u] Apostolus, & ex eo antiquissimi Patres [x]:) sed & ipsa Sepulchrorum [y] reseratio tempore mortis eius, quâ multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt, aliorúmque quam-

quamplurimorum anterioribus pariter ac posterioribus temporibus manifestata suscitatio, apertissimè confirmavit: inde passim in sacris libris tam Veteris [z], quàm Novi [a] Testamenti eàdem significatione usurpatur, & (quod ait [b] Augustinus) *Somnum pro Morte positum innumerabiliter Scripturæ continent.* Nec verò tantummodò sacræ, sed etiam profanæ: (sive ex insitâ, ut credibile est, primigeniâ fide Resurrectionis corporum, quam nullæ potuerunt dæmonum fraudes penitùs obliterare: sive etiam posteà ad vitandam τὴν δυσφημίαν nominis Mortis; quam Latini *Abitionem* [c] dicere maluerunt; & *fuisse* [d], ac *vixisse* homines:) veluti cùm Homerus [e] de Iphidamante occiso ab Agamemnone dixit;

Sic is quidem illic lapsus dormivit somnum æreum:

eúmque imitatus, ut plerumque Virgilius [f] de Orode à Mezentio necato, déque Podalirio ab Also;

Olli dura quies oculos, & ferreus urget
Somnus.

(Æs enim, & ferrum sæpè confunduntur apud Poëtas.) Et in Anthologiâ [g] Constantinus auriga *ferreum somnum dormit.* Catullus [h] item:

Nobis cùm semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

Et Horatius mortem vocat *perpetuum* [i], & *longum* [k] soporem. Idémque Homerus [l], *longum afferentem somnum.* Et dum agit [m] de virgâ Mercurij, quâ putabant eum animas evocare Orco, ac mortuos suscitare, mortuos vocat *dormientes.* Alij [n] etiam *suavem somnum dormire; sacrum somnum dormire; longum somnum dormire; dormire somnum debitum;* & alia eiusmodi quamplurima tam Græcorum quàm Latinorum, quæ præcipuè reperiuntur apud Poëtas, & in antiquis Sepulchrorum Inscriptionibus [o]. Sicuti & apud Lycophronem [p] Sepulchrum dicitur εὐνατήριον, hoc est Dormitorium. *Nihil* enim *morti tam simile quàm somnus;* ut aiebat apud Xenophontem [q] Cyrus ultimò ad filios perorans. Atque inde Cicero [r] mortem *simillimam somni* esse dixit; & somnum appellavit *imaginem mortis.* Et Ovidius:

[z] *Genes.* 47. *Deut.* 31. 1. *Reg.* 7. & *l.* 3. & 4. *Reg.* & 2. *Paralip.* passim, sicut etiam in *Iob.* *Psalmis,* &c.
[a] *Matth.* 9. & 27. *Mar.* 5. *Luc.* 8. *Ioa.* 11. *Act.* 13. 1. *Cor.* 7. 11. 15. 1. *Thess.* 4. & 5. 2. *Pet.* 3.
[b] *In Psalm* 3.
[c] *Fest. verb.* Abitio: *Tert. de testim. anim. cap.* 4. *in fi.*
[d] *Plutar. in Cicer. Tibul.* 3. *eleg.* 5. *in fi.* &c.
[e] *Iliad.* λ.
[f] *Æn.* 10. & 12.
[g] *Lib.* 5. *epigr.* 121.
[h] *Ad Lesb.*
[i] 1. *Od.* 24.
[k] 3. *Od.* 11.
[l] *Odyss.* ν. & ω.
[m] *Iliad.* ω. *Odyss.* ι.
[n] *Antholog. lib.* 3. *cap.* 1. *epigr.* 6. & 10. *cap.* 26. *ep.* 70. *cap.* 27. *ep.* 1. *cap.* 33. *ep.* 24.
[o] *Inscript. Gruter. in Indic. cap.* 16.
[p] *In Cassandr.*
[q] *Cyrop. lib.* 8.
[r] *Tuscul.* 1.

SOMNUS FRATER MORTIS.

Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago? Eadémque ratione Virgilius [s] *consanguineum lethi soporem* dixit: & Homerus [t], Hesiodus [u], ac Coluthus [x], nec non Seneca [y] Tragœdus, Valerius [z] Flaccus, aliíque, *somnum Mortis fratrem:* Orpheus [a] *fratrem lethes*, sive oblivionis, *& mortis*. Pariterque è nostris Basilius [b] ait *ebrietatem inducere somnum fratrem mortis*. Indéque & Diogenes [c] cùm moriturus obdormîsset, excitanti medico, & an aliquid gravius accidisset percontanti, respondit; *Nihil est mali, frater fratrem antevertit, somnus mortem.* Cui simile dictum, etiam Gorgiæ Leontino tributum reperimus [d]. Aliásque idem Homerus [e] *somnum, mortémque, gemellos* vocat: quibus traditum fingit ab Apolline cadaver Sarpedonis ad sepulturam deferendum in Lyciam: Et ex eo Pausanias [f] Lacedæmoniorum laudat prudentiam, quòd Somni & Mortis simulachra, tamquam fratrum, eodem loco constituissent. Et alibi describens cælaturam arcæ Cypseli, quę in templo Iunonis Olympiæ dedicata fuerat, ait fuisse inter alia feminam expressam, dexterá puerum album consopitum sustinentem, nigrum sinistrâ & ipsum dormientis effigie; eorúmque puerorum alterum *Mortem*, *Somnum* alterum, feminam *Noctem* utriusque nutricem significâsse. Quâ de re Athenagoras Philosophus Christianus tractatu de Resurrectione mortuorum: *Existimo*, inquit, *nonnullos Somnum fratrem mortis appellare, non tamquam iisdem maioribus ac parentibus natos, sed quòd eodem modo affecti sint mortui & dormientes, quantum quidem ad quietem spectat, ut nihil intelligant de rebus quæ fiunt, immò nec se ipsos esse aut vivere sentiant.* Ac demùm Tertullianus [ff] Somnum vocat *speculum mortis*. Qui & ex evigilatione è somno, validum eliciens pro resurrectione corporum argumentum; *Cùm evigilaverit* (inquit) *corpus redditum officiis eius, resurrectionem mortuorum tibi adfirmat. Hæc erit somni, & ratio naturalis, & natura rationalis. Etiam per imaginem mortis fidem initiaris, spem meditaris, discis mori & vivere, discis vigilare dum dormis.*

[s] Æn 6.
[t] Il. ξ.
[u] In Theogon.
[x] Carm. de rapt. Hel.
[y] in Herc. fur. act. 4.
[z] Lib. 3. argon.
[a] Hym. de Somno.
[b] Orat. 1. de ieiun.
[c] Ap. Plutar. de consol. ad Apoll.
[d] Ap. Stob. serm. 117. ex Ælian. 2. Var. 35.
[e] Iliad. π.
[f] In Lacon. & Eliac. 1.
[ff] De animâ. c. 42. 43. & 58.

VII. Quòd igitur in Sepulchris corpora dormiant; inde

etiam sacrarum est Scripturarũ usitata loquutio (quemadmodùm observavit Augustinus [g]: quod & in scriptis Gentilium ac Poëtarum non rarò invenias:) ut cadaver etiam vocet *Animam*; quoniam (inquit) corpus animæ reddendum est in Resurrectione; sicut ædificium quod appellatur Ecclesia, etiam cùm inde Ecclesia exierit, qui homines sunt, nihilominùs Ecclesia dicitur: videlicèt per metonymiam. Quomodò & ex eâdem illâ quiete, quâ in Sepulchris dormiunt corpora, dum expectant iterùm animabus uniri, Hieronymus [h] quod Propheta Isaias *quietem* & *dormitionem* appellavit, sensum potiùs quàm vocem spectans, vertit *sepulchrum*; quia sepulchrum locus est quietis; Et ut Ambrosius [i] ait, *in sepulturis Christianorum requies defunctorum est*. A quibus proptereà defuncti etiam *quiescentes* dicti [k] sunt, & *pausantes*. Ac solemnes Christianorum formulæ, *Requiescant in pace:* & *Requiem æternam consequantur*; aliæque eiusmodi. Indéque & sapientissimus iuxtà ac patientissimus Iob, mortem sibi bono & commodo cessuram significare volens; *Dormiens* (inquit [l]) *silerem, & somno meo requiescerem*. Ac denique in antiquis Gentilium Inscriptionibus [m] sepulchrum dictum reperitur *Ager somni*, & *Quietorium*, & *Requietorium*, sæpissimè: sicut etiam apud Apuleium [n], Paulinum [o], ac Cassiodorum [p] *Quies*; apud Tertullianum [q] *Requies*; & apud Iurisconsultos *inquietari* [r] *corpora* dicuntur, cùm à sepulchro moventur: à Virgilio [s] & Lucretio [t] *Pax:* à Cicerone [u], Senecâ [x], Aeliano [y], & Plutarcho [z], *Portus*: rursúmque ab eodem Virgilio [a] Poëtâ, Paulo [b] Iurisconsulto, Ammiano [c] Historico, Paulino [d] & Sidonio [e] Episcopis, *Sedes*: & alia eiusmodi sexcenta apud eosdem, aliósque antiquos auctores tam sacros quàm profanos: quibus libentissimè temperamus; uti & ceteris sepulchrorum appellationibus, quæ minùs ad hunc locum faciunt. Si tamen priùs meminerimus deæ *Quietis*; cui apud Romanos [f] ædes sacra extra Urbem: quæque ad mortuos pertinuisse putatur [g], quoniam *Quietalis* dictus est ab antiquis Orcus: ideóque extra Urbem Quietem esse cultam, quia non licebat

CADAVER DICTUM ANIMA.

SEPULCHRUM REQUIES.

[g] q. 81. in Levit.
[h] In Isa. 11.
[i] 2. de Offic. 18.
[k] Cassian. 2. Coll. 5. in fi. Concil. Aurel. ap. Burchard. lib. 5. cap. 51. Inscript. Grut. in Indic. c. 24.
[l] Cap. 3.
[m] Ap. Gruter. 410. 5. 810. 2. 885. 4. 954. 1. Vid. Indic. cap. 16.
[n] Metam. 2.
[o] Ep. 37. ad Pam.
[p] 6. Var. 8.
[q] Apolog. c. 37.
[r] L. divi fratres 9. D. de relig. Vid. inf. fol. 139. b.
[s] Æn. 1. & 11.
[t] Lib. 6.
[u] Tusc. 1. & 2.
[x] Tragœd. Agamem. act. 3.
[y] 4. Var. 7.
[z] De consol. ad Apoll.
[a] Æn. 6. & 7.
[b] L. si quis. 40. D. de relig.
[c] Lib. 22.
[d] d. ep. 37.
[e] 2. ep. 8.
[f] Livi. lib. 4. Aug. 4. de civit. 16.
[g] Lud. Vives in Aug. d. c. 16.

intrà fieri ſepulchra. Quâ eâdem ratione & *Viduus* [h] Deus, qui animâ corpus viduare exiſtimabatur, quaſi feralis & funebris nequaquàm intra muros, ſed foris collocabatur.

[h] *Cypr. de idol. vanit.*

VIII. RESURRECTIO MORTUORUM CREDITA AB ANTIQUIS.

Illud poſtremò non omittimus; cùm antiquis Græcis pariter ac Romanis ſolemne eſſet, oculos [i] morientium à proximis aut cariſſimis claudi, (ſumpto ritu ab Hebręis, quorum eâ de re antiquiſſima ſunt exempla in rebus geſtis Iacobi [k] Patriarchæ & Tobiæ [l],) fortè fuiſſe iſtud veſtigium illius originalis, quam diximus, fidei reſurrectionis corporum poſt aliquantam ipſorum dormitionem: maximè cùm Romanis eos rursùs in rogo patefacere magno ritu ſacrum fuiſſe, iam ſuperiùs [m] ex Plinio viderimus. Quam quidem Reſurrectionis fidem, fortaſſis etiam (ut coniectârunt Clemens [n] Alexandrinus, & Iuſtinus [o] Martyr) ſignificavit Plato [p], ubi narrat Erum Pamphylum (qui & Zoroaſter dictus) cùm duodecimo die poſt mortem in rogo fuiſſet poſitus, revixiſſe. Eamdemque antiquiſſimus Phocylides Mileſius in præclariſſimo ſuo Poëmate adhortatorio, quod ex carminibus Sibyllinis compegiſſe Suidas ſcribit, apprimè expreſſit his verbis ex eius Græco Latinis factis:

Terram impartire inſepultis cadaveribus, &c.
Mox è terrâ ſperamus in lucem prodituras
Defunctorum reliquias; poſteà verò Dij erunt.
Animæ namque incorruptæ manent mortuorum:

Ac denique Mercurius [q] Triſmegiſtus Ægyptiorum ſapientiæ Interpres, Pythagoras [r] Italicæ Philoſophiæ auctor, Sibyllæ [s] Gentilium Prophetiſſæ, Theopompus [t] Chius inſignis Orator & hiſtoricus ex magorum ſententiâ, Democritus [u] acutiſſimus Naturæ contemplator, aliæque vetuſtiſſimorum Philoſophorum Scholæ, non obſcurè ſuis ſcriptis inſinuârunt: *pulſatâ ſalute,* (ut loquitur de hâc ipsâ re agens Tertullianus [x]) *licèt non aditâ veritate.* Sed abſque ullâ penitùs ambiguitate, etiam ante Legem divinam ſcriptam, à Naturâ edoctus, & cùm inter Infideles rectitudinem Legis Naturalis perfectiſſimè obſervaret, ſuperno lumine illuſtratus, mirabiliter

[i] *Homer. Il. λ. Od. ω. Eurip. in Phœniſſ. & in Hecub. Plin. lib. 11. cap. 37. Val. Max. l. 1. cap. 1. Virg. Æn. 9. Ovid. ep. ad Theſ. & ad Vlyſſ. Lucan. lib. 3. &c.*
[k] *Geneſ. 46.*
[l] *Tob. ult.*
[m] *Fol. 9. a. Plin. lib. 11. cap. 37. Vid. Turneb. l. 24. cap. 16.*
[n] *Strom. lib. 5.*
[o] *Orat. ad Gentil.*
[p] *Lib. 10. de Rep.*
[q] *In Pymandr.*
[r] *Ap. Tert. de reſur. car. c. 1.*
[s] *Ap. Clem. Ro. 5. Conſt. 6.*
[t] *Lib. 8. Philipp.*
[u] *Ap. Plin. lib. 7. cap. 55.*
[x] *d. c. 1.*

exposuit prædictus ille sanctissimus atque doctissimus, & ad miraculum usque patiens Princeps Idumæus de stirpe Esaü IOB, cùm dixit [y]: *Scio quod redemptor meus vivit, & in novissimo die de terrâ surrecturus sum; & rursùm circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Quo, quæso, quid de hoc mysterio vel certius asserere, vel efficacius proferre potuisset, non dicam Iudæorum Synagogæ, sed & quivis Christianæ Ecclesiæ sanctus? *Nullus* (inquit Hieronymus [z]) *tam aperte post Christum, quàm iste ante Christum de resurrectione loquitur.* Ut iam non sit mirum, si cùm hæc fides insita esset in animis sanctiorum hominum, eadémque persuasio ceterorum quoque mentes pervasisset; plerique omnes curam honestæ sepulturæ haberent, quam ad eum finem præcipuè institutam non ignorarent.

[y] *Iob.* 19.

[z] *Ep. ad Pammach. advers. error. Ioan. Ierosol.*

CAPVT VII.

De Sepulturâ Gentilium barbarorum.

QUIBUS sic firmiter stabilitis, postquàm quæ fuerit tempore Legis Naturæ, veterum illorum Patriarcharum Sepulturæ praxis, quantùm sacra illius ævi monumenta tulerunt, luculenter demonstravimus; & qui ei necessariâ connexione iuncti videbantur, Ægyptiorum ritus unâ operâ ex aliis gravissimis auctoribus explicuimus, aliáque nonnulla eò pertinentia obiter attigimus: ut iam nos ad reliquas ceterorum Gentilium res, quantum instituti ratio postulaverit, tractandas transferamus; si etiam imperfectiores ac minùs cultas gentes considerandas existimaverimus, *Panebios* invenimus [a] Libyæ populos, quando Rex eorum moriebatur, corpus defodisse; caput verò (principale hominis ἡγεμονικὸν, unde cognoscimur, divinissimum corporis membrum, sanctissimam hominis partem; ut à diver- I.

[a] *Ap. Stob. serm.* 122. *de sepult. ex collectan. Nicol. de mor. gent.*

[b] Plat. in Tim. Arist. probl. 33. Cic. or. post red. Athen. lib. 2. cap. 25. Paul. IC. L. 44. D. de relig. &c.
[c] 6. Hexam. 9.
[d] Herod. lib. 2.
[e] Herod. lib. 3. Diodor. lib. 2. & 3. Strab. lib. 17.
[f] Herod. lib. 4. Solin. cap. 19.
[g] Zenodot. in Collectan. cent. 5. proverb. 25.
SCYTHARUM PIETAS ERGA DEFUNCTOS.
[h] Herod. lib. 4. Val. Max. lib. 5. cap. 4.
[i] Herod. lib. 4. Tert. de anim. cap. 57.

sis [b] appellatur : sedémque rationis & facultatum animæ ; quo & totus homo sæpè ab auctoribus designatur; quia, ut ait Ambrosius [c], totus homo in capite est.) auratum in templo augustissimo consecrâsse, ceremoniis haud dubium quàm maximè poterant sanctissimis, ac regiæ maiestati, locíque sanctitati, & sacratissimi membri dignitati convenientissimis. Paritérq; *Saitanis* [d] Reges qui imperitabant, intra septa templorum sepeliri assuevisse; hoc sepulturæ genus optimum, & pietatis ultimum officium non immeritò æstimantes. Ac quosdam ex *Æthiopibus* [e] corpora suorum, more Ægyptiorum arefacta, facie integrâ & viventi simili, thecis vitreis (ut habet Herodotus; seu potiùs aureis & argenteis vitro tectis, ut Diodorus ex (tesiâ) domi conservâsse; alios fictilibus vasis conditos circa templorum septa defodisse; pérque eorum sepulchra præstitum iusiurandum, maximum habitum, contra cuius religionem venire nefas existimabatur. Sed & *Scythas Essedones* [f] (quos vidimus paternis carnibus, eximiæ pietatis opinione, vesci consuevisse) capita defunctorum denudata, purgatáque inaurare, iísque pro simulacris uti solitos, agentes illis quotannis maiores hostias ceremoniasque. Idque ipsum factitâsse *Sidones* [g]. Memorandissimúmque pietatis hâc in re aliorum *Scytharum* facinus; quos alioqui plaustris vagos, & silvarum latebris corpora sua tegentes, in morúmque ferarum laniatu pecudum viventes, ipsi feritati ac barbariei nomen dedisse, communis fert loquendi usus. Cùm [h] enim Dario Hystaspis totis sui regni viribus in eorum regiones subinde impetum facienti, paulatim cedentes ad ultimas Asiæ solitudines pervenissent; interrogati ab eo per legatos, quem fugiendi finem, aut quod initium pugnandi facturi essent: responderunt, se nec urbes ullas, nec agros cultos, pro quibus dimicarent, habere; ceterùm cùm ad parentum suorum monumenta venissent, sciturum Darium quemadmodùm Scythæ præliari solerent. Quo quidem uno tam pio dicto (inquit Valerius Maximus) immanis & barbara gens, ab omni se feritatis crimine redemit. Quid *Nasamones* [i] referam

Libycos populos? qui tantam exhibebant ſepulchris reverentiam, manibúſque defunctorum quos benè vixiſſe crederent; ut cùm de re aliquâ dubiâ iurandum eſſet, id facerent illorum ſepulchra contingentes: cúmque divinandum eſſet, accederent ad maiorum monumenta, & illic ubi preces peregiſſent obdormientes, quodcumque per quietem inſomnium vidiſſent, eo uterentur. Quid *Celtas*[k], qui apud virorum fortium buſta eâdem de causâ abnoctabant? Et *Augilas*[l] qui circa Cyrenen, qui nullos Deos præter defunctorum manes agnoſcentes, per eos deierare conſueverant, eóſque ut oracula conſulebant; precatíque quæ volebant, ubi tumulis eorum incubuiſſent, pro reſponſis ferebant ſomnia? Quod & impius Iulianus Aug. obiecit[m] aliquando Chriſtianis; cùm videns eos advolvi ſolitos Sepulchris Martyrum, ait id ipſos præſtare exemplo Iudæorum, de quibus dixerat Iſaias[n], *In ſepulchris & ſpeluncis dormiunt propter inſomnia.* Quem apprimè refellit Cyrillus, docens dignum hoc fuiſſe apoſtatâ ſomnium: neque enim Chriſtianos ſepulchra Martyrum inviſere ad expiſcandas per inſomnia res futuras, ſed ad orationem, & venerationem membrorum Chriſti: nec Iudæos ea curâſſe umquam, niſi quando recedentes à cultu veri Dei ſervirent idolis quæ coleret Iulianus.

IURARE, ET DIVINARE AD SEPULCHRA.

k *Tert. ibid. Ado in Chron.*
l *Mela lib. 1. cap. 4.*
m *Ap. Cyril. lib. 10. in Iul.*
n *Cap. 65. verſ. 4. edit ſeptuag.*

II.

NOVI ORBIS PIETAS ERGA DEFUNCTOS.

Sed ut in Ethnicis modò perſiſtamus; his aliíſque eiuſmodi pietatis exemplis in barbaris gentibus vetuſtas, ſequentibus ſæcula noſtra ornata ſunt. Qui enim de gentibus Indiarum & Novi Orbis ſcripſerunt, aſſerunt[o] in Indiâ interiori morem eſſe, ut poſtquàm crematum eſt cadaver, cineres conſilio & auxilio ſacerdotum collocentur in vaſis aureis & argenteis, & condantur in locis ſecretis, ſacríſque ſuis idolis. Et in magnâ illâ & famoſiſſimâ Inſulâ Iaponiâ[p], defunctorum corpora honorificè deferri proceſſionaliter cum cantu ab ipſorum ſuperſtitionis religioſis & monachis (quos Bonzios vocant) intra ſepta monaſteriorum ſuorum, comitantibus ceteris funus cum cereis & facibus ardentibus; nefas ducentibus aliquid mercedis inde recipere, niſi ſpontè à propin-

o *Belleſor. in Coſmogr. & Hiſt. univerſ. Navig. Ramus: Fr. Lopez in Hiſt. Ind. Ioſ. Acoſt. in Hiſt. nat. Ind. &c. Adde Guichard. de Funer. lib. 3.*
p *Iid. & Franc. Solier. Hiſt. Iapon. lib. 2. cap. 14.*

quis defunctorum offeratur elemosynæ titulo. Horrendúmque quod referunt de portentosæ magnificentię aureis argenteísque sepulchris, immensísque thesauris in eis reconditis, repertis in Indiis Occidentalibus, ab Hispanis; qui nullas his paratiores incredibili suâ ad investigandum sagacitate fodinas nacti sunt, quarum exhaustione vastissimam illarum regionum olim frequentissimarum sacrosanctæ religionis specie efficerent desolationem; quam oculatissimi sacratissimæ fidei ipsorummet auctores [q] deplorare non suffecerunt. Tradunt etiam, in insulâ *Coma‹r›râ* cadavera mortuorum superstites siccata, pretiosis vestimentis & monilibus ornantes, in templis & oratoriis domorum suarum asservâsse. Et in regno *Cusco* sepulchra sua in campis vel nemoribus diis suis dicatis erecta habuisse. Ac denique *Mexicanos*, & universos partium illarum populos, ac præcipuè qui in iis generis nobilitate excellunt, sepulchra prope templa habuisse cum ædiculis & idolis: cunctísque summæ felicitati fuisse honorifica funera, quòd persuasum haberent, defunctos, qui meritis suis beatorum portum non attigissent, perventuros eò obsequiis funebribus. Quemadmodùm & *Floridæ* incolas aiunt [r] sumptuosâ gaudere magnoperè sepulturâ, eò sibi meliùs sperantes futurum post hanc vitam, quò splendidiora nacti fuerint monumenta. Et *Brasiliensibus* [s], ac *Canibalibus*, & in universum cunctis populis Novi Orbis sepulturam & funera eximio in pretio ac præcipuâ commendatione esse, Scriptores omnes fidem faciunt; sive quòd illæ gentes immortalitatis animæ credulitatem, quam & mordicùs tenent, hoc argumento demonstrare prætendant; sive ob amorem naturalem, quo nullus non homo suam carnem prosequitur. Sanè & antiquos Indos Diodorus [t] & Strabo referunt, per singulas civitates habuisse præfectos & ædiles, qui curam peregrinorum ægrotantium, & sepulturæ morientium haberent. Ac recentiùs *Samogithiarum* [u] gens Septemtrionalis habuit in silvis, quas ut sanctas, útque deorum suorum domicilia colebat, pyras & focos ad comburenda defunctorum cadavera.

[q] *Vide præcipuè librum Bartholomæi de las Casas, o Casaus, Episcopi Chiapensis Novæ Hisp. in Indiâ; patriâ Hispalensis, ordine Dominicani; editum linguâ Hisp. titulo* Destrucion do las Indias, *Hispali an.* 1552.

[r] *Bellefor. lib.* 4.

[s] *Ioan. Leri. Hist. Ameri Thevet. lib.* 12. *cap.* 1. *Guicbard. lib.* 5.

[t] *Diod. lib.* 2. *Strab. lib.* 15.

[u] *Io. Boëm. de mor. gent. lib.* 3. *cap.* 8. *Bellefor.* 3. *hist. univers.* 9.

vera. Et ferocissima *Tartarorum* natio, insigni hâc in re animi moderatione, maiorum suorum Scytharum insistens vestigiis (quos vidimus minùs tulisse impotenter vel se vel domicilia sua perdi, quàm maiorum suorum monumenta violari) tantam sepulchris deferre venerationem consuevit; ut cùm aliquando [x] urbem Mien in Indiâ ultra Gangen vi cepissent; nihilominùs sepulchrum cuiusdam Regis illius regionis, quod inæstimabili suo pretio vel cunctam indigentissimam Tartariam locupletare potuisset, intactum omninò reliquerint: nefas existimantes quicquam attingere ex iis quæ dicata defunctis essent, haud secùs ac quæ religioni sacra. Esséque nonnullos tradunt [y] tantæ in iustâ sui corporis collocatione superstitionis; ut ab eâ pendere animarum suarum felicitatem existimantes, quærant ab astrologis & sapientibus, quando mortuus cremandus, quando efferendus, quâ sit via ducendus, nequid fortè in eo peccetur quod æternum afferat detrimentum. Denique ex loco sepulturæ suorum Regum Imperij sui durationem metientes, quamdiu in sepulchro Changij primi sui Regis sepulti fuerint, numquam defecturum existiment. Quid, quòd fuisse dicuntur [z] gentes, quæ ossibus defunctorum loco nummorum uterentur in emptionibus & venditionibus?

[x] *M. Paul. Venet. lib. 2. cap. 44.*

[y] *Id. lib. 1. cap. 45. & 51. Haython. de Tart.*

[z] *Ortel. ad fi. theatri.*

III.
DE SINARUM FUNERIBUS.

Utrùm verò *Sinas* inter barbaros connumerare debeamus, dubitare faciunt quæ de iis scribuntur ab historicis: quibus si fides adhibeatur, tanta quoad artes mores, politiam, civilitatem, ac docilitatem eorum videtur esse præstantia, ut vix nostratia illorum similitudinem retineant. Tamen quòd proximè de Indis & Tartaris egerimus, síntque illis Sinæ ab occasu, istis à Septemtrione contermini; agamus sanè unâ operâ & de iis. Quantum autem isti sepulturæ officio ac funerum honori deferant, vel ex eo intelligi [a] datur, quòd funebres eorum ritus, nequis in iis peccandi licentiam habeat, quodam libro descripti habeantur; quem superstites ad quos funus spectat consulere tenentur, & ad rituum præscriptum singula peragere. Lugubris autem

[a] *De his, aliisque funerum, funebrisque luctûs Sinarum ritibus, agunt pluribus Didacus Pantoia, & Nicol. Trigautius in comment. de reb. sinar.*

eorum vestis non pulla, sed candida est, adeò ut etiam pileos & calceos eiusdem coloris gestent, & quibus facultas est etiam cubicula candidis pannis insternant. Inviolabilíque consuetudine receptum est, ut honores iidem defunctis parentibus reddantur à liberis, quibus eos vivos colere consueverant, ferculáque apponantur, ac luctus maximâ austeritate in triennium protrahatur: hâc sanè æquissimâ ratione, ut suis parentibus, qui primo ætatis triennio eos ulnis gestârunt, tantóque labore educârunt, vicem rependant. Qui si absfuerint sub parentum obitum, mox ut certiores de illo facti fuerint, confestim eo ipso loco quo tunc adesse contigerit, parentibus cenotaphium excitant; tum in patriam primo quoque tempore reverti per leges coguntur, quantumvis primarios gerant in Republicâ magistratus; nec antè eos resumere permittuntur, quàm funere facto triennij luctum domi explêrint: Quíque horum aliquid omiserit, velut impius & infamis odium incurrit ceterorum omnium. Fit autem elatio funeris magnâ pompâ, comitantibus etiam longâ serie ipsorum idolorum ministris, cum multiplicibus cantibus, precibus, aliisque solemnibus ac religiosis ritibus. Denique tantâ sollicitudine simul & ambitione his invigilant, ut tam suam, quàm suorum felicitatem, existimationémque, in eo vel maximè consistere putent, si speciosissimas, & quàm longissimæ perennitatis arcas, in quibus recondantur cadavera, & loca imprimis opportuna ubi sepeliantur, nacti fuerint: adeò ut his de rebus ne filiis quidem suis fidant, sed ipsimet eas dum vivunt, longâ desuper habitâ deliberatione & consultatione, procurent: quíque ea neglexerint, summè miseri existimentur. Nec sanè sine causâ; quandoquidem continuis ac quotidianis exemplis verum esse intelligitur, quod ut ait Plinius [b] Iunior scribens ad Albinum de monumento Virginij Rufi V. C. (quod etiam post decimum mortis annum imperfectum remanebât, non tam difficultate operis in causâ modici, ac potiùs exigui, quàm inertiâ eius cui cura mandata fuerat) *tam rara in-*

[b] 6. ep. 10.

QUAM FACILIS OBLIVIO DEFUNCTORUM.

amicitiis fides reperiatur, tam parata sit oblivio mortuorum, ut ipsi nobis debeamus etiam conditoria extruere, omniáque heredum præsidia præsumere.

CAPVT VIII.

De Græcorum & Romanorum existimatione, & pretio Sepulturæ ac Funeris.

I.

SED quia longior sim atque molestior, si singulas lustrare gentes, omniúmque sepeliendi ritus, ac de Sepulturæ & Funerum religione atque sanctitate sententias, leges, ac constitutiones recitare velim: omissis ceteris, quarum sacras, ac peculiares eâ in re ceremonias tam antiqui quàm recentes auctores, qui mores earum descripsêre, attigerunt; sat fuerit, si celebriorum quorumdam populorum, ac præcipuè GRÆCORUM & ROMANORUM immensa camporum spatia ineuntes, paulò copiosiores inde fructus colligamus; qui quod cessabit ex aliis, amœnitate simul & ubertate suppleant; síntque reliquorum omnium vicem præstaturi, quòd cùm multis aucti victoriis, ius imperij sui terrâ maríque protulerint, nihil apud alias gentes probi religiosique sibi visum est, quod non confestim in suos ritus transtulerint; nihílque ipsi probi religiosíque habuerint, quod non aliæ gentes per universum terrarum Orbem suum protinùs fecerint: ac denique ij populi palàm cunctis Ethnicis, & sapientiâ, & politiâ, & civilitate, & religione, omnibúsque omninò virtutibus, facinoribúsque, ac rerum sacrarum curâ & observatione longissimè anteierint. Sanè cùm omnium Philosophorum gravissimus Plato [c] integram absolutæ Reipublicæ formam componere voluit, inter *Iustitiæ* genera haud illam quæ ad defunctos pertinet omisit. Eiúsque discipulorum longè ceteris præstans ingenio & diligentiâ Aristoteles [d], partem Iustitiæ distributi-

GRÆCORUM ET ROMANORUM PRÆSTANTIA SUPRA CETERAS GENTES.

[c] *In Phædon. & Cratyl. & dial. 5. de Rep.*

IUSTITIA, ET PIETAS, DEFUNCTIS DEBITA.

[d] *Lib. de virt.*

væ ad eos pertinere ſcripſit: omninóque aſſerere non dubitavit [e], *defunctis opitulari iuſtius eſſe quàm vivis*. Et Pindarus [f], debitam eſſe mortuis ſuam legitimam partem. Pariterque Cicero [g] *Aequitatem*, id eſt pietatem, tripertitam faciens; unam ad Superos deos, alteram ad Manes, (hoc eſt, deos Inferos, ad quos ſpectabat res funeraria & Sepulchralis:) tertiam ad homines pertinere dixit. Ad quæ, aliáque eiuſmodi antiquorum teſtimonia, reſpiciens Servius [h] commentator Virgilij, ait eos qui de Pietatis generibus ſcripſerunt, primum locum in Sepulturâ eſſe voluiſſe: Ideóque Virgilium, qui Æneam ubique pium appingit, etiam circa ſepulturam ſordida ei tribuere officia, quæ in aliis denegat rebus. Et Claudianus [i] *pietatem pollutam* dicit, cùm quis alium privat ſepulturâ. Denique nihil hoc pietatis officio iuſtius exiſtimatum fuiſſe, vel inde certiſſimè conſtat, quòd ipſa Exequiarum funerúmque ſolemnia, Latini *Iuſta*, Græcis δίκαια, ſive etiam νομιζόμενα, & ἔθιμα, hoc eſt legitima, & conſueta, ac denique ὅσια, id eſt pia & ſancta dicere conſueſcerent [k]: nihilque frequentius apud Latinos, quàm *Iuſta facere*, *Iuſta ſolvere*, *Iuſta peragere*, pro obſequio funerali quod defuncto redditur. *Iuſtáque* inſuper dicta [l] Sepultura, quæ finem perfectum & abſolutum conſecuta eſſet: ac *Iuſtum* Sepulchrum, quod omni religionis ſolemnitate conſecratum. Nam & idem Cicero [m] *Iuſtitiæ* partes præcipuas conſtituit *Religionem*, quæ propriè in Deum eſt, ac *Pietatem* quæ in parentes & patriam, ac ſubſequenter in ceteros quoſcumque homines. Et ex noſtris Auguſtinus [n], *Pietas* (inquit) *propriè Dei cultus intelligi ſolet, quam Græci εὐσέβειαν vocant. Hæc tamen & erga parentes officiosè haberi dicitur. More autem vulgi hoc nomen etiam in operibus miſericordiæ frequentatur: quod ideò arbitror eveniſſe, quia hæc fieri præcipuè Deus mandat, eáque ſibi vel pro ſacrificiis, vel præ ſacrificiis facere teſtatur.* Indéque & Ulpianus [o] alieni funeris curam, *pietati, humanitati, & miſericordiæ* tribuit. Et priùs Seneca [p] *naturæ & humanitati*; dum ſcri-

e Problem. ſect. 29. q. 9.
f In Olymp. od. 8. antiſtro. ult.
g In Topic.
h In Aen. 6.
i De Bell. Gildon. ante fin.
k Exempla ext. in Lex. Gr. & Lat.
l D. & C. de relig. & de ſepul. viol. & paſſim apud auctores.
m Lib. 2. de Invent.
n 10. de civit. 1.
o L. & ſi quis. 14. § 7. D. de relig.
p 5. de benef. 20.

psit: *Si terram ignoto mortuo inieci, nullum habeo huius officij debitorem, in publicum humanus.*

Quinimmò & ipsam sepulturam ab ipsismet Diis originem traxisse, docuit imprimis Euripides [q], dum Aethram Thesei parentem, & Argivas matres, ipsúmque Theseum, aduersùs Creontem Thebanorũ Regem commotum inducens, quòd sepulturam negaret Argivorum à se cæsorum cadaveribus, sepulturam appellat *Legem antiquam Deorum;* eiúsque curam, *sanctum quid ad Deos pertinens:* & qui eam inhibent, *Iura* dicit *violare Deorum.* Ac pariter Isocrates [r], eumdem Theseum & Athenienses sæpiùs laudat *pietatis erga Deos,* quòd eâ de causâ suppetias ierint Argivis, nec siverint *veterem consuetudinem, patriásque leges dissolvi, quibus omnes homines utebantur, non ab humanis ingeniis sancitis, sed tamquam divino numine constitutis.* Et Sophocles [f] Antigonem eidem Creonti, de sepulto ab ipsâ contra eius prohibitionem Polynicis fratris sui cadavere, minitabundè indignanti, sic respondentem facit, ut hoc ius sepulturæ divinum esse asserat: hâncque eius assertionem Aristoteles [t] semel iterúmque approbat. Percontanti namque Creonti, quo ausu edictum suum violare præsumpsisset, magno animo respondet Antigone:

II. SEPULTURÆ OFFICIUM A DIIS ORTUM.

[q] In Supplic.

[r] In Hel. encom. & in panegyr. & in Panathen.

[f] In Antigon.

[t] Lib. 1. Rhet. ad Theod. cap. 13. & 15.

Non enim Iuppiter hæc mandaverat,
Neque socia inferorum Deorum, Vindicta,
Qui has leges hominibus dederunt.

(hoc est, sepeliendi mortuos, & debitis honoribus prosequendi:)

Neque posse tantùm putavi
Tua edicta, ut non scriptas, & certas Deorum
Leges possis mortalis violare.
Non enim nunc aut heri, sed semper
Vigent, & nullus scit quando editæ sint.
Has ego non debui metu cuiusquam
Violare, & pòst apud Deos pœnas dare.

Rursúmque hoc officium, *Ius Deorum* & *honorem Dei* ap-

[u] In Aiac. Mastig.

pellat. Et apud eumdem Sophoclem [u] Teucer ad Menelaum prohibentem ſepeliri cadaver Aiacis Telamonij fratris ſui, ait illum hoc facto *Deorum iura ſacrata violare, ipsóſque Deos contumeliâ afficere.* Ac pariter de eâdem re Agamemnonem rogat Ulyſſes, ne ſepulturam inhibendo *divinas leges, ac Deorum proculcet iura.*

III. SEPULTURÆ CURAM DII GRÆCORUM HABUERUNT.

[x] Il. π.
[y] Il. ω.

Unde & ipſum Iovem, Divûm patrem atque hominum Regem, præcipuam habuiſſe curam Sepulturæ Sarpedonis à Patroclo occiſi, finxit Homerus [x], dum eam commendavit Apollini; necnon & Hectoris ab Achille interempti, dum unà cum ceteris Diis vehementer iratus quòd Achilles inſepultum eum detineret, Thetidem ad eumdem Achillem miſit [y], cum mandatis ut cadaver Hectoris ad ſepulturam reſtitueret; & Iridem ad Priamum, ut auro filium Hectorem redimeret; ac denique Mercurium, ut inter nocturnas hoſtium excubias Priamum ad Achillem securè deduceret cadaver repetiturum. Aliâſque ſæpè cùm idem Iupiter, tum alij Dij ab eodem aliiſque eiuſmodi auctoribus, præcipuam habuiſſe diverſorum hominum ſibi charorum ſepulturæ curam finguntur. Adeò ut & Thetis apud Lycophronem [z] Aiaci Oileo, quamquam omnibus cælitibus ob vim Caſſandræ illatam odioſiſſimo, naufragio extincto propriis manibus ſepulturam dederit. Idémque Homerus Niobes liberos, qui novem dies inſepulti iacuerant, decimo ab ipſis Diis ſuperis ſepulturæ traditos eſſe affirmat. Quos quidem *Deos ſuperos* cùm Euſtathius interpretetur viros optimos illius regionis; inde & videas eos vocatos eſſe Deos ab Homero, quòd hoc officium divinum exhibuerint. Gratiſſimúmque Superis fuiſſe officium ſepulturæ exhibitum Lycurgo Lacedæmoniorum Legiſlatori, viro Diis gratiſſimo atque ſanctiſſimo, ac poſt eum Euripidi poëtæ; ipſos demonſtrâſſe Plutarchus [a] innuit, dum ſepulchra eorum de cælo tacta ſunt. Et Sophoclem tragici cothurni principem Athenis defunctum, (ut narrat Plinius [b]) ſepeliri Liber Pater iuſſit, obſidentibus mœnia Lacedæmoniis; Lyſandro eorum duce in quiete ſæpiùs admonito, ut pateretur humari delicias ſuas: qui requi-

[z] In Caſſan.

[a] In Lycurg. in fi.

[b] Lib. 7. c. 29.

rens quis supremum diem Athenis obiisset, nec difficulter ex iis quem Deus significâsset intelligens, pacem funeri dedit. (quòd videlicèt neminem liceret intra urbem Athenarum sepelire, sed extrà deferenda essent defunctorum cadavera: uti etiam obtinuit apud plerosque alios populos, cùm aliis de causis, tum ne fœtore [c] humatorum corporum viventes inficerentur; ac propter ignis [d] periculum, quando comburerentur: tum etiam maximè ut cùm in viis publicis, & agris, sicuti fiebat, conditi cernerentur, qui illàc transirent, clarorum hominum memoriâ accenderentur ad eorum imitationem: exceptis tamen ubique aliquibus insignioribus viris, quibus honoris causâ etiam intra urbes locis celebrioribus sepulturam exhibitam legimus. [e]) Et apud Virgilium [f], inter tria, quæ Sibylla Æneæ necessaria esse dicit ad ineundam tantoperè ab ipso concupitam inferorum peregrinationem, id præcipuè ponit, ut corpus exanimum Miseni ad litus insepulti iacentis tumularet.

SEPULCHRA EXTRA URBES, ET QUARE.

[c] Isidor. 15. Orig. 1.

[d] Cic. lib. 2. de leg.

[e] Vid. Plut. in Vitis, &c.

[f] Æn. 6.

Sedibus hunc refer antè suis, & conde sepulchro:
Sic demùm lucos Stygios, regna invia vivis
Aspicies.

Et apud Diodorum [g], cùm parentes Cybeles in Phrygiâ Attin, qui cum eâ consueverat, occidissent, & insepultum abiecissent, paulóque pòst Phryges à morbo invasi, & terræ sterilitate pressi, de remedio consuluissent Oraculum; responsum acceperunt, ut Attidis corpus sepelirent. Pariterque apud Pausaniam [h], cùm Caphyenses in Arcadiâ quosdam pueros insontes lapidibus obruissent, indéque morbus quidam feminas incessisset, ut omnes per abortum fœtus abiicerent mortuos; non antè malum cohiberi potuit, quàm Oraculi monitu iussi sunt Sepulturæ pueris honorem habere. Sicut & Orchomenij [i] vexati à larvâ Actæonis, qui laceratus fuerat à canibus, consulto Oraculo Delphico iussi sunt, siquas reperissent Actæonis reliquias, eas ut terrâ tegerent. Et Lucani [k] cùm ob interfectum Palinurum pestilentiâ laborarent, responso ab Oraculo accepto Manes Palinuri placandos esse, lucum ei dicàrunt, & cenotaphium erexe-

[g] Lib. 4.

[h] In Arcad.

[i] Pausan. in Boeo.

[k] Serv. in Æn. 6.

[l] In Antig. runt. Pariterque apud Sophoclem[l] Tiresias vates *iram Deorum gravem* nunciat Creonti Thebanorum Regi ob non sepultum Polynicen. Sicuti & apud Homerum[m] Elpenor insepultus monet Ulyssem ut corpus suum sepeliat, ne qua ipsi ob talem neglectum *Deorum indignatio fiat*. Et apud Horatium[n] Architas Tarentinus naufragus, post imploratam à transeuntibus sepulturam, minatur, nisi conferant;

[m] Odyss. λ.

[n] 1. od. 28.

SEPULTURÆ NEGLECTUS, PIACULUM APUD GR. ET ROM.

Negligis immeritis nocituram
Postmodò te natis fraudem committere? fors &
Debita iura, vicésque superbæ
Te maneant ipsum: precibus non linquar inultis,
Téque piacula nulla resolvent.

Quare & conspicatus quidam alius[o] naufragi cadaver insepultum & neglectum, præterire non est ausus, sed sepelut, spectaculúmque Soli minimè gratum humano instituto occultavit. Quod & corpori Horatiæ occisæ Romæ à fratre, & insepultæ proiectæ, à prætereuntibus metu piaculi præstitum, Dionysius[p] narrat. Id verò non solùm omittens, sed etiam sacrilegè calvariam defuncti lapide impetens Achillas quidam, pœnas eodem momento luit; ut ex veteri[q] Epigrammatistâ Græco sic descripsit Ausonius[r]:

[o] Ap. Suid. verb. ἀναιδὴς.

[p] Lib. 3.

[q] Antholog. lib. 1. cap. 22.

[r] Epigr. 71.

Abiectè in triviis inhumata glabra iacebat
Testa hominis, nudum iam cute calvitium.
Fleverunt alij, fletu non motus Achillas,
Insuper & silicis verbere dissecuit.
Eminùs ergò icto rediit lapis ultor ab osse,
Actorísque sui frontem oculósque petit.

Expressiùs verò Græcus habet, lapidis repercussione iactorem visu privatum fuisse, ac rursùm in Orco pœnas dedisse. Unde etiam Rex Persarum Artaxerxes Mnemon (ut narrat Plutarchus ex Ctesiâ) cùm captos Græcos Duces qui à Cyro ipsius fratre steterant, obtruncatósque, feris & alitibus laniandos abiecisset; videns Clearchi Lacedæmonij cadaveri venti procellam cumulum terræ excitâsse, atque iniecisse corpori, ídque contexisse, eodémque loco enato palmeto, brevi eximium nemus

nemus excrevisse, ac locum inumbrâsse: magnâ Rex ductus est pœnitentiâ, quòd virum peremisset, quem Dij sibi charum fuisse eiusmodi exhibitione sepulturæ ostendissent. Nec omittimus Simonidi poëtæ exhibitione sepulturæ repensam dici [f] dono vitæ, dum qui ignotum quemdam proiectum mortuum vidisset, eúmque humavisset, haberétque in animo navem conscendere; moneri visus est ne id faceret, ab eo quem sepulturâ affecerat; si navigâsset, eum naufragio esse periturum: itaque Simonidem redisse, perîsse ceteros qui tum navigâssent. Et piscator [t] ille, qui tractum naufragi caput, miseratus mortuum, sine ligone ferreo manu fodiens terram, tumulum ei erexit, amplam invenit mercedem, reconditum auri thesaurum. Quemadmodùm & Ptolemæus Lagi filius, ob Alexandri Magni corpus (sumptuosissimo omnium funere ab Aridæo è Babylone in Ægyptum deductum) insigni magnificentiâ acceptum, & exequiarum iustis ac sacrificiis heroicis, ludísque celeberrimis sepultum; *non ab hominibus tantùm*, (inquit Diodorus [u]) *sed Diis etiam amplam remunerationem accepit*.

EXHIBITIO DIVINITUS REPENSA.

[f] Cic. lib. 1. de divin. Val. Max. lib. 1. cap. 7.

[t] Anthol. l. 1. cap. 27.

[u] Lib. 18.

IV.

Denique ut alia eiusmodi plurima omittam, scribit Diodorus [x] existimatum à Gentibus fuisse, Plutonem, unum ex maximis ipsorum Diis, usum Sepulturæ, exequiarum, ac totius funeralis ritûs primò ostendisse hominibus; eáque de causâ accidisse, ut defuncti in eius potestate esse dicerentur, & Inferorum ei principatum antiquitas delegârit. Quem & ἅδην, sive ἀΐδην, hoc est Orcum, seu Tartarum vocârunt: Romani *Ditem patrem*, & *Summanum*, quasi Summum Manium, hoc est Deorum Inferorum: cui etiam Romani nocturna fulmina (ut Plinius [y] & Augustinus [z] scribunt) tribuebant, & magis colebant quàm Iovem, ad quem diurna fulmina pertinebant.

[x] Lib. 5. c. 15.

PLUTO DEUS, AUCTOR REI FUNEREÆ.

[y] Lib. 2. c. 52.

[z] 4. de civ. 23.

V.

SEPULTURÆ SANCTITAS APUD SINGULOS GRÆCORUM POPULOS.

Quare & nihil non egerunt, quo sepulturæ ac funerum religionem, & sanctitatem in omnibus testatam redderent. Atque imprimis apud Athenienses (ubi, sicut ait Cicero [a], nata & alta est ratio ac moderatio vitæ,

[a] 6. Epist. 1. & orat. pro L. Flac.

[l] *In Antig.* runt. Pariterque apud Sophoclem [l] Tiresias vates *iram Deorum gravem* nunciat Creonti Thebanorum Regi ob non sepultum Polynicen. Sicuti & apud Homerum [m] Elpenor insepultus monet Ulyssem ut corpus suum sepeliat, ne qua ipsi ob talem neglectum *Deorum indignatio fiat.* Et apud Horatium [n] Architas Tarentinus naufragus, post imploratam à transeuntibus sepulturam, minatur, nisi conferant;

[m] *Odyss.* λ.

[n] *1. od. 28.*

SEPULTURÆ NEGLECTUS, PIACULUM APUD GR. ET ROM.

Negligis immeritis nocituram
Postmodò te natis fraudem committere? fors &
Debita iura, vicésque superbæ
Te maneant ipsum: precibus non linquar inultis,
Téque piacula nulla resolvent.

Quare & conspicatus quidam alius [o] naufragi cadaver insepultum & neglectum, præterire non est ausus, sed sepeliit, spectaculúmque Soli minimè gratum humano instituto occultavit. Quod & corpori Horatiæ occisæ Romæ à fratre, & insepultæ proiectæ, à prætereuntibus metu piaculi præstitum, Dionysius [p] narrat. Id verò non solùm omittens, sed etiam sacrilegè calvariam defuncti lapide impetens Achillas quidam, pœnas eodem momento luit; ut ex veteri [q] Epigrammatistâ Græco sic descripsit Ausonius [r]:

[o] *Ap. Suid. verb.* ἀκηδὴς.

[p] *Lib. 3.*

[q] *Antholog. lib. 1. cap. 22.*

[r] *Epigr. 71.*

Abiectè in triviis inhumata glabra iacebat
Testa hominis, nudum iam cute calvitium.
Fleverunt alij, fletu non motus Achillas,
Insuper & silicis verbere dissecuit.
Eminùs ergò icto rediit lapis ultor ab osse,
Auctorísque sui frontem oculósque petit.

Expressiùs verò Græcus habet, lapidis repercussione iactorem visu privatum fuisse, ac rursùm in Orco pœnas dedisse. Unde etiam Rex Persarum Artaxerxes Mnemon (ut narrat Plutarchus ex Ctesiâ) cùm captos Græcos Duces qui à Cyro ipsius fratre steterant, obtruncatósque, feris & alitibus laniandos abiecisset; videns Clearchi Lacedæmonij cadaveri venti procellam cumulum terræ excitâsse, atque iniecisse corpori, ídque contexisse, eodémque loco enato palmeto, brevi eximium

nemus

nemus excrevisse, ac locum inumbrâsse: magnâ Rex ductus est pœnitentiâ, quòd virum peremisset, quem Dij sibi charum fuisse eiusmodi exhibitione sepulturæ ostendissent. Nec omittimus Simonidi poëtæ exhibitione sepulturæ repensam dici [f] dono vitæ, dum qui ignotum quemdam proiectum mortuum vidisset, eúmque humavisset, haberétque in animo navem conscendere; moneri visus est ne id faceret, ab eo quem sepulturâ affecerat; si navigâsset, eum naufragio esse periturum: itaque Simonidem redisse, perîsse ceteros qui tum navigâssent. Et piscator [t] ille, qui tractum naufragi caput, miseratus mortuum, sine ligone ferreo manu fodiens terram, tumulum ei erexit, amplam invenit mercedem, reconditum auri thesaurum. Quemadmodùm & Ptolemæus Lagi filius, ob Alexandri Magni corpus (sumptuosissimo omnium funere ab Aridæo è Babylone in Ægyptum deductum) insigni magnificentiâ acceptum, & exequiarum iustis ac sacrificiis heroicis, ludísque celeberrimis sepultum; *non ab hominibus tantùm*, (inquit Diodorus [u]) *sed Diis etiam amplam remunerationem accepit*.

EXHIBITIO DIVINITUS REPENSA.

[f] Cic. lib. 1. de divin. Val. Max. lib. 1. cap. 7.

[t] Anthol. l. 1. cap. 27.

[u] Lib. 18.

IV.

PLUTO DEUS, AUCTOR REI FUNEREÆ.

Denique ut alia eiusmodi plurima omittam, scribit Diodorus [x] existimatum à Gentibus fuisse, Plutonem, unum ex maximis ipsorum Diis, usum Sepulturæ, exequiarum, ac totius funeralis ritûs primò ostendisse hominibus; eáque de causâ accidisse, ut defuncti in eius potestate esse dicerentur, & Inferorum ei principatum antiquitas delegârit. Quem & ᾅδην, sive ἀΐδην, hoc est Orcum, seu Tartarum vocârunt: Romani *Ditem patrem*, & *Summanum*, quasi Summum Manium, hoc est Deorum Inferorum: cui etiam Romani nocturna fulmina (ut Plinius [y] & Augustinus [z] scribunt) tribuebant, & magis colebant quàm Iovem, ad quem diurna fulmina pertinebant.

[x] Lib. 5. c. 15.

[y] Lib. 2. c. 52.

[z] 4. de civ. 23.

V.

SEPULTURÆ SANCTITAS APUD SINGULOS GRÆCORUM POPULOS.

Quare & nihil non egerunt, quo sepulturæ ac funerum religionem, & sanctitatem in omnibus testatam redderent. Atque imprimis apud Athenienses (ubi, sicut ait Cicero [a], nata & alta est ratio ac moderatio vitæ,

[a] 6. Epist. 1. & orat. pro L. Flac.

& unde humanitas, doctrina, religio, iura, leges ortæ; atque in omnes terras distributæ putantur) ex sapientissimi Solonis, aliisque etiam antiquioribus legibus, Iusta [b] funerum ad Interpretes Religionum pertinuerunt: hoc est ad Pontifices, quibus divina quæque curæ erant. Aitque Pausanias in Atticis, in curiis, seu pagis extra urbem, & in viis passim sita fuisse simul Deorum templa, heroúmque & hominum sepulchra. Ælianus [c] verò, fuisse aliam ibidem legem, ut qui in insepultum hominis cadaver fortè incidisset, omninò eum sepulturæ traderet. Cuiusmodi pietatis officium, qui per contemptum aut neglectum omittebant, eos Scholiastes Sophoclis [d] impios & execrabiles existimatos fuisse ait. Fuéruntque istiusmodi à Buzige [e] & Epimenide diris execrationibus devincti, ac furiis maniisque devoti. Et Demosthenes [f] impium atq; scelestum vocat, qui mortuum non sepelisset. Pariterque Lycurgus, concessu omnium legislator prudentissimus, cautissimúsque, in suâ Spartâ (cuius civitatis, ut idem ait Cicero [g], spectata ac nobilitata virtus, non solùm naturâ corroborata, verùm etiam disciplinâ putatur) sepeliendi ritum, inquit Plutarchus [h], dispensavit optimè, dum omnem eximens superstitionem, non solùm funerare in urbe mortuos permisit, verùm etiam sepulchra templis proxima ædificari voluit; quò & habens ante oculos religiosarum huiusmodi rerum monumenta iuventus, assuesceret non timere vel horrere mortem, nec eos qui cadavera attingerent, vel feralia attrectarent, aut per sepulchra transirent, pollutos censere. Et qui à Lacedæmoniis originem duxêre Tarentini, & cum eis cognatione iuncti fuêre, (inquit Polybius [i]) cùm olim iis à Deo sors edita fuisset, melius ipsis magísque ex animi sententiâ res cessuras, si habitarent cum pluribus; ita rem interpretati sunt, tum demùm ex oraculi mente beatissimam fore quam incolebant urbem, quando etiam fato functos intra mœnia recepissent: ac propterea mortuos suos intra urbis ambitum diligenter sepelierunt. Quinimmò & apud Argivos cadavera in locis Diis sacris sepeliri consuevisse, ex Euripide [k] intelligitur; dum Medęa promittit.

SEPULTURA INTRA URBES, ET TEMPLA.

[b] *Plat lib. 12. de leg. Cic. l. 2. de leg.*
[c] *5. Var. 14.*
[d] *In Antig*
[e] *Brod annot. in Archel. lib. 3. cap. in Naufrag.*
[f] *Orat. 1 cont. Aristog.*
[g] *Orat. pro Flac.*
[h] *In Vit. Lycur. & tract. de instit. Lacon.*
[i] *Lib. 8*
[k] *In Meda. ad fi.*

Iasoni, se filiorum corpora sepulturam in luco Iunonis Acrææ. Pariterque Platæenses legimus[l] Euchidam, qui ignis puri è Delphis excipiendi causâ mille stadia uno die emensus fuerat, in Euchiæ Dianæ fano funerâsse: quo indicatur, id ipsum eos viris de Republicâ optimè meritis præstare consuevisse; ut scilicèt in templis Deorum tumularent. Et apud Pausaniam videre est plurimorum aliorum Sepulchra in templis & fanis posita.

VI.

Apud Romanos item (quos pietate, ac religione, atque hâc unâ sapientiâ, quòd Deorum immortalium numine omnia regi gubernariq; perspexerunt, omnes gentes nationésque superâsse, scripsit Cicero[m]) Numa secundus eorum Rex, Religionisq; institutor, Pontificibus curam dedit Iustorum funebrium, docens illos (inquit Plutarchus[n]) nihil ut eorum pollutum arbitrarentur, sed ut Deos quoque Inferos colerent, qui præstantissimam nostri partem recipiant: (quibus imperium est animarum, ut loquitur Virgilius[o]) ac præ ceteris *Libitinam* Deam rei funerariæ præsidem; quam eamdem cum Venere Deâ generationis esse existimabant. In cuius etiam æde, quæ ad funebres apparatus pertinerēt, asservari ac curari voluit: quò intelligerent homines, caducum esse quicquid natum est, nec procul exitum ab ortu, aut exodiū ab exordio abesse, cùm unam eamdémque deam & ortibus hominum & interitibus præsidere cernerent. Indéque *Libitinarÿ*[p] dicti, qui funebria ministeria obibant; & *Libitina* tam ipsa mors & funus[q], quàm quicquid ad funus curandum[r] necessarium; nec non & ferale ipsum[s] officiū Libitinariorum, & lectuli[t] in quibus mortui efferebātur: ac denique *Libitinensis*[u] *porta* in Amphitheatro, per quam funera in spectaculis interfectorum exportabantur. Fuisséque pariter Pontificum muneris, etiam idonea loca Sepulchrorum designare, ex Cicerone[x], Dione[y], Inscriptionibus[z] antiquis, aliísque auctoritatibus constat. Denique ipsas XII. Tabularum Leges (quæ Ciceroni[a] tantæ æstimationi fuerunt, ut Bibliothecas omnium Philosophorum, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare existimaverit) nihil ferè tantâ diligentiâ perse-

LIBITINA DEA REI FUNERIÆ PRÆSES.

LEGES XII. TABUL.

[l] *Ap. Plutar. in Aristid.*
[m] *Orat. de arusp. resp.*
[n] *In Num. & q. Rom. 13.*
[o] *Aen. 6.*
[p] *Senec. 6. de benef. 38. Ulp. l. cuicumque S. D. de inst. act.*
[q] *Horat. 3. od. 30. & 2. ep. 1.*
[r] *Livi. lib. 40.*
[s] *Val. Max. lib. . cap. 2.*
[s] *Sidon. . ep. 8.*
[u] *Lamprid. & Dio in Commod.*
[x] *Lib. 2. de leg.*
[y] *Lib. 48. ad fi. de Oppio.*
[z] *Vid. Laz. de Rep. Rom. li. 3. cap. 11. Gruter. Inscript. in Indic. cap. 17.*
[a] *Li. 1. de Orat.*

qui, quàm quæ ad funera & ſepulturam pertinent; ex earum inſpectione intelligere licet; tamquam omnium ſacrorum hoc eſſet, in quo minùs peccare liceret. Adeò ut qui acceptâ iure hereditate (ut ait Feſtus [b]) iuſta facere defuncto omiſiſſet, ſeu quid in eâ re turbâſſet, ſuo capite luere deberet. Vel ſaltem (ut eſt apud eumdem [c], alióſque [d]) qui mortuo iuſta non feciſſet (id eſt glebam non in os iecisset) aut in faciendo peccâſſet, ex decreto Pontificum præcidaneam porcam Telluri & Cereri quotannis, antequàm nouas fruges guſtaret, mactare teneretur.

[b] Verb. Everriator.
[c] Verb. Præcidan.
[d] Var. lib. . de Vit. Pop. Rom. ap. Non. cap. 1. Mar. Victor. li. 1. art. Gram. cap. de orthogr.

VII.

OLIM FLAMINI DIALI INTERDICTUM, MORTUUM INSPICERE.

Quare etiam quod ſcribit Aulus [e] Gellius ex Fabio Pictore, Flamini Diali, qui Iovi ſacra faciebat, nefas fuiſſe locum in quo Buſtum erat ingredi; ídque ipſum ad ceteros quoque Pontifices alij variis antiquorum ſcriptorum teſtimoniis extendunt, quibus nec cadavera ſtudiò ſpectare ipſis fas fuiſſe ſignificatur: his quidem contradicit diſertè Dio [f] Senator Romanus & bis Conſul, rerúmque Romanarum ſcriptor diligentiſſimus, qui iſta ſcire omninò potuit, & debuit in curâ illâ rerum ſcribendarum: dum agens de Auguſto Imp. qui dicebatur laudationem Agrippæ velo ante mortuum expanſo recitâſſe: *Id cui rei factum* (inquit) *mihi non liquet. Qui enim dicunt ita constitutum, quòd Auguſtus eſſet Pontifex, errare videntur: quippe Pontifici minimè eſt interdictum cadavera inſpicere.*

[e] Lib. 10 c. 15.
[f] Lib. 54.

ID POSTEA MUTATUM.

FUNERA DIIS INFERIS, NON SUPERIS SACRA.

Ut omninò ſi utramque ſententiam veram dixerimus, debuerit vetuſta conſuetudo, Dionis ævo, qui vitam produxit uſque ad ultima Alexandri Mammææ tempora, in deſuetudinem abiiſſe; cognitâ fortè conſuetudinis antiquæ vanitate. Et utcumque id ſe habuerit, haud ſanè minùs ex eo quod quicquid diis ſuperis ſacrum eſſet, id vel aſpectu mortui vel contactu contaminari putabatur, Sepultura & Sepulchra inter res ſacras cenſeri, & quæ ad illa pertinerent à Pontificibus adminiſtrari deſinebant: ſed ſacras Diis Inferis, ſeu Manibus, quorum ceremoniæ diverſæ [g] penitùs erant à Superorum ritibus: adeò ut cùm Feralia feſta celebrarentur, ceſſarent [h] omninò ſacrificia Deorum ſuperorum. Sicuti & Servius illud Virgilij [i],

[g] Vid. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 26 & ibi Tiraquel. Lil. Gyrald. Syntagm. 17. cap. de Infer. ſacr.
[h] Ovid. Faſt. 2. & 5. & conſol. ad Liv. Plutar. in quaſt. Rom. &c.
[i] Aen. 13.

Nos iuvenem exanimum, & nil iam cælestibus ullis
Debentem, vano mæsti comitamur honore:

Itémque illud [k],

——Vos ô mihi Manes
Este boni, quoniam superis aversa voluntas:

ait hæc ita dicta à Poeta fuisse, quòd illi antiqui persuasum haberent, vivos Superorum Deorum esse, mortuos autem ad Inferos pertinere. Quemadmodùm & Aiax apud Sophoclem [l], cùm destinans mori audiret Tegmessam obtestantem per Deos ne se perderet; respondet *se nihil ampliùs debere Diis*; nempè Superis, per quos illa obtestabatur. Indéque & superis Diis nefas fuisse mortuos intueri, Diana & Apollo apud Euripidem [m] aiunt. Solus Mercurius communis erat Superis, Inferísque; & ut ait Claudianus [n],

——Commune profundis
Et superis numen, qui fas per limen utrumque
Solus habet, geminóque facit commercia mundo.

VIII. RES FUNERARIA AD PONTIFICES PERTINEBAT.

Denique ad Pontifices tam de cælestium Deorum sacrificiis, quàm de funeribus iustisque exhibendis, placandísque Manibus ac supernis infernísque Diis, de sepulchris eorúmque ceremoniis, ac de omni demùm religione, pietate, ac sanctitate, curam pertinuisse, iam vidimus, & ex Cicerone [o], Livio [p], Dionysio [q], Plutarcho [r], aliísque plurimis qui de his scripserunt, certissimè constat. Sed nec fuisse ipsi Flamini Diali, aliísque Pontificibus prohibitum funera exequi ac ducere, idem A. Gellius eiusdem Fabij Pictoris auctoritate testatur: & exemplis probatur ipsiusmet Augusti corpus Drusi [s] patris Germanici Ticino Romam deducentis, neque à corpore abscedentis; eiusdémque funus Agrippæ [t] efferentis, & posteà Tiberij æquè Pontificis Maximi haud à corpore [u] Augusti abscedentis, & quorundam illustrium [x] exequias ad rogum usque frequentantis: & anteà funeris Syllæ [y], quod Sacerdotes, Vestalésque suo quisque ordine deduxerunt: & iam olim ipsius Numæ Regis, cuius [z] lectum Sacerdotes deorum ad sepulturam prosequuti sunt: ac postmodùm eiusdem Augusti defuncti;

[k] Æn. 12
[l] In Aiac. Mastig.
[m] In Hippol. ad fi. & Alcest. ad pr.
[n] De rapt. Proserp. lib. 1.
[o] Lib. 2. de leg. & or. pro domo suâ.
[p] Lib. 1.
[q] Lib. 2.
[r] In Num.
[s] Tac. Annal. 3.
[t] Ap. Dion. lib. 6.
[u] Tac. Annal. 1.
[x] Ap. Suet. in Tiber. cap. 32.
[y] Ap. Appian. lib. 1. de bel. civil.
[z] Plut. in Num.

cuius corpus dum Nolâ, ubi mortuus est, Romam ad sepulturam deferretur, interdiù in Basilicâ [a] cuiusque oppidi, vel in ædium sacrarum maximâ reponebatur: censuitque pars Senatûs, legenda eius ossa per Sacerdotes summorum collegiorum. Et ut præter consuetudinem hæc facta concesserimus, sanè ritè eius rogum Sacerdotes circumierunt [b]; sicut & deinceps aliorum Principum, summorúmque virorum quibus funus publicum decernebatur. Quinimmò & Germanicum Cæsarem, cæsorum clade Varianâ veteres ac dispersas reliquias uno tumulo humaturum, colligere suâ manu, & comportare primum aggressum esse; Suetonius [c] scribit; Imperatorem ipsum, & auguratu ac vetustissimis ceremoniis præditum, ut Tacitus [d] habet. quamvis id Tiberio haud probatum dicat, cuncta Germanici in deterius trahenti. Denique nulli non notum, publicos Sacerdotes atque Pontifices quorumvis hominum funeribus adstitisse; qui post cadaverum humationem, sive cremationem, ac cinerum cum ossibus collocationem, ter glebam iniiciebant, quo sepulchrum fieret religiosum; exinque circumstantes aspersione lustrabant; ac postremò novissimum verbum conclamabant, *Ilicet*. Quod & in reliquis sacris usitatum erat, cùm re divinâ & ceremoniis concelebratis, populus missus fiebat: sicuti apud Græcos functus mysteriis Sacerdos, λαοῖς ἄφεσις, hoc est populis missio, succlamare mos erat.

[a] Suet. in Aug. cap. 100.
[b] Dio lib. 56.
[c] In Calig. cap. 3.
[d] Annal. 2.

IX. Ex sepulchris templa orta.

Quinimmò & ex Sepulchris apud Græcos initium Templa duxisse, & quæ priùs hominũ *Sepulchra* fuissent, magnificentiùs condita *Templorum* appellatione vocata esse, & docuit olim antiquissimus Euhemerus [e] Messanensis, dum mortes & sepulturas Deorum demonstravit; & confirmavit Tullius [f], dum illorum Deorum qui maiorum gentium dicebantur, sepulchra in Græciâ demonstrata fuisse scribit: & expressiùs ex nostris accuratissimi Scriptores, Clemens [g] & Cyrillus [h] Alexandrini, Eusebius [i] Cæsariensis, Tertullianus [k], Arnobius [l], Lactantius [m], & Augustinus [n] Afri, Theodoretus [o] Cyrensis,

[e] Ap Cic. l. 1. de nat. deor. ad fi. & Lact. 1. Inst. 11.
[f] Tuscul. 1.
[g] In protrept.
[h] 10. in ul.
[i] Lib. 2. de præpar.
[k] Apol. c. 10. & ad Nation. lib. 2.
[l] Lib. 1. & 2. cont. Gent.
[m] 1. Inst. 15.
[n] 8. de civit. 26.
[o] De cur. Gr. aff. lib. 8.

& alij qui pro Christianis scripserunt; multis exemplis, adversus deorum cultores, tum id ipsum, tum omnium religionem Paganorum circa homines mortuos fuisse impletam, probârunt. Sanè & Plato [p] in suâ Republicâ voluit Sepulchra eorum qui in bello fortiter cecidissent, vel qui aliàs præcipuâ probitate vixissent, veluti dæmonum, coli atque adorari. Et ubi Lycophron templum Iunonis Hoplosmiæ vocat τύμβον, hoc est sepulchrum; observat Tzetzes ex Duri, *aras vocari sepulchra*. Sicut & antiqui Grammatici [q] observant *Templum* etiam Sepulchrum dici posse, auctoritate Virgilij [r], dum de Didone agens ait:

Præterea fuit in tectis de marmore templum
Coniugis antiqui, miro quod honore colebat.

[p] Dial. 5. de Rep.
[q] Non. c. 6. verb. templum.
[r] Æn. 4.

Et de Romanis Prudentius [s] poëta Christianus:

Et tot templa Deûm Romæ, quot in Urbe sepulchra
Heroum numerare licet, quos fabula Maneis
Nobilitat.

[s] Adversf. Sym. lib. 1.

Et ex iis fortè posteâ Traianus [t] Imp. militibus suis in bello Decebalico peremptis aras erexit. Quæ nec absunt ab illâ Idololatriæ origine, quam superiùs adduximus, ex nimio [u] amore seu honore superstitum in mortuos suos: in quorum funeribus & monumentis ita versari consueverant, ut in sanctissimis deorum immortalium templis & a sacris.

[t] Dio lib. 68.
[u] Sap. 4.

X.

Notáq; Romanorũ religio Larium [x], seu Deorum domesticorũ; quos & *Penates* dicebant, sive quasi *penes nos natos*; sive [y] à *penu*: (est enim omne, quo vescuntur homines, penus) vel ab eo, quòd penitùs insident: (ex quo etiam *Penetrales* à Poëtis vocantur) quibus & focum sacrum fuisse constat [z], & inde natum proverbium, *Pro aris, & focis*. Quippe quòd primitùs (ut ad Virgilium observat Servius [a], memineruntque plurimi [b]) tam Græcis quàm Romanis mos esset, mortuos suos in suis domibus sepelire (unde & fortè factum, quod vidimus, ut Sepulchra dicantur Domus) inde etiam ortum est, ut Lares

[x] Tert. Apolog. cap. 13. Arnob. lib. 3. Plutar. q. Rom. 51. Vid. Delr. in Sen. Thyest. act. 1.
[y] Cic. lib. 2. de nat. deor.

DII PENATES.

[z] Virg. Æn. 12. & ibi Serv. Horat. epod. 2. & ibi Interpp. Plaut. in Aul. Dionys. lib. 3.

[a] In Æn. 5. 6. & 11. [b] Plato in Minoë: Demosth. orat. cont. Mid:. Plutar. in Phocion. Stat. 3 silv. 3. Quintil. decla. 377. Tert. de resur. car. præter illa quæ diximus suprà de Ægyptiis.

privatim colerentur in domibus, extructis ad hoc aris. fuitque Platonicorum [c] opinio, homines qui meriti boni essent, post mortem effici Lares; qui mali, *Lemures*, seu *Larvas*; *Manes* autem dici, cùm incertum esset bonorum eos seu malorum fuisse meritorum. Præter quos invenitur [d] etiam mentio *Deorum Animalium*, ex Labeone, qui in libris quos de iis scripserat, dixit fuisse quædam sacra, quibus animæ verterentur in Deos; qui appellabantur *Animales*, quòd de animis fierent. Nec scio an ad privatam eiusmodi deificationem pertinuerit *murrhata* illa *potio*, quam in os defuncti priscos Latinos indere consuevisse, liquet [e] ex Legibus XII. Tabularum; quæ illam ideò fortè vertuerunt, ne domestici Dij iisdem honoribus colerentur, quibus & publici; ad quorum pulvinaria per supplicationes hanc eamdem potionem addi solitam constat.

[c] Ap. Aug. 9. de civit. 11. Sed variè de his quisquilis disputatur.

[d] Ap. Serv. in Æn. 3.

[e] Ap. Cic. L. 2. de leg. & Fest. verb. murrhata.

XI.

MORTUI PRO DIIS HABITI.

Certius verò quod ex Varrone scribit Plutarchus [f], Romanos consuevisse parentum funera velatis capitibus efferre, sicut & Deos velato capite adorare mos esset; & super eorum Sepulchra circumagere se, ea tamquam Deorum templa colentes. Quinimmò apud Stobæum [g] vetus Poëta omnes mortuos ait vulgò *beatos* dici, ac proinde illis libamina sacrificari in exequiis, sicut Diis, & inferias fundi, ac peti ab eis vt bona mittant ad nos. Pariterque Varro [h] omnes mortuos dicebat existimatos esse Manes deos: idque probabat per ea sacra, quæ omnibus ferè exhibebantur mortuis. Ubi & *Ludos* commemorabat *funebres*; tamquam illud esset maximum divinitatis indicium, quòd non solerent Ludi nisi numinibus celebrari. Et Cicero [i] interpretans legem illam veterem, *Leto dato divos habento: Nec verò* (inquit) *tam Denicales, quæ à nece appellatæ sunt, quia residentur mortui, quàm ceterorum cælestium quieti dies feriæ nominarentur, nisi maiores eos qui ex hâc vitâ migrâssent, in Deorum numero esse voluissent.* Qui idem eo libro [k] quo seipsum de morte filiæ consolatus est, imaginem eius eodem modo se consecraturum esse professus est, quo dij qui publicè colerentur à veteribus fuerant consecrati. Sicuti & viros in dearum habitu

[f] Quæst. Ro. 10. & 14.

[g] Cap. 120.

[h] Ap. Aug. 8. de civit. 26.

[i] Lib. 2. de leg.

[k] Vid. Lact. lib. 1. cap. 15.

habitu uxores suas defunctas formâsse, itémque mulieres in deorum habitu viros, ut maiorem illis & iustiorem cultum exhiberent, intelligimus ex Statio [l] de pietate Abscantij in Priscillam; & ex Apuleio [m] de luctu Charites in funere mariti Leopolemi, cui sub effigie Dei Liberi honores divinos impendebat. Unde & Tertullianus [n] ridens Gentilium Deos, *Quid*, inquit, *omninò facitis ad honorandos eos, quòd non etiam vestris mortuis conferatis? ædes proinde, aras proinde; idem habitus, & insignia in statuis, ut ætas, ut ars, ut negotium mortui fuit, ita deus est. Quo differt ab epulo Iovis Silicernium? à simpulo obba? ab aruspice pollinctor? nam & aruspex mortuis apparet.* Et Lactantius [o]: *Pari ratione defunctorum corpora odoribus, ac pretiosis vestibus illita & convoluta humi condunt, quâ Deos honorant.* Quare & apud eosdem Romanos, combusto corpore (inquit Plutarchus [p]) ut primùm in reliquiarum lectione os occurrisset, mortuum Deum factum pronunciabant. Sanè & quod Virgilius [q] de Æneâ, qui Anchisen patrem humo mandaverat, scripsit;

Annuus exactis completur mensibus orbis,
Ex quo relliquias, divinique ossa parentis
Condidimus terrâ, mæstásque sacravimus aras:

Servius notat, *mæstas aras*, id est, Diis Manibus consecratas, pertinere ad Anchisen, quem ex huiusmodi consecratione Deum effectum Aeneas volebat. Súntque alia non pauca huius ritûs antiquorum testimonia. Adeò ut etiam ad ipsos Iapones transîsse reperiatur: quos scribunt [r], ubi corpus alicuius defuncti crematum esset, consuevisse liberos eorum ac propinquos de geniculis illum adorare, tamquam iam sanctum, & in beatas sedes receptum.

XII. IURARE PER CINERES DEFUNCTORUM.

Qui ritus & ex eo confirmatur, quòd sicut per Deos, pérque nomina & numina illorum qui publicè consecrabantur, iurare [s] solebant, ita & per cineres ac manes defunctorum sibi charissimorum. (Est enim *Iusiurandum*, ut definit Cicero [t], affirmatio religiosa, Diis immortalibus interpositis tum iudicibus, tum testibus.) Sic enim apud Ovidium Briseis ad Achillem:

[l] *Lib. 5. Silvar.*
[m] *Metamor. lib. 8.*
[n] *Apol. c. 13.*
[o] *Lib. 2. cap. 4.*
[p] *Quæst. Rom. 14.*
[q] *Æn. 5.*
[r] *Franc. Solier. Hist. Iapon. lib. 1. c. 14.*
[s] *Dio lib. 44. de Iul. Cæs. lib. 59. de Drusil. lib. 60. de Liviâ: Tac. lib. 1. de Aug. Ambros. 5. ep. 30. &c.*
[t] *Lib. 2. de leg. & Offic. 3.*

Per tamen ossa viri subito malè tecta sepulchro,
Semper indiciis ossa verenda meis:
Pérque trium fortes animas, mea numina, fratrum,
Iuro: fallentem deseruisse velis.

[u] Id. ep. 8. ad fi.
Et Hermione [u] ad Orestem:

Per patris ossa tui, &c.

[x] 2. eleg. 15.
Propertius [x] ad Cynthiam:

Ossa tibi iuro per matris, & ossa parentis.

[y] In Ruffin. lib. 1.
Et Claudianus [y]:

------Occisos pulchrum iurare parentes.

[z] 1. controvers. 1.
[a] Id. praef. l. 3. & Suet. de clar. orat. ad fi.
[b] 6. Inst. 1.
[c] Sen. Suasor. 2.
[d] Ap. Plutar. q. Gr. 20.
[e] Demosth. orat. pro cor. Athen. lib. 9. cap. 6. Quintil. lib. 9. c. 2. & lib. 11. ad fi. Cyril. Alex. lib. 10. cont. Iul.
[f] Il. o.
[g] Æn. 10.

Paritérque apud Senecam [z] Rhetorem, adolescens abdicatus à patruo quòd patrem aleret, *Ergo fame morientem videbo, per cuius cineres iuraturus sum?* Et Albutius [a] adversario, quem ut impium erga parentes incessebat, iusiurandum obtulit *per patris cineres.* Et Quintilianus [b], cùm de coniugis ac liberorum acerbo funere quereretur, quos sibi ereptos fingebat deos: *Iuro per mea mala, per illos manes numina doloris mei.* Et Lacones [c] inter honores, quos habituri essent si pro patriâ apud Thermopylas cecidissent, nec hunc omiserunt, *Per sepulchra nostra iurabitur.* Quemadmodùm & praeter Æthiopas, Nasamonas, Augilas, quos per suos mortuos maximum praestitisse iuramentum superiùs vidimus, Prienenses quoque legimus [d], postquàm ad locum qui dicebatur *Quercus*, inito cum Milesiis gravi praelio optimos quosque ac primos civium amisissent, siquid deinceps sanctiori iuramento firmare vellent, *per Tenebras ad Quercum* deierare consuevisse: ceterósque Graecos [e] *per caesos in Marathone*, vel *Salamine*, vel *ad Plateas*, aut *Artemisium*, &c. qui contra numerosissimas Persarum copias fortissimos se Reipublicae propugnatores ostendissent. Eâdémque ratione obtestationes fieri solitae per manes defunctorum, quae erat species quaedam iurisiurandi, eo ipso defunctorum divinitatem testantes. Veluti cùm Nestor apud Homerum [f] obtestatur Graecos *per parentes*: & apud Virgilium [g] Magus Æneam *per patrios manes*; & alia his similia, quae dicuntur cum blandimento divinitatis, quam affectabant Gentiles.

Sic enim & *Aras* ad sepulchra extrui consuevisse, passim apud veteres [h] reperias; sive illæ in honorem principum virorum qui decessissent, vel aliorum qui divi facti crederentur, seu Diis Manibus dicabantur. præter solemnem illam inscriptionem quibusvis quarumcumque personarum Sepulchris perpetuò apponi solitam, D. M. vel D.M.S. aut etiam disertim, DIIS MANIBUS SACRUM, tamquam sepulchra templa fuissent deorum Manium: quæ & *Manium ædificia* Imperatores [i] appellârunt. Quâ de re Prudentius [k] vates Christianus in Symmachum Senatorem Ethnicum: XIII. ARÆ AD SEPULCHRA.

[h] Virg. Æn. 5. Ovid. metamorph. 8. Sil. lib. 16. Tac. Annal. 3. Tert. Apol. c. 13. &c. præter veter. inscript.

D. M. S.

[i] l. 4. C. Th. de sep. viol.

[k] Lib. 1. cap. de Spectac.

Esse deos manes cur inficiaris haberi?
Ipsa patrum monumenta probant, Diis Manibus illic
Marmora secta lego, quæcumque Latina vetustas
Custodit cineres, densisque salaria bustis.

Quinimmò & Pyras, seu rogos quibus corpora cremabantur, constructas fuisse in modum Ararum, notat Servius ad Virgilium [l]: & confirmat Isidorus [m], cùm scripsit, *Pyram* esse, quæ in modum Aræ ex lignis construi solet ut ardeat. Necnon Herodianus [n], dum ait, illustrium virorum rogos specie quadrangulâ, & æquis lateribus fuisse: qualis & Patrocli describitur ab Homero [o]; & Ophieltæ à Nonno [p], & Hephæstionis à Diodoro [q]. Et Isidorus [r] ait, Pyram esse ædificium sepulchri quadratum. Indéque & ipsum rogum, sive pyram, *Aram sepulchri* Virgilius [s], *Aram funeris* Ovidius [t] & Lucanus [u], *Aram* simpliciter Valerius [x] Flaccus appellavit. Ac deniq; ipsummet sepulchrum Scipionis Africani Seneca [y] *Aram* vocavit. quippe quòd receptum etiam esset, ut viris benè de Rep. meritis Aræ struerentur, quæ pro sepulchro essent; vel quòd in formam Aræ essent, (qualia visuntur ubique innumera) Aræ quoque vocarentur. Denique reponi etiam in templis Deorum sacra Imperatorum monumenta, idem Herodianus est auctor; patérque ex Suetonio [z], & aliis. quinimmò & Hadriano templum pro sepulchro Antoninus [a], & alij aliis constituerunt.

[l] Æn. 6.
[m] 20. Orig. 10.
[n] Lib. 4.
[o] Il. 4.
[p] Dionys. l. 37.
[q] Lib. 17.
[r] 15. Orig. 11.
[s] Æn. 6.
[t] 5. Trist. 13.
[u] Lib. 8.
[x] Argon. lib. 5. ad pr.
[y] Ep. 86. in pr.
[z] In Domit. cap. 17.
[a] Spart. in Hadr. in fi.

Ac denique sicut ex Sepulchris diximus processisse XIV.

CONSECRATIONES DIVORUM, EX SEPULCHRIS.

Templa deorum, ita ex Funeribus tam apud Græcos quàm Latinos, Deorum consecrationes; dum præter illam, quam diximus, domesticam de suorum mortuorum deificatione vanitatem, etiam publicâ auctoritate tam viris quàm feminis, publicum divinitatis honorem cultúmque, templa, & religiones, ac sacerdotia decerni, adeò fœda obtinuit adulatio, ut etiam paulatim scortis [b] Principum, & obsoletis [c], ingenti gratulatione delata fuerint. Quod quidem Græci, ἐκθειάζειν, & ἀποθεοῦν, Romani *Consecrare*, & *In Deos referre*, plerumque dixerunt. Cuius publicæ consecrationis ritum præ ceteris egregiè ac diffusè descripsit Herodianus [d]: nec usquam eius non meminêre antiqui auctores, quorum testimonia recentiores [e] collegerunt; ac depravata in iis emendârunt, & obscura illustrârunt. Nec taceo, Servium [f] notâsse, inter *Deos* & *Divos* illud interfuisse, quòd Dij dicerentur perpetui, sive æterni; Divi, ex hominibus facti, quasi qui diem obierint: Varronem [g] tamen econtrà dixisse *Divos* perpetuos, *Deos* qui propter suì consecrationem timerentur, ut erant Dij Manes. Sed Græci rerum Romanarum Scriptores *Divum*, hoc est τὸν ἀποθεωθέντα, semper θεὸν vocant, ut Poëtæ Latini: cùm & alioqui hæc non raró confusa reperiantur.

[b] *Dio lib. 59. de Drusillâ.*
[c] *Tertul. Apol. cap. 13. Iustin. Apol. ad Anton. Spart. in Adria. Prud. cont. Sym. &c. de Antinoo.*
[d] *Lib. 4.*
[e] *Onuph. l. 2. Fastor. Guichard. lib. 2. cap. 11. & l. 2. c. 6. Kirchman. lib. 4. cap. 13. & 14. Guther. de Iur. Man. lib. 2. c. 4. 5. 6.*
[f] *In Aen. 5.*
[g] *Ap. Serv. ibid.*

CAPVT IX.

Sepulchra SACRA, *&* SANCTA, *&* RELIGIOSA, *dicta à Iurisconsultis & aliis. Ideóque eorum violatores, uti sacrilegi puniti, apud Græcos & Romanos, aliásque gentes.*

I. QUONIAM igitur Sepulchra, sive illa Deorum aris & templis coniungerentur, sive ipsa per se discretim absque his considerarentur, ad cultum divinitatis suo modo spectabant; cultúsque divinitatis Religio [h],

[h] *Cic. lib. 2. de nat. deor.*

vocetur: inde non immeritò inter Romanos Ulpianus [i] Iurisconsultus dixit, *interesse Religionis*, monumenta extrui & exornari: & concessam donationem [k] Sepulturæ causâ, *religioni dicatam esse*: ac Sepulchrorum violatores Gordianus [l] Imperator rescripsit, *incidere in crimen læsæ religionis*. Eadémque propriè *Religiosa* dici debere, universa Iurisperitorum schola censuit. Quæ tamen etiam *Sancta* & *Sacra* ab aliis non rarò nominata reperiuntur. Nam etsi non ignoramus, à plerisque antiquis Grammaticis [m] id discriminis inter *Sanctum*, *Sacrum* & *Religiosum* constitui, ut *Sacrum* generale sit nomen, quod & Sanctum & Religiosum quandoque complectatur [n]; ac proinde Sacrum omne, sanctum quoque & religiosum esse, nec tamen omne Sanctum & Religiosum sacrum: Nihilominùs ex iisdem Grammaticis Festus, auctoritate Ælij Galli sepulchra dixit, & sancta, & sacra, & religiosa fieri. Videlicèt quòd Religiosas res, æquè ac sacras & sanctas, divini iuris esse Legislatores [o] definierunt: desinántque sepulchra (ut respondit Iurisconsultus [p]) *humani iuris esse*; & quasi omnium religione consecrata sint, atque in perpetuum Diis Manibus data dicatáque, & ab omni profano usu seiuncta, atque ab iniuriis hominum, sanctionibus & legibus tuta: quæ sunt propriæ significanes [q] *Sacri* & *Sancti*. Indéque lex [r] antiqua, *Deorum Manium Iura Sancta sunto*. Et scripsit Cicero [s], *Sanctitudinem sepulturæ* Iure Pontificio consistere: & *Sanctitatem* [t] *Sepulchrorum* in ipso solo esse, quod nullâ vi moveri neque deleri possit; atque ut cetera extinguuntur, sic *Sepulchra* fieri *sanctiora* vetustate. Ac rursùm [u] Æquitatem, quæ ad Manes pertinet, *sanctitatem* appellat; quæ (ut testatur [x]) est scientia colendorum Deorum. Pariterque Martialis [y], *sanctam urnam*, quâ continebantur defuncti cineres: & Seneca [z] Tragœdus, *Ossa sancta*; & *sanctas parentis conditi sedes*. Et Plutarchus [a] agens de Legibus Solonis, illam maximè commendat, quæ maledicta vetuit in defunctos congerere; quoniam, inquit, pium est defunctos existimare *sacros*, siue *sanctos*, ἱερούς: quomodò etiam appellat in Numâ; & Euripides in Suppli-

SANCTI, SACRI, ET RELIGIOSI DISCRIMEN.

[i] *Lib. 1. §. 6. D. de mort. infer.*
[k] *L. si sponsus 5. §. concessit. D. de don. int. vir. & ux.*
[l] *Lib. 1. C. de sep. viol.*
[m] *Vid. Macrob. 3. Satur. 3. Gell. lib. 4. c. 9. Fest. verb.* Religios.
[n] *Serv. in Aen. 12.*
[o] *Lib. 1. D. de rer. divis. l. 1. D. de interd. Inst. de rer. divis. §. nullius.*
[p] *Lib. 4. D. com. præd.*
[q] *Fest. iis verbis. Macrob. d. c. 3. l. Sanctum. 8. l. sacra. 9. D. de rer. divis.*
[r] *Ap. C. c. 2. de leg.*
[s] *Lib. 4. de Rep. ap. Non. cap. 2. verb.* Sanctitudo.
[t] *Philipp. 9.*
[u] *In Topic.*
[x] *Lib. 1. de nat. deor.*
[y] *9. epigr. 31.*
[z] *In Oedip. act. 1.*
[a] *In Solon.*

cibus, Plinius in Historia [b] Naturali, aliique tam Græci quàm Latini: videlicèt quòd sint eorum sepulchra *sacra*: ut etiam vocant Sophocles [c], Herodianus [d], Catullus [e], & alij; Seneca [f] *tumulum sacrum*, & *sedem sacram*: Quintilianus [g] *sacratos morte lapides*: Argentarius [h] *sacram terram subire*: Callimachus [i] *sacrum somnum dormire*: Cassiodorus [k] *sacram quietem*: Corippus [l] *sacratum sepulchrum*: veteres Inscriptiones [m] *locum sacrum*; & *Ossa* [n] *pia, cineresq; sacros*: ac denique vetustissima illa lex, *Ubi corpus hominis demortui condas, sacer esto*: perpetuáque illa, quam diximus, formula omnibus sepulchris inscribi solita, *Diis Manibus sacrum*. Idem porrò Ælius *Religiosum* dici scripsit, quoniam sit aliquid quod ibi homini facere non liceat; quod si faciat, adversus Deorum voluntatem facere videatur. Aulus verò Gellius [o] ex Masurio Sabino, & ex Servio Sulpitio Macrobius [p], id *Religiosum* esse, quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum à nobis est; *à relinquendo* dictum: indéque & *Deorum templa ac delubra*, à Cicerone *religiosa* dicta esse; quæ videlicèt propter maiestatem, & sanctitatem reverenda ac reformidanda magis sunt, quàm invulganda. Et à Virgilio [q] *lucum religione sacrum*, qui quòd Silvano agrorum pecorúmque deo sacratus esset, à communione populi secretus erat. Quâ etiam ratione Statius [r] in funere Priscillæ sepulchrum vocavit *Venerabile marmor*: & alia eiusmodi quàm plurima apud antiquos auctores.

II. QUOMODÒ FIERET LOCUS RELIGIOSUS.

Fiebat autem locus *Religiosus*, non quidem solâ corporis illatione [s], (neque enim omnis illatio, Sepulturæ causâ fit) sed Glebæ iniectione, quæ solutis Iustis ter à Sacerdote publico fiebat super tumulum: eâque demùm accedente (ut ait Cicero [t]) tum & corpus *humatum* dicebatur, & *sepulchrum* vocabatur, ac denique multa *religiosa iura* complectebatur. Hæcque *Iusta* [u] Sepultura dicebatur, & *perpetua* [x], ac æterna [y]: quando videlicèt eo animo quis humabatur, ut non ampliùs inde transferendus esset: si enim deponeretur tantummodò usquedùm opportuniori loco plenè conderetur, (quod dicebatur *Commendari* [z]) tunc ille locus non fiebat religiosus, sed

IUSTA ET PERPETUA SEPULTURA.

[b] Lib. 2. ca. 63.
[c] In Oedip. Colon.
[d] Lib. 3. in fi. & 4. ad pr.
[e] Carm. 7. ad Lesb.
[f] In Troad. act. 3.
[g] Declam. 10. sepul. incant.
[h] Anthol. lib. 3. cap. 20. epig. 4
[i] Ibid. cap. 1. ep. 10.
[k] 6. Var. 8.
[l] Lib. 3.
[m] Ap. Gruter. 800. 9. 934. 4. 956. 8. &c.
[n] 915. 5.
[o] Lib 4. cap. 9.
[p] 3. Satur. 3.
[q] Aen. 8.
[r] Silv. lib. 5.
[s] L. si quis eo. 40. D. de relig.
[t] Lib. 2. de leg.
[u] L. divi. fratres. 39. D. de relig.
[x] L. 3. §. 4. D. de sep. viol. l. si necdum. C. de relig.
[y] L. si quis eo.
[z] L. & si quis. 14. §. impensa. D. de relig. Cuiac. 2. Obs. 17.

remanebat *purus* (hoc est, ut interpretatur Ulpianus [a], neque sacer, neque sanctus, neque religiosus) atque *profanus*, hoc est non consecratus. (Siquidem apud Ciceronem in Partitionibus locus *profanus* opponitur *consecrato*: & in antiquis Inscriptionibus [b] dicuntur etiam *loca* Sepulturæ *consecrata*: & à Iuliano [c] Aug. Sepulchra *aggeres consecrati*.) Quod discrimen servavit Ulpianus [d], cùm dixit, licitum esse perficere monumentum, in quo reliquiæ hominis iam conditæ essent, *nisi locus factus esset religiosus*; quasi diceret, nisi iniecta gleba esset: Tunc enim *Pontifices explorare debere, quatenùs id fieret salvâ religione*: quòd videlicèt (ut vidimus) Iusta funerum, & cura Sepulchorum ad Pontifices pertineret. Sicuti & aliàs [e] idem ex sententia Labeonis respondit, ossa quæ ab alio illata sunt, non licere domino loci effodere *absque decreto Pontificum, seu iussione Principis*. Itémque Papinianus [f], heredes compelli debere ad monumentum defuncto faciendum, *Principali, vel Pontificali auctoritate*. Qui uterque Iurisconsultus auctoritatis Principalis, seu Imperialis meminerunt; non quidem quòd hæc ad Magistratum politicum spectarent; (cùm non propriè extendatur eius officium ad res quæ ad religionem pertinent, nisi quatenùs auctoritatem suam publicæ illarum observationi commodare debet) sed quoniam, postquàm Romani Principes, ut summo Religionis iure Senatum Populúmque faciliùs continerent, Pontificatum Maximum Imperio iunxerunt; (ita ut, sicut ait Zosimus [g], simul ac Imperium quisque accipiebat, amictus quoque Sacerdotalis ei à Pontificibus offerretur, & continuò Pontificis Maximi titulum acciperet:) hæc etiam Pontificalis cognitio ad Principes simul transiit. Quemadmodùm apprimè expressit Plinius [h] Iunior, cùm è Bithyniâ, quam Pro-Consule regebat, scribens ad Traianum Imp. de ossibus quorumdam sepultorum iustâ aliquâ de causâ ab uno loco in alium transferendis: *Quia sciebam*, inquit, *in urbe nostrâ ex eiusmodi causis collegium Pontificum adiri solere; te, Domine, Maximum Pontificem consulendum putavi, quid observare me velis*. Siquidem (ut diximus)

POST IUSTAM SEPULTURAM NEFAS TRANSFERRE OSSA ABSQUE PERMISSU PONTIFICUM.

[a] L. 2. § purus. D. de relig.
[b] Ap. Gruter. 807. 12. 862. 5.
[c] L. 5. C. Th. & Iulian. de sep. viol.
[d] L. ult. D. de mort. infer.
[e] L. Ossa. D. de relig.
[f] L. hereditas. 50. D. de pet. hered.
[g] Lib. 4. vid. Baron. an. 312.
[h] 10. ep. 73.

postquàm iustæ ac perpetuæ Sepulturæ corpus traditum esset, non poterat amplius transferri [l] aliò, nisi concessu [k] Pontificum, aut Imperatorum, ac iustâ & necessariâ de causâ, (veluti [l] *incursû fluminis*, aut *metu ruinæ*) & *solemnibus redditis sacrificiis*. Quinimmò nec poterat absque piaculo & sacrilegio *contrectari* [m]. Nec fas erat, *prohibente* [n] *iuris religione*, sepulchra *vendere* aut *obligare*, vel *permutationibus* [o], aut *habitationibus*, & *ædificiis* (nisi quæ ab illis, quorum essent monumenta, ad eorum custodiam, aut ornatum extruebantur) *polluere*; aut denique *in cuiusvis aliæ conversationis usum convertere*: & qui aliquo horum, alióve quocumque modo eorum quos leges declarant, illa dolo [p] malo violasset, *piaculum* [q] *committere*, & *in crimen* [r] *læsæ religionis incidere* iudicabatur. Fuítque hæc popularis & publica actio [s], quæ cuivis è populo competebat, si nemo esset ad quem res pertineret, aut agere nollet.

PROHIBITUM COMMERCIUM SEPULCHRORUM.

Pœnæ porrò sepulchri violati fuerunt, *infamia*, *mulcta pecuniaria*, *exilium*, *deportatio*, *manûs amputatio*, ac denique *ultimum mortis supplicium*, pro facti & personarum ratione: quas tibi, ne his distineamur, exhibent tituli [t] Digestorum, & Codicum Theodosiani & Iustinianei *De sepulchro violato*, & qui ad eos Notas vel Commentaria conscripserunt. Quantum enim hoc flagitium censeretur, vel unum demonstrat Iuliani Aug. rescriptum [u], quod in hæc verba edidit: *Pergit audacia ad busta defunctorum, & aggeres consecratos; cùm & lapidem hinc movere, & terram solicitare, & cespitem vellere, proximum sacrilegio maiores semper habuerint: sed & ornamenta quædam tricliniis aut porticibus auferunt de sepulchris. Quibus consulentes, ne in piaculum incidant contaminatâ religione bustorum, hoc fieri prohibemus, pœnâ manium vindice cohibentes*: sive, ut Iustinianus mutavit, *pœnâ sacrilegij*. Cùm enim res sacra sit sepultura, sacrilegium est illam violare. Sacrilegij autem pœnam debitam fuisse pro qualitate personæ, próque rei conditione, & temporis, & ætatis, & sexûs, vel severiùs, vel clementiùs; Ulpianus [x] interpre-

III. POENÆ SEPULCHRI VIOLATI.

[i] L. divi fratres. 39. D. de relig. l. pen. C. eo.
[k] L. 2. & ult. C. Th. de sep. viol. l. nemo. 14. C. de relig. & ll. suprà cit.
[l] L. 1. C. eod. Paul. 1. sent. 21. in pr. Plin. 10. ep. 73.
[m] L. 7. & ult. D. l. 4. C. de sep. viol. Paul. ib. §. 4.
[n] L. 2. & 9. C. de relig.
[o] L. si quis. §. Senatusconsulto. D. de relig.
[p] L. 3. D. de sep. viol.
[q] L. 5. C. de sep. viol. Paul. d. tit. 21.
[r] L. 1. C. eo.
[s] L. 3. & 8. D. de sep. viol.
[t] Adde Sidon. 3. ep. 12 & ibi Savar. Cassio. 6. Var. 8. Balsam. in Phot. Nomoc. tit. 9. cap. 27. Cuiac. 21. obser. 13. Guther. lib. 3. c. 25. Inscript. Grut. in Indic. c. 17.
[u] L. 5. C. Th. & Iustin. de sep. viol.
[x] L. sacrilegij. 6. D. ad leg. Iul. pecul.

tatus

tatus est. Prædictis porrò si addas vehementissimam invectionem Impp. Theodosij & Valentiniani Novellâ [y] constitutione de Sepulchris, *conceptam* (ut aiunt) *pietatis & religionis amore*, adversus *inexpiabile* eiusmodi hominum *crimen, & sacrilegam præsumptionem*; ut *criminosis pœna reddatur, innocenter viventibus gratulatio, pax sepultis:* abundè tibi satis de his factum fuerit. Si tamen & hoc perfunctoriè non observes, tantæ eis reverentiæ fuisse sepulchra, ut etiamsi Christiani essent, ipsorum tamen etiam Ethnicorum monumenta vellent intacta permanere. Sicuti & de Constantio [z] legimus, quo vix umquam alius Gentilitiam superstitionem vehementiùs detestatus est. Et de Concilio Toletano [a] IV. ubi constitutum est, ut si quis clericus in demoliendis sepulchris fuisset deprehensus, *quia facinus hoc pro sacrilegio legibus publicis sanguine vindicabatur*, à clericatûs ordine submoveretur. Et de Meldensi [b], sive Parisiensi, quo cautum est, ne quisquam ossa cuiuslibet mortui de sepulchro suo eiciat, aut sepulturam cuiusquam ausu temerario quoquo modo violet; maximè cùm non solùm divinæ leges, sed etiam & humanæ apud humanam Rempublicam Sepulchrorum violatores, *reos mortis diiudicet.* Sanè nec istud olim tacuit Virgilius, nusquam non rituum sacrorum, & priscarum credulitatum diligentissimus observator; dum Polydorum inducit, Æneæ ab eius tumulo hastilia sanguine manantia evellere aggresso, lachrymabili gemitu ab imo tumulo hæc fantem [c]:

Quid miserum, Ænea, laceras? iam parce sepulto,
Parce pias scelerare manus; &c.

Nec Seneca [d], sive qui de eius exilio epigrammata scripsit, cùm se quasi mortuum & sepultum statuens (est enim relegatio quædam mors civilis; & interire homines deportatione, Iurisconsulti [e] declarârunt) minaciter expostulavit.

Quisquis es, (& nomen dicam? dolor omnia cogit.)
Qui nostrum cinerem nunc, inimice, premis:
Crede mihi, vires aliquas Natura Sepulchris
Attribuit: tumulos vindicat umbra suos.

[y] Ext. lib. 2. Leg. Novell. tit. 5. post Cod. Theod.

[z] C. de sep. viol.

[a] Can. 45.

[b] C. 72.

[c] Æn. 3.

[d] Edit. Lips. ante Consol. ad Helv. epigr. 4.

[e] L. verum est. 63. §. societas. 10. D. pro soc. l. Gallus. 29. §. & quid. 5. in fi. D. de lib. & posth. l. 1 §. filium. 8. D. de bono poss. cont. tab. l. si necem. 4. §. 2. de bon. libert.

Ipsos crede Deos hoc nunc tibi dicere, livor,
Hoc tibi nunc Manes dicere crede meos:
Res est sacra, miser; noli mea tangere fata.
Sacrilegæ bustis abstinuêre manus.

IV.

VIOLATIO SEPULCHRORUM DIVINITÙS PUNITA.

Quod & insigni eventu contigisse aliquando in Daniâ, antequàm fidem Christi recepisset, narrat elegantissimus scriptor Saxo [f] Grammaticus, cuius honore gentem barbaram in stadium producimus: nimirùm, ut cùm quidam Balderi antiqui Regis sepulchrum spe reperiendæ pecuniæ noctu adorti essent, repentino cœptum horrore liquerint; subitâ torrentis vi ex proximi montis cacumine magno aquarum impetu prorumpere visâ: ad cuius impetum deturbati fossores abiectis ligonibus variam carpsêre fugam, à diis loci illius præsidibus incusso subito metu. Quare & Haliartij [ff] gens Boëtiæ magnam sterilitatem, ascensûmque lacûs quem passi sunt, inde evenisse censuerunt, quòd Sepulchrum Alcmenæ à Lacedæmoniis effodi sustinuissent. Et ob fractam urnam [g] quâ ossa Orphei continebantur, unde factum est ut sol illa videret, sequenti mox nocte Libethra urbs in Olympo olim celebris, apud quam erat monumentum Orphei, ingenti aquæ vi de cælo effusâ, eluvione torrentis præterlabentis, unà cum hominibus & animalibus cunctis penitùs excisa est. Cúmque Agrigentinus dux Phœnix [h] bellum cum Syracusis gerens, Simonidis poëtæ sepulchro perquàm superbè & inclementer dissipato, è lapidibus turrim extruxisset, urbs inde capta est. Quemadmodùm & legimus [i], iactos in monumentum Strati poëtæ, quod Pompeiopoli Syriæ erat, lapides, evestigiò in iacientem resilire consuevisse: & Antæi gigantis Libyci tumulum aliquâ parte læsum, nisi ilicò repararetur, continuam pluviam inferre. Et aliàs dirutores, vel spoliatores Sepulchrorum, ut plurimùm infelicissimè mortui reperiuntur [k], Pyrrhus, Sylla, Lysimachus, & alij.

[f] Lib. 1.

[ff] Plutar. de Socr. dæm.

[g] Pausan. in Bœot.

[h] Ap. Suid. verb. Simonid. Tyr.

[i] Ap. Patric. Sen. Inst. Reip. lib. 5. tit. 10. & Ola. Magn. lib. 10. cap. 46. ex antiq. Cosmogr.

[k] Plut. in Pyrrh. Syll. & Alex. Strab. lib. 8. Pausan. in Attic. Vid. Guichard. lib. 1. cap. 4.

V.

Indéque & antiquissimi Phocylidis [l] ex Sibyllarum [m] documentis commonitio;

Ne tumulum mortuorum refodias, neque non aspectanda

[l] In poem. admonit.

[m] Suid. verb. Phocylid.

Soli monstres, divinámque iram provoces.
Et Aristotelis [n] sententia, gravissimum hoc crimen iudicantis: ac Ciceronis [o] commendatio sanctionis sapientissimi Solonis Atheniensium Legislatoris, quâ cavit nequis sepulchra deleret; gravi additâ pœnâ, si quis bustum, aut monumentum, aut columnam sepulchri violâsset, deiecisset, fregisset. Et in antiquis Inscriptionibus [p] frequentissimè reperiuntur obtestationes incisæ, ne sepulchra, aut ossa quoquo modo violentur; & pœnæ in violatores imprecationésque iræ divinæ. *Nam etsi cadavera furta non sentiunt*, (inquit Cassiodorus [q] in formulâ Comitivæ privatarum, cui tam castitas viventium, quàm securitas mortuorum committebatur) *ab omni pietate alienus esse dignoscitur, qui aliquid mortuis abrogâsse monstratur.* Unde & iusta olim Frothonis Danorum Regis lex [r]; ut si quis vespillonum corpora mortuorum spoliare tentâsset, pœnas non solùm sanguine, sed etiam inhumato cadavere daret, busto atque inferiis cariturus: siquidem par esse existimabant, ut alieni corruptor cineris nullo funeris obsequio donaretur; sortémque proprio referret corpore, quam in alieno perpetrâsset. Et antiquâ nostrâ Lege Salicâ [s] statutum legitur, ut siquis hominem mortuum effoderit, expellatur de terrâ, & inter homines non habitet; & qui hospitium ei dederit, etiamsi uxor eius fuerit, graviter mulctetur. Ut nulla fuerit umquam Respublica benè instituta, quæ non improbaverit, & aliquâ severiori pœnâ castigaverit sepulchrorum violatores. Sicut & veterem parœmiam, *ἀκίνητα μὴ κίνει, Noli movere quæ non sunt movenda*, Suidas ex Hesiodo interpretatur de sepulchris & altaribus; simpliciter Plutarchus [t] ex doctrinâ Pythagoricorum, de sepulchris. Et Chaldæi [u] Astrologi, Alexandro Magno Babylonem adventanti imminere fatum denunciantes, evadere illud posse significaverint, si Beli sepulchrum à Persis destructum excitaret denuò: ex cuius violatione Xerxi cladem in Græciâ, & necem in patriâ à proprio filio obvenisse tradunt [x]. Et apud Senecam [y] Tragœdum Andromache uxor Hectoris elegerit proprium filium

ALIA TESTIMONIA SANCTITATIS SEPULTURÆ APUD GENTILES.

[n] *Lib. de Virtut. cap. de iniuil.*
[o] *Lib. 2. de leg.*
[p] *Vid. Grut. indic. cap. 7.*
[q] *6. Var. 8.*
[r] *Ap. Sax. Gram. lib. 5.*
[s] *Tit. 17. & 57.*
[t] *De dem. Socr.*
[u] *Diodor. lib. 17.*
[x] *Ælian. 13. Var. 3.*
[y] *In Troad. act. 3.*

Astyanactem neci prodere, quàm viri sui tumulum violari. Cneúsque Piso [z] Tiberi Romam devectus, auxerit vulgi iras, quia navem tumulo Cæsarum appulerat; quasi eo facto sepulchrum violâsset. Denique Romanorum legibus [a], si uxor virum *Sepulchrorum dissolutorem* esse probâsset, dabatur ei facultas divortium illi denunciandi. Siquis verò in patrios cineres minxisset, hoc est monumentum patrium violâsset, (quos enim maximè contemnebant, ad illorum statuas, aliáve monumenta meiere [b] solebant, vel etiam ipsosmet urinâ respergere, ut Tarentini [c] unum ex legatis Romanorum :) cum non aliter quàm parricidam furiarum ardentibus tædis agitari credebant. Unde Horatius [d] in Poëtam infelicem:

Nec satis apparet cur versus factitet; utrùm
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
Moverit incestus : certè furit.

quasi dicat, non satis apparet utrius facinoris admissi causâ tam graviter sibi deos habeat iratos.

[z] Apud Tac. Annal. 3.
[a] L. consensu. 8. §. 1. C. de repud.
[b] Suet. in Neron. cap. 56. Iuven. sat. 1.
[c] Apud Val. Max. lib. 2. cap. 2.
[d] De art. poët. in fi.

VI. DESPUENTES IN SEPULCHRA SEVERE PUNITI.

Quinimmò nec licuisse in sepulchra despuere, insignis est locus Marci Varronis [e], ubi agit de *Doliolis*, sic dicto loco ad cloacam maximam; *ubi* (inquit) *non licet despuere*, quòd esset locus sacer; sive illic essent doliola sub terrâ cum ossibus cadaverum, (ut quosdam censuisse ait) sive ut alij, Numæ Pompilij religiosa quædam post mortem eius infossa: sive etiam, ut addit Festus [f], quòd invadentibus Gallis Urbem, sacra Romanorum eo loco doliolis reposita fuissent: ut sive ratione sacrorum, sive sepulturæ, nefas fuerit ibi despuere. Quò facit quod Dio Cassius scribit, Caligulam necari iussisse quemdam, quòd calidam, quę in deliciis erat Romanis, vendidisset in exequiis Drusillæ, amatissimæ sororis suæ & pellicis, quâ defuncta iustitium indixerat, in quo risisse, lavisse, cœnâsse cum parentibus, aut coniuge, liberísve, capitale fuit; ut etiam Suetonius narrat. Et quod Nicephorus [g] Patriarcha Constantinopolitanus, ac post eum Zonaras [h] narrat; ut cùm Eudociâ Aug. Heraclij Imp. coniuge defunctâ, eius funus ornatu regio efferretur; ac plerisque ut assolet, ad spectaculum confluentibus, fortè puella quædam an-

[e] Lib. 4. de l. L.
[f] Verb. Doliola. ex Liv. lib. 5.
[g] In Breviar. Hist.
[h] Annal. to. 3. in Heracl.

cilla cuiusdam è civibus sursùm è solario prospiciens, in aërem incautè despuisset, sputúmque in preciosas illas vestes temerè decidisset, quibus Augustæ corpus obvolutũ erat: qui pompam prosequebantur, irâ perciti correptam illam incendio damnârint, síceque barbarico ritu Augustæ parentârint. Barbarico sanè, in puellam solâ inconsiderantiâ peccantem: eóque quamvis inter Christianos acciderit, maluimus exemplis Ethnicorum inserere, quàm eâ barbarie res Christianorum inficere. Cùm alioqui legamus, quòd per contemptum monachus quidam expuisset in sepulchrum Petri [i] Abbatis Cavensis, quem olim sæpè culparum suarum senserat severum censorem; diuinâ confestim vindictâ faciem eius intumuisse, & os horribiliter torsisse, donec ad idem sepulcrum pœnitentiam sceleris agens pristinam recepit sanitatem. Sanè, & defunctorum corpora, aut urnas tangere, venerationis signum fuisse legimus [k]. Scribítque Homerus [l] timuisse Achillem vehementer, ne Patrocli charissimi amici sui cadaver muscæ in vulnera ingressæ deturparent, & vermes in eo generarent.

[i] *Vit. eius ap. Sur. 5. Mart.*

[k] *Vid. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.*

[l] *Il. T. adpr.*

VII. GRYPHIUM FIGURÆ IN SEPULCHRIS.

Eóque pertinet quod multis antiquis Sepulchris appositas videas Gryphium figuras; ut scilicèt illa à vigilantibus custodiri religiosè debere denotarent; & quicumque violentas manus ad ea inferre auderent, pœnas luituros. Auritum [m] enim imprimis hoc animalium genus esse ferunt, ut facilè fures sentiat: rostro adunco præditum, ut mordicùs teneat quæ illi commissa & concredita fuerint: alatúmque ad pernicitatem, & leoninis membris compactum, ut nullum omninò animal possit eius vires ac vindictam effugere. Ut sine dubio, cùm eius figuræ in aris antiquorum, templorum foribus, urnis, aliisque eiusmodi locis non infrequenter visuntur; religionem, & quæcumque ad pietatem spectant, summo studio & attentâ curâ custodienda esse demonstretur. Quos vivos maluisset sibi quàm pictos Cyrus ille magnus, cùm à sepulchrorum violatoribus sibi mortuo timens, qui de vitâ numquam metuit, titulum huiusmodi monumento suo (licèt frustrà) inscribi iussit [n]: *Quisquis*

[m] *Aldrouand. Ornithol. lib. 10 cap. 1.*

[n] *Plutar. in Alex. Arrian. lib. 6.*

es, homo, & undecumque venisti, (nam venturum novi) Cyrus sum, Persis qui quæsivi imperium; ne invideas mihi, oro te, exiguam hanc humum, quæ corpus tegit meum. Quam qui invidit, eius aperiens & expilans conditorium, ab eo quem Cyrus designabat Alexandro, iustas pœnas capite luit. Ac bellè illudens Regina [o] Babylonis venturorum Regum avaritiæ, hæc sepulchro suo verba vivens incidit: *Sicui Regum Babylonis post me futurorum fuerit pecuniæ penuria, aperto sepulchro sumito quantumcumque libuerit pecuniæ: ne tamen nisi indiguerit alioqui aperito; non enim in rem eius fuerit.* Quod sepulchrum cùm inviolatum per multa sæcula permansisset usq; ad Darium; is illud reserans, hoc tantùm scriptum invenit. *Nisi pecuniæ esses inexplebilis, & turpis lucri cupidus, defunctorum sepulchra non aperuisses.*

[o] Nitocrem habet Herod. lib. 1. Semiramidem Plut. in Apophthegm. Reg.

VIII. PECUNIÆ IN SEPULCHRIS RECONDI SOLITÆ.

Nam sicut in fanis [p] ac delubris pecunias & privatas & publicas, quò religione locorum securiùs servarentur, deponi consuevisse, antiquorum auctoritate notissimum est; ita & in sepulchris magnam à plerisque vim pecuniarum recondi solitam, cùm ut sepultura honorificentior esset, tum ut religio magis tutiúsque servaret; non ex prædictis tantùm exemplis, sed etiam ex Plutarcho [q] patet, & Strabone [r], Arriano [s], ac Curtio [t], de sepulchris Regum Macedonum & Persarum agentibus (ut iam subticeam, quæ de immensis thesauris in monumentis Regum Indiarum repertis superiùs dicta sunt; quæque de Regibus Iudæorum, & Christianorum posteà dicentur:) ex Strabone [u] de populis Albanis, pecunias suas cum mortuis sepelire solitis: ex Planude in Vitâ Æsopi fabulatoris, qui thesaurum inter Sepulchrorum inscriptiones ingeniosè reperit: ex Phœdro [x] Augusti liberto, apud quem humana effodiens canis ossa thesaurum detexit: ex Lege XII. Tabularum, quæ vetuit aurum (ut fieri solebat) cum mortuis sepelire: Ex aliis Romanorum legibus [y], quarum aliquibus pecuniæ ac gemmæ unà cum corporibus sepeliri prohibentur, aliis pecuniæ sacræ & religiosæ violari vetantur: Ex Philostrato [z], qui nefarias dixit eas esse divitias, quæ tumulis eruuntur: ex Theodorici Regis edictis [a]; quorum uno inquiri

[p] Cic. 5. ep. famil. 20. & 5. ad Attic. ult. Plut. q. Rom. 42. Herodian. lib. 1. &c.
[q] In Pyrrh.
[r] Lib. 15.
[s] Lib 6.
[t] Lib. 10.
[u] Lib. 11.
[x] 5. Fab. 17.
[y] L. 1. & 4. D. ad l. Iul. de pecul. l. ult. D. de aur. & arg.
[z] Lib. 7. de vit. Apoll.
[a] Ap. Cassiod. 4. Var. 18. & 34.

iussit in quemdam, qui effossis cineribus aurum quæsierat inter cadavera mortuorum; altero, thesauros qui in sepulchris reperirentur, usui publico deputari præcepit: ex Antiquitatibus [b] Patavinis, ubi legitur, in Antenoris illius urbis conditoris tumulo reperta fuisse librarum argenti plusquàm triginta millia. Itémque ex Plauti Pseudolo [c], qui ex illo sepulchro vetere viginti minas effossurum se iactat: ex Eunuchi Terentiani prologo, ubi de thesauro patrij monumenti: Ex Quintiliano [d] avo, cùm meminit de auro & pecuniâ effossâ è sepulchro violato: & aliis antiquorum scriptorum monumentis: necnon & sepulchrorum inscriptionibus, quæ fures ab iis arcent. Adeò ut Petrus Diaconus tractatu de Notis literarum Romanarum, has in sepulchris antiquis inscribi solitas L. M. I. ST. B. ABSC. interpretetur, *In monumento isto sunt bona abscondita:* itémque istas, IN. HC. MM. S. P. SN. FN. *In hoc monumento sunt pecuniæ sine fine:* ac rursùm, INTS. S. B. EX. *Intus sunt bona eius.* IN. M. I. ST. D. AVGI. *In memoriâ ista sunt divitiæ Augusti.* IN. HC. MM. S. P. S. *In hoc monumento sunt pecuniæ sacræ.* Cuiusmodi interpretationibus si fidem adhibere voluerimus, magno sanè erunt argumento religionis, & inviolabilitatis sepulchrorum; cùm non dubitarent pecunias indicare, quas maximè custoditas vellent. Non sic quidem Gothi, qui Alaricum [e] Regem suum defunctum, Bazentio amne de alveo suo captivorum labore derivato, in medio alveo cum multis opibus sepelientes, amnémque posteà meatui proprio reddentes; ne quis umquam locum scire posset, fossores omnes interemerunt. Nec item Hunni, qui Attilam [f] mortuum noctu secretò cum ingentibus divitiis terrâ condentes, operi deputatos detestabili mercede trucidârunt. Lepidúmque quod observavit Athenæus [g] ex Chrysippo, quemdam sub exitum vitę devoratis non paucis aureis nummis obiisse: alterum insutis tunicæ eam induisse, præcepisséq; familiaribus ut ita sepelirent, nec corpus pollincturâ ungi, & curari, vel cremari sinerent. Sed hæc nonnihil extra orbitam.

[b] Scard. lib. 2. class. 5. cap. antepen.

[c] Vers. 431.

[d] Declam. 369.

[e] Iornand. de reb. Get. cap. 30. Miscel. lib. 13.

[f] Iorn. cap. 49.

[g] Lib. 4. cap. 15.

IX.

SEPULTURÆ RELIGIO TERRAM IPSAM, ET AMBITUM OCCUPABAT.

Denique tanta erat ſepulchrorum religio, ut quemadmodùm loca in quibus ædes ſacræ ædificatæ fuiſſent, etiam diruto ædificio ſacra adhuc manebant; ita & voluerint Decemviri [h] *Buſtum uſucapi non poſſe*, eiuſque *æternam auctoritatem eſſe*; ac religionem Sepulchrorum etiam in terram ipſam penetrare: adeò ut quæcumque illis adhærerēt, religioſa [i] quoque eſſent: ac proinde non ſolùm (quod vetuiſſe diximus leges Solonis, & Imperatorum) lapides & marmora, aut columnæ, deiici, aut moveri, vel (ut habet item Ulpianus [k]) ſtatuæ evelli, aut (ut Seneca [l] Rhetor) arma auferri, (nam & arma, & inſtrumenta, quibus quis in vitâ uſus fuerat, ſepulchris affigi conſueviſſe conſtat [m]) abſque ſacrilegio non poſſent: verùm etiam lapides, quibus monumentum inædificatum fuiſſet, adeò religioſi haberentur, ut nec remoti quidem vindicari [n] poſſent, quaſi ſemel divini iuris facti: & ſiquid detractum de ſepulchris ad domum ſuam, villámve quis pervexiſſet; villa, ſeu domus, aut ædificium quodcumque fuiſſet, fiſci iuribus vindicandum [o] eſſet: & non ſolùm quæ ornandi [p] causâ ſepulchro appoſita eſſent, & omne [q] etiam ſupra ſepulchri cælum, ſepulchri eſſe cenſeretur; verùm etiam quæ monumentis adiacerent ædificia, vel agri, ſi cum monumentis conſecrata fuiſſent, pari quâ monumenta religione obligarentur. Unde quòd in agris, vel hortis, plerumque extruebantur ſepulchra, ne religio totum ſolum occuparet, vel maceriis ſepulchra claudi, vel definiri plerumque ſolebat ſpatium loci religioſi, ut ſciretur quid puri loci ſeu profani relinqueretur: prout in vetuſtis inſcriptionibus [r] ſepulchrorum, aliíſque ſcriptorum [ſ] monumentis frequentiſſimè cernere eſt. Et ſiqui ſolum, vel fundum, in quo ſepulchrum eſſet, venderet, iura tamen ſepulchri penes eum remanebant; cui tantùm agri excipiebatur [ſſ], quantum adeundo ſepulchro ſatis eſſet. Quinimmò & ipſum buſtum, ſive uſtrinam, hoc eſt locum ubi corpus comburebatur, licèt non ibi conderetur, fuiſſe quâdam religione ſacrum, atque ideò eius ambitum conſepiri ſolitum; conſtat ex Strabone [u], ubi agit de buſto, & mauſolæo Auguſti,

[h] *Ap. Cic. 2. de leg.*
[i] *L. qua relig. 43. D. de rei vendic.*
[k] *L. 2. D. de ſep. viol. l. is. q. 11 §. 2. D. quod vi.*
[l] *4. Controverſ. 4.*
[m] *Hom. Odyſſ. λ. de Elpen. Virg. Æn. 6. de Miſen. &c.*
[n] *d. l. 43.*
[o] *L. 1. C. Th. l. 2. C. Iuſtin. de ſep. viol.*
[p] *d. l. is. qui.*
[q] *l. ult. §. pen. D. quod vi.*
[r] *Vid. Gruter. in Indic. c. 17. Et adde Cuiac. 13. Obſer. 36.*
[ſ] *Horat. 1. Satyr. 8. Cic. Philip. 9. in fi. &c.*
[ſſ] *L. utimur. 5. D. de ſep. viol. l. ſi venditor. 10. de relig.*
[t] *Lib. 2. recept. ſent. tit. 21.*
[u] *Lib. 5.*

Augusti, quæ diversa ab inuicem fuisse docet. Quapropter haud abs re dixerimus, non tam prohibitam fuisse sepulturam intra Urbem, ob eam causam, quam refert Iulius [t] Paulus, nimirùm ne funestarentur sacra civitatis: (præter communiores illas, ne cadavera pestiferis exhalationibus Urbem inficerent; & metum ignis, quòd cremari solerent:) quàm quòd, uti diximus, cùm haberentur sepulchra, & quæcumque eis adiacebant, sacra; si intra Urbem constituta fuissent, cùm totam ferè occupatura forent, necesse quoq; fuisset totam reddere sacram, nec fas fuisset quicquam agere quod ad immunda ministeria pertineret.

t Lib. 2. recept. sent. tit. 21.

X.

SEPULTURA NON POTEST IMPEDIRI.

Et quod ad ipsam corporum sepulturam attinet; tantæ erat illa commendationi, ut nullâ quantumvis iustâ prætentâ causâ posset [x] impediri: quoniam (ut lex [y] ait) ne insepulta cadavera iaceant, stricta ratio insuper habenda & negligenda est: *summam enim esse rationem, quæ pro religione facit.* Adeò ut siquis in suo testamento heredem scripsisset sub tali conditione, si reliquias eius in mare abiiceret; *laudandus [z] sit magis quàm accusandus heres, qui memoriâ humanæ conditionis sepulturæ eum tradiderit:* nullóque modo legitimus heres controversiam de hereditate facere possit. Sanxerúntque eadem Iura [a], ne funera familiaria ducentes, iustáve mortuis facientes, neu cadavera prosequentes, in ius vocari possent: & ut siquis [b] creditor circa funus defuncti debitoris quid peccaret, quod exequias vel sepulturam eius prohiberet, gravissimas æris, vel corporis pœnas lueret, atque infamiæ notâ afficeretur. Vocántque huiusmodi facinus *iniuriam contra naturam.* Aliáque deinde constitutione [c] sancitum est, nulli prorsùs licere, aut heredes, aut parentes, aut liberos, aut coniugem, aut cognatos vel affines defuncti, aut fideiussores, ante novem dierum spatium, quibus lugere videntur, convenire; aut quocunque modo inquietare, sive debiti gratiâ quod à defuncto descenderet, sive alterius cuiuscumque causæ nomine ad memoratas personas specialiter pertinentis. Ubi quod de *Novem dierum spatio* dicitur, sumptum id est ab anti-

x L. ne corpora. 38. D. de relig. l. 3. § 4. D. de Sep. viol.

y L. sunt personæ. 43. D de relig.

z L. pen. D. de condit. instit.

a L. 2. & 3. D. de in ius voc.

b L. cùm sit iniustum. 6 C. de Sep. viol. Novel. 60.

c Novel. 115. cap. 5.

NOVEMDIALIA GENTILIUM.

quiori ritu; quo cùm post alicuius obitum diebus septem illius corpus domi lavando, ungendo, condiendo, complorando, & aliis id genus curari, octavóque corpus deduci ac cremari consuevisset; nono demùm die cinerum urna sepeliebatur, & ritè completis ad tumulum solemnibus, (ut loquitur Apuleius [d]) funeri ac funestæ familiæ finis fiebat. Dicebantúrque hæ *Novemdiales feriæ*, Græcis ἔνατα, à numero dierum, ut Festus ait: & *Novemdiale sacrificium*, ut ait Porphyrio ad Horatium [e], quod mortuo fiebat nonâ die quâ sepultus erat. De quibus noster Augustinus [f]: *Nescio utrùm inveniatur alicui sanctorum in Scripturis celebratum esse luctum novem dierum, quod apud Latinos Novemdial appellant.* Quod quidem servâsse Hadrianum Imperatorem ex Dione constat, dum ait, defunctâ Plotinâ Traiani relictâ, cui ipse Hadrianus acceptum ferebat Principatum, ipsum per novem dies atratum incessisse.

[d] *Metamor. lib. 9.*

[e] *Epod. 17.*

[f] *Quæst. in Gen. 172. Sed de Novemdialibus Christianorum posteà.*

I.

CAPUT X.

De Sepulchris SERVORUM, *&* MILITUM.

FUIT verò semper adeò funeraria actio privilegiata, ut funeris impensa præferretur [g] non solùm quibuscumque legatis, & omni credito, ipsíque etiam doti: verùm etiam qui servum alienum, vel ancillam sepelisset, haberet [h] adversus dominum funerariam actionem: cùm alioqui nullius iuris [i] communionem servus haberet, nulliúsque iniuriæ [k] capax esset, sed quadrupedibus [l] æquipararetur. Quippe sepultura ad Ius Naturæ pertinet, quod Iure Gentium non facilè solet immutari, cuius fictione servi pro nullis habebantur. Unde & locum in quo servus sepultus esset, æquè religiosum esse ac liberorum hominum, Aristonis auctoritate Ulpianus [m] asseruit: & servorum fuisse deos Manes, patet ex antiquis sepulchrorum Inscriptionibus [n], atque ex Varrone [o], ubi agit de *Arcalibus Laurentalibus feriis*, déque sacrificiis pu-

[g] *L. & sequis. 14. l. in eum 15. cum seqq. l. pen. & ult. D. de relig.*

[h] *L. si filius fam. 3. D. de relig.*

[i] *L. 3. D. de cap. min.*

[k] *§. Servus. Inst. de iniur.*

[l] *L. 2. D. ad l. Aquil.*

SERVORUM ETIAM SEPULCHRA RELIGIOSA.

[m] *L. 2. D. de relig.*

[n] *Ap. Gruter. 340. 4. 613. 10.*

[o] *Lib. 5. de l. L.*

blicè factis *Diis Manibus servilibus*. Fuisséque Romæ loca publica extra portam Exquilinam, pauperum & vilium mancipiorum funeribus destinata, *Puticulos*, seu *Puticulas* dicta (vel à puteis in quibus sepelirentur homines, vel quòd ibi putescerent cadavera) ex eodem Varrone [p] & Festo [q] constat. De quibus Horatius [r], postquàm eorum partem Mecœnas concessu Augusti in hortos convertisset:

[p] *Lib. 4. de l. L.*
[q] *Verb.* Putic.
[r] 1. *satyr.* 8.

Huc priùs angustis eiecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arcâ.
Hoc misera plebi stabat commune sepulchrum,
Pantolabo scurræ, Nomentanóque nepoti.

In quem locum observat Acron, tantâ misericordiâ fuisse Romanos, ut etiam publica monumenta pauperibus & servis ædificarent. Quos tamen non in lectis, qui divitum erant, sed ut Horatius insinuat, in arcis efferre consueverant; quæ vocabantur propriè *Sandapilæ*. Ac denique fuisse in Suburbanis alia loca publica, inopum destinata funeribus, quæ *Culignas* appellabant, testatur Aggenus [s] Urbicus: meminitque etiam commentator Horatij (ut Cruquius edidit) loci *Sestertij* dicti extra eamdem portam Exquilinam, ad corpora pauperum & vilium hominum comburenda. In quem locum & cadavera animadversorum abiici consuevisse, testatur Plutarchus in Galbâ. Quamvis etiam in Exquilino nonnumquam datam viris illustribus sepulturam, ex Cicerone [ss] intelligatur, dum censuit, locum sepulchro in Campo Exquilino, seu quo alio in loco, designaretur, quò Servius Sulpitius, qui in legatione Populi Rom. vitâ functus erat, inferretur: quod sepulchrum ipsius, liberorum posterorúmque eius esset: uti quod optimo iure sepulchrum publicè datum fuisset.

[s] *Lib. 1. de controvers. agr. ad Iul. Front.*
[ss] *Cic. Philip.* 9.

II.

MILITUM CURA SEPULTURÆ.

Quinimmò cùm plerumque sit

Nulla [t] *fides, pietásque viris qui castra sequuntur*

hoc tamen milites fidei pietatísque eximium genus non solùm non abiiciebant, verùm etiam tantâ sollicitudine curabant, ut testetur Vegetius [u] consuevisse Romanorum legiones in quosdam saccos particulas aliquas suo-

[t] *Lucan. lib. ult.*
[u] *Lib.* 2. *c.* 20.

rum donativorum ac ſtipendiorum conferre ſepulturæ causà; ut ſiqui ex cōtubernalibus deceſſiſſent, ex illis ſaccis ad ſepulturam ipſorum promerentur impenſæ. Poſsétque aliquis eò referre, quod legitur apud Livium [x], poſt cladem Cannenſem, è militibus Romanis *inventos eſſe quoſdam merſis in effoſſam terram capitibus; quos ſibi ipſos feciſſe foveas, obruentéſque ora ſubiecta, ſuper humo iniecta, interclusiſſe ſpiritum apparebat*: quaſi ipſi ſibi ipſis glebam inieciſſent, aut pulverem eo ritu qui inferiùs deſcribetur, quo ſatis erat ſi caput afficeretur. Idémque Vegetius [y] alibi tradit, nullum militibus inter tot & tanta mortium genera, caſum acerbiorem contingere potuiſſe, quàm ſi ipſis in mari mortuis abſumenda eorum corpora piſcibus inſepulta relinquerentur. Et Ariſtoteles [z] ait, viros fortes qui moriuntur in mari, ferre moleſtè tale genus mortis. Quod & Achillem ſupra modum execratum eſſe, legimus apud Homerum [a], cùm à fluvio Xantho abſorbendus videretur. Cuius imitatione Silius [b] Scipionem à Trebiâ ſibi timentem, ſic orantem inducit ſublatis ad cælum palmis:

x Lib. 22.
y Lib. 4. c. 44 in fi.
IN AQUIS MORI, LUCTUOSUM.
z Ethic. 3.
a Il. φ.
b Lib. 4.

Dÿ patrÿ, quorum auſpiciis ſtat Dardana Roma,
Talin' me letho tanta inter prælia nuper
Servâſtis? fortunæ animam hanc exſcindere dextrâ
Indignum eſt viſum?

Et Statius [c] Hippomedontem, periclitantem à Theumeſio amne, exclamantem:

c Theb. lib. 9.

——— Fluvióne (pudet!) Mars inclyte, merges
Hanc animam? ſegnéſque lacus, & ſtagna ſubibo,
Ceu pecorum cuſtos, ſubiti torrentis iniquis
Interceptus aquis? adeóne occumbere ferro
Non merui?

Quare & huiuſmodi exitium Thyeſtes, ut ſummum omnium malum, imprecatur [d] Atræo. Illúdque à ſe deprecans Ovidius [e], dum naufragio periclitaretur,

d Ap. Cic. Tuſcul. 1. ex Ennio.
e 1. Triſt. 2.

Non lethum (inquit) *timeo; genus eſt miſerabile lethi:*
Demite naufragium, mors mihi munus erit.
Eſt aliquid fatóque ſuo, ferróque cadentem
In ſolidâ moriens ponere corpus humo:

Et mandare suis aliqua, & sperare sepulchrum;
Et non æquoreis piscibus esse cibum.

Et Propertius [f] in obitu Pœti id maximè luget, quòd naufragio perierit. Et qui naufragium navigantes timebant, ne sepulturâ eiecti carerent, aurum, aut aliud quicquam auro æstimabile, è collo suspendebant in pretium sepulturæ, quam sibi dari optabant ab iis qui in ipsorum corpora inciderent: ut intelligitur ex Synesio [g] ad Evoptium fratrem scribente de quâdam suâ navigatione, quâ de vitâ periclitatus fuerat. Ubi & aliam insinuat rationem, ob quam adeò timeretur mors in aquâ, ex Homero sumptam: nimirùm quod morientium in aquis animos etiam unà interire crederent; ac propterea Achillem illum fortissimum, & in periculis obeundis audacissimum, mortem nihilominùs in aquis perhorruisse; quam exitialem etiam nuncupat: quámque ut effugerent milites, qui eâdem navi cum Synesio periclitabantur, optimum esse indicârunt gladio suo animum in auras effundere, quàm in fluctus. Indéque & Servius [h] pariter observat ex eodem Homero, Æneam in horrendâ illâ tempestate Iunonis irâ immissâ, ingemuisse, non propter mortem quam ipse obiisse cupiebat, sed propter genus mortis in mari; quòd anima, quæ igneæ est naturæ, contrario periret elemento. Ac propterea reperitur [i], differentiam Pontifices constituisse inter eos, qui in mari necati, & in mare proiecti fuissent, atque eos qui in mari mortui essent, quoad eorum iusta ac sepulturam.

f 3. eleg. 5.
g Ep. 4.
h In Æn. 1.
i Vid. Gruther. de Iur. Man. lib. 1. cap. 9.

CAPVT XI.

Pœna INSEPULTORUM; *& Remedia pro iis inventa.*

I.

CREDITUM *enim* (inquit [k] Tertullianus; ídque tam apud Græcos quàm Latinos) *insepultos non antè ad inferos redigi, quàm Iusta perceperint; secundùm Homericum Patroclum, funus in somnis de Achille flagitantem, quòd*

k De anim. cap. 16.

ERRATIO CENTUM

ANNORUM, ANIMARUM, QUARUM CORPORA NON FUISSENT SEPULTA.
[l] Il. 4.

non aliàs adire portas inferûm posset, arcentibus eum longè animabus sepultorum. Ut non immeritò addiderit, *titulum iniuriæ fuisse cessationem sepulturæ;* quòd sic insepulti miris modis torqueri existimarentur in suâ inquietudine. Sunt autem verba [l] Patrocli indefleti, & insepulti, ad Achillem hæc ad verbum Latinè reddita:

Sepeli me quàm citissimè, portas Plutonis ut intrem;
Longè me abigunt animæ, umbræ defunctorum,
Neque me aliquo modo misceri aliis trans flumen sinunt;
Sed incassùm erro per latas portas habentem Ditis domum:
Et mihi da manum, lamentor: non enim ampliùs iterùm
Veniam ab inferis, postquàm me rogo tradideris.

Ubi attribuit animabus, seu umbris defunctorum sepultis, (animas enim, & umbras, ψυχὰς, & εἴδωλα, pro eodem accipere videtur; quamvis multi discrimen ponerent, ut nonnisi εἴδωλα, hoc est præhabiti corporis simulacra in inferis essent, animæ verò in cælo, vel in alia corpora migrarent: de quo alij [m]) quod Virgilius [n] in peregrinatione Æneæ ad inferos, Charonti inferorum portitori; dum hæc ipsum ad Stygiam paludem de animabus defunctorum vidisse scribit:

[m] Vid. Delr. in Sen. Herc. Oete. vers. 1959. & Cerd. in Æn. 6. vers. 292.
[n] Æn. 6.

Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
Matres, atque viri, defunctáque corpora vitâ
Magnanimûm heroum, pueri, innuptæque puellæ,
Impositíque rogis iuvenes ante ora parentum.
Stabant orantes primi transmittere cursum,
Tendebántque manus ripæ ulterioris amore:
Navita sed tristis nunc hos, nunc accipit illos,
Ast alios longè summotos arcesit arenâ.

Cuius rei significationem sciscitatus Æneas à Sibyllâ ductrice suâ, hoc ab eâ responsum tulit:

Hæc omnis, quam cernis, inops, inhumatáque turba est:
Portitor ille Charon; hi quos vehit unda, sepulti.
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Transportare priùs quàm sedibus ossa quierunt.
Centum errant annos, volitántque hæc littora circùm,
Tum demùm admissi stagna exoptata revisunt.

Quod verò habet de *centum annorum erratione*, vel Pla-

tonem respexit, qui libro decimo de Republicâ refert, Erum Armenium vidisse in inferno animas eorum qui hîc iniurias aliis intulissent, *pœnas sigillatim pro quolibet decies pendere, id est spatio annorum centum, quasi hæc vita humana sit meta*: vel (ut existimavit Servius) quod traditur de Abato insulâ in extremis Ægypti ad paludem Memphyticam (cuius etiam meminerunt Seneca [o], & Lucanus [p]) in quâ sepultus fuit Osiris Rex; sic dictâ quòd inaccessibilis penè sit hominibus ob limi & papyrorum copiam, nec nisi à sacris Antistitibus, certísq; diebus adeatur; cùm autem vicini populi cadavera suorum ad alteram regionem transferrent, siqui in fluvio perirent, nec eorum invenirentur cadavera, post centum demùm annos postrema eis funebria officia adimplerent.

[o] *Natur. quæst. lib. 4. cap. 2.*
[p] *Lib. 10.*

II. Quod autem Virgilius *Inopem* etiam *turbam*, non tantùm *inhumatam* iisdem pœnis subiicit; quamvis & *Inops* accipi possit (ut etiam interpretatur Servius) quæ non solùm non legitimam sepulturam, quę per plenam fiebat humationem, sed nec imaginariam, seu inanem, quæ dabatur per terræ iniectionem, de quâ posteà, habuisset; quasi *inops*, sine ope, quæ terra est: tamen & simile vero est, Poëtam omniscientem, morem quoque respexisse Græcorum; quo solebant defunctorum ori nummum quemdam inserere, quem Charonti portitori pro naulo solverent; & qui eum non ferrent, errare cum insepultis credebantur. Dictum illum fuisse δανάκην, Suidas [q] testatur; nempè (ut habet auctor Etymologici) quòd daretur τοῖς δανοῖς, hoc est mortuis. Lucianus [r], qui sæpè eius meminit, plerumque *obolum* vocat; sicut & Diodorus [s] Siculus, Aristophanes [t], & alij: Apuleius [u] *stipem*; Propertius [x] *æs*, Iuvenalis [y] *trientem*. Qui quòd esset signum, & velut tessera sepulturæ corporum, ideò eius inopibus non dabatur Stygiam paludem transire: præterquàm qui loca incolebant, unde brevis ac pronus ad inferos descensus esse putabatur: ut de Hermionensibus Strabo [z] scribit, quibus naulum non imponebatur, quòd eo non indigerent. Quo loco fuit etiam fovea (ut ait Pausanias [a]; quod tamen plures apud Tænarum Laco-

NUMMUS MORTUORUM PRO NAULO CHARONTICO.

[q] *Verb.* δανάκη *& verb.* ἀχερουσία.
[r] *De luct. & alibi.*
[s] *Lib. 1. par. 2. ad fi.*
[t] *In Ran.*
[u] *Lib. 6. metam.*
[x] *4. eleg. ult.*
[y] *1. Saty. 3.*
[z] *Lib. 8.*
[a] *In Corinth.*

niæ contigiſſe fabulantur:) per quam Hermionenſes dicebant Herculem extraxiſſe ab inferis tricipitem Cerberum inferorum cuſtodem. Ad quem placandum imponebatur etiam defunctis *Placenta mellita*, μελιτῖττα [b], ne impediret aditum ad campos Elyſios; quam vocat Virgilius [c]

[b] *Ariſtoph. in Lyſiſtr. Suid. verb.* μελιτ.
[c] *Æn.6.*

Melle ſoporatam, & medicatis frugibus offam.

Apuleius [d] *offam polentæ mulſo conſecratam:* qualem & Trophonij oraculum petituri [e] ſerpentibus afferebant. Quàm porrò inſepultis inconceſſus eſſet eiuſmodi tranſitus, oſtendit mox apud Virgilium Sibylla; poſtquàm reperta ibidem oberrans in litore umbra Palinuri, qui nuper fluctibus maris abſorptus fuerat, inſtantiſſimis obſecrationibus Æneam obteſtata eſſet, ut aut terram iniiceret, aut ſecum ipſam per undas ultra paludem tolleret, *ſedibus ut ſaltem placidis in morte quieſceret.* Eâ namque de re indignata Sibylla:

[d] *Lib.6. metam.*
[e] *Suid. ibid.*

Unde hæc (inquit) *ò Palinure, tibi tam dira cupido?*
Tu Stygias inhumatus aquas amnémque ſeverum
Eumenidum aſpicies? ripámve iniuſſus abibis?
Deſine fata Deûm flecti ſperare precando.

Quare & apud Homerum [f], Elpenoris, qui delapſus è tecto ſibi fregerat cervices, umbra Ulyſſi apparens, per eius parentes, liberóſque, ac poſteros obteſtatur, *ne ſe indefletum, & inſepultum relinqueret*, nequa ipſimet Ulyſſi ob huiuſmodi neglectum Deorum indignatio fieret; ſed combureret cum armis, ſepulchrúmque erigeret. Et in Troade Euripidis dolet Chorus, quòd Priamus mortuus erraret inſepultus, & indefletus: paritérque in Hecubæ prologo Polydorus eiuſdem Priami filius à Polymneſtore Thrace proditoriè necatus, & in procellas maris abiectus, cùm

[f] *Odyſſ.* λ.

FLETUS IN SEPULTURA NECESSARIUS.

Iaceret in littore, interdum in maris æſtu
Multis circuitibus undarum agitatus,
Indefletus, inſepultus;

apparuit ad ſepulturam & quietem conſequendam. (Neque enim ſine fletu [g] & luctu ſepultura fuit: quem apud Homerum [h] Achilles, & Laërtes [i] aiunt eſſe *honorem mortuorum.*

[g] *Serv. in Æn.6.*
[h] *Il.* ψ.
[i] *Od.* ω.

mortuorum. Indéque, ut puto, non tantùm ex pietate, sed ex vero more[k], in ossilegio, & ad cineres lacrymæ; quæ etiam phialis excipiebantur[l], & cum cineribus ponebantur in urnis: frequénsque in poëtis mentio cinerum & ossium *defletorum*, & *indefletorum*; & in antiquis monumentis inscriptio *Cum lacrymis*, & *Non sine lacrymis*.) Apud Ciceronem[m] quoque quidam matrem in somnis interpellans;

[k] Ovid. in ep. Saph. Horat. 2. Od. 6. Tib. l. 1. eleg. 3. & c.
[l] Vid. Guther. lib. 1. cap. 28.
[m] Tuscul. 1.

Mater te appello, quæ curam somno suspensam levas,
Neque te meï miseret? Surge, & sepeli natum.

Sicuti & apud Silium[n], Appij Claudij Consulis vulnere ad portas Capuæ accepto demortui umbra inhumata, corporis sepulturæ impatiens, Scipionem sic alloquitur:

[n] Lib. 13.

———— Lenta meorum
Dum varios ritus curat, & solemnia vulgi
Exequitur, cessat flammis imponere corpus,
Ut portet tumulis per longum membra paternis.
Quod te per nostri Martis precor æmula facta,
Arce quæ patriis artus medicamina servant,
Dáque vago portas quamprimùm Acherontis adire.

III.

SEPULTUS ABSQUE SOLITIS CEREMONIIS, PRO INSEPULTO HABITUS.

Quinimmò apud Plautum[o] hospes ab hospite necatus, licèt opertus, quòd tamen id clàm factum fuisset, & absque solitis ceremoniis, quasi insepultus derelictus sic queritur:

[o] In Mostell. act. 2.

Me in Acherontem recipere Orcus noluit,
Quia præmaturè vitâ careo; per fidem
Deceptus sum, hospes hîc me necavit, ísque me
Defodit insepultum clàm ibidem in hisce ædibus.

Paritérque in Anthologiâ[p] alius necatus, & terrâ obrutus;

[p] Lib. 3. cap. 6. epigr. 7. & 10.

Vitam meam spolians, das sepulchrum: sed abscondis me;
Non sepelis. Tali & ipse fruaris sepulchro.

Et: *Si me mortuum sepelisses, videns misericordi animo;*
Haberes etiam à Diis præmium pro pietate:
Iam verò cùm tumulo me abscondas qui occidisti,
Eadem consequaris, quæ mihi præstitisti.

Qualis apud Ælianum[q] hospes quidam, à Macareo Mitylenensi sacerdote Bacchi, ut eius potiretur auro fidei

[q] 13. Var. 2.

P

suæ commendato, turpi proditione in templo necatus, & clanculùm terræ defossus: quem paulò pòst divinâ exertâ vindictâ in sacrilegum Macareum, publico funere iussit deus efferri, & honorificè sepeliri. Qualisque apud Virgilium [r] Sichæus Didonis maritus; qui à Pygmalione uxoris fratre, auro eius inhiante, fraudulenter occisus, quamquam terrâ opertus, tamen quòd iustis funebribus careret, *inhumatus* dicitur. Quales denique, & prolixior paulò Plinij [s] Secundi ad Suram narratio de horrifico spectro cuiusdam senis, macie & squalore confecti, ac cruribus compedes manibus catenas gestantis, quatientísque, cuius nimio terrore spatiosa quædam & capax domus Athenis infamis & deserta reddita, tota illi monstro relicta fuerat; donec Athenodori Philosophi audaci constantiâ, illud ad nutum sequentis, inventa sunt in loco ab idolo illo indicato, ossa inserta catenis & implicita, quæ corpus ævo terrâque putrefactum nuda & exesa reliquerat vinculis: quæ ubi collecta publicè sepulta sunt, domus posteà ritè conditis Manibus quievit. Et brevior Suetonij [t] de Imperatore Caligulâ: cuius cadaver cùm in hortos Lamianos asportatum, & tumultuario rogo semiambustum levi cespite obrutum esset, non priùs cessârunt hortorum custodes umbris inquietari, quàm sorores Caligulæ ab exilio reversæ cadaver erutum, crematúmque sepeliissent. Tanti videlicèt veteribus habebatur vis iustæ sepulturæ, ut qui illâ privarentur, quamvis alioqui terrâ obruti fuissent, insepulti tamen existimarentur, & inquietè continuò agere. Unde & apud eumdem Virgilium [u] Æneas Polydoro, licèt tumulato, haud tamen ritè ac servatis ceremoniis condito, *instaurat funus, animámque sepulchro condit*, ut ibi demùm plenè quiescat. Et sunt qui quòd Pausanias in Phocicis habet de Eurynomo, uno ex inferorum diis, circumrodente mortuorum carnes, & nuda tantummodò ossa relinquente, interpretentur de cadaveribus mortuorum, qui debitis privati fuissent honoribus & ceremoniis. Quam & ideò *sepulturam insepultam* dicere possumus: uti vocavit Cicero lacerum ac tumultuarium Iulij Cæsaris funus.

[r] Æn. 1.
[s] 7. ep. 27.
[t] In Caio, cap. pen.
[u] Æn. 3.

IV. INIECTIO PULVERIS, GENUS SEPULTURÆ.

Quare quod ad quietem animarum, non tam ipsum sepulchrum, seu monumentum lapideum, existimaretur necessarium, (quod magis gloriæ & honoris erat) quàm ipsa sepultura, hoc est ceremoniæ, quæ in humatione ad defunctorum corpora fieri consueverant: inde in favorem insepultorum hoc genus sepulturæ (ut scribit Acron [x]) in sacris adinventum est, ut etsi cadavera non obruerentur, tamen manu plenâ ter iacta terra à prætereuntibus pro idoneâ sepulturâ eis esset. Adeò ut scribat Servius [y]; cùm Pontificibus nefas olim esset cadaver videre, tamen magis fuisse nefas, si visum insepultum relinquerent: genus autem extitisse sepulturæ, iniectionem pulveris. De quâ apud Horatium [z] Architas Tarentinus naufragus in littore iacens;

At tu nauta, vagæ ne parce malignus arenæ
Ossibus & capiti inhumato
Particulam dare. ———
Quamquam festinas (non est mora longa) licebit
Iniecto ter pulvere curras.

Nam in hoc sepulturæ genere pulverem fuisse oportuit, hoc est non glebam, sed terram solutam; ut etiam ex Homero [a] & Sophocle [b] intelligitur: videlicèt ad discrimen plenę sepulturę, quæ fiebat in crematione cadaveris cum interiectione [c] glebæ. Quamquam & congererentur etiam nonnumquam lapides: sicuti Dionysius [d] narrat factum Romæ in cadaver occisæ à fratre Horatiæ, & insepultæ proiectæ. Vocátque eiusmodi sepulturam Petronius [e] *tralatitiam lapidationem.*

[x] *In Horat. 1. od. 28.*
[y] *In Aen. 6.*
[z] *1. od. 8.*
[a] *Il. ξ. ubi Hector alloquitur Andromachen.*
[b] *In Antig. de fun. Polyn.*
[c] *Cic. lib. 2. de leg.*
[d] *Lib. 3.*
[e] *In Satyr.*

V.

Quòd verò & iniectio ista pulveris, seu lapidatio, secundùm Pontificalem ritum (ut Servius addit) fieri poterat & circa cadaver, & circa absentium corpora, quibusdam solemnibus sacris; inde etiam erigi consueverunt quæ vocabantur *Cenotaphia*, hoc est sepulchra quædam vacua & inania; ad quæ iusta fierent, & inferiæ deferrentur pro animabus illorum, quorum corpora reperiri non possent. quam & *Imaginariam* appellat sepulturam, quæ tantum valebat quantum plena. De quibus extant non pauca Græcorum Epigrammata, sive Epitaphia

DE CENOTAPHIIS NECESSARIIS.

in ipsorum Anthologiâ [f]. A Græcis enim, sicut opinionem de vagatione animarum ante legitimam corporum sepulturam, ita & Cenotaphiorum remedium processisse constat; ad quæ animas [g], seu manes mortuorum evocarent, ut pacem eis & quietem conciliarent: quæ ψυχαγωγία dicebatur: & in eâ observabant, ut defunctum ter nomine appellarent, quasi eum in patriam deducturi: quod sepulturæ instar habebatur. Ut sunt vetustissimi huius sacri ritûs exempla apud Poëtarum Principes, Homerum [h], ubi Ulysses non priùs solvere potuit ab orâ Ciconum, quàm suorum sociorum, qui à Ciconibus fuerant trucidati, ter unumquemque vocâsset: & Virgilium [i], ubi Æneas Deiphobo inquit:

Tunc egomet tumulum Rhoeteo in littore inanem
Constitui, & magnâ manes ter voce vocavi:

Et ad ipsum Deiphobus:

Omnia Deiphobo solvisti, & funeris umbris.

Atque inde apud Ausonium [k] idem:

Non habeo tumulum, nisi quem mihi voce vocantis
Et pius Æneas, & Maro composuit.

Signat & hunc morem Pindarus [l], dum Peliam inducit monentem Iasonem, posse ipsum iram infernorum deorum avertere, reducendo in patriam animam Phrixi, qui in Colchicâ terrâ perierat, & alij tam Latini quàm Græci veteres auctores. Quem eumdem, simul & Cenotaphiorum, usum sic idem Ausonius descripsit in præfatione Parentalium:

Hoc satis & tumulis, satis & telluris egenis:
Voce ciere animas, funeris instar habet.
Gaudent compositi cineres sua nomina dici:
Frontibus hoc scriptis & monumenta iubent.
Ille etiam mæsti cui defuit urna sepulchri,
Nomine ter dicto penè sepultus erit.

Et anteà Virgilius [m], dùm de Andromache olim Hectoris coniuge ait;

Solemnes tum fortè dapes, & tristia dona
Libabat cineri Andromache, manésque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem cespite inanem,
Et geminas, causam lachrymis, sacraverat aras.

[f] Lib. 3. ac præcipuè cap. 22. ubi de naufrag.
[g] Didym. & Eustath. in Odyss. 1. vers. 65. Schol. Pind. in Pyth. od. 4. Stroph. 7. in epod.
[h] Odyss. 1.
[i] Aen. 6.
[k] Epitaph. 13.
[l] In Pyth. od. 4.
[m] Aen. 3.

Et Statius [n], quando Ornitus ad Argivas matres, quærentes corpora suorum ad mœnia Thebarum peremptorum, contra Creontis prohibitionem sepulturæ tradere: [n] *Theb. l. 11.*

Quin fugitis (inquit) *dum tuta via est, Lernámq; reversæ,*
Nomina, quod superest, vacuis datis orba sepulchris,
Absentésque animas ad inania busta vocatis?

Horúmque inanium Sepulchrorum illustre est exemplum apud Lycophronem [o]; ubi Cassandra prædicens naufragia Græcorum post Troiæ excidium, ait gemituram Græciam *Honoraria sepulchra, non urnis, sed scopulis insidentia, nec extremum tegentia ex igne cinerem, sed nomen miserandum, & Cenotaphiorum inscriptiones.* Qualia & fuerunt, quorum fit mentio apud Xenophontem [p]; cùm narrat, post quamdam cum barbaris initam pugnam in reditu ab expeditione Cyri Minoris, ipsummet Xenophontem unà cum Arcadibus de suorum occisorum sepeliendis cadaveribus sollicitum, multos eo ipso quo ceciderant loco humâsse, aliquot è viâ sublatos honestissimo funere extulisse; at illis quorum corpora non invenirentur, Cenotaphium excitâsse, magnósque rogos extruxisse, ac coronis ornâsse. Et apud Thucydidem [q]; cùm describens solemnem militum funerationem, quæ fieri Athenis consueverat; ait etiam illorum causâ quorum corpora reperiri non potuissent, subsequi solitum lectum stratum. Itémque apud Pausaniam [r]; dùm meminit *inanis*, seu *vacui sepulchri*, erecti ad Argos illis Argivis, qui bello Troiano perempti fuerant. Et apud Laërtium [s]; ubi agit de cenotaphio Periandri. Quale & sibi optavit apud Virgilium [t] Nisus, si in certamine occumberet; nimirùm ut esset, qui illum [o] *In Cassand.* [p] *Exped. Cyr. lib. 6.* [q] *Lib. 2.* [r] *In Corinth.* [s] *In Periandr.* [t] *Æn. 9.*

Mandet humo solitâ: aut si qua id fortuna vetabit,
Absenti ferat inferias, decorétque sepulchro.

hoc est (ut interpretatur Servius) Cenotaphion faciat; & impleat honorem sepulchri. Sicuti apud Euripidem [u] Orestes immolandus in Tauris Scythiæ, Pyladem obtestatur, ut cùm in Græciam redierit, excitet ipsi sepulchrum in patriâ. Et apud Agathiam [x] mulier Thessala ad Bosphorium littus sepulta, petit sibi fieri cenota- [u] *Iphig. in Taur.* [x] *Anthol. l. 3. c. 11. epigr. 48.*

[y] *Metam.*6.

phium in patriâ. Et apud Ovidium [y] Progne credens sororem Philomelam periisse in mari;

> *Induitúrque atras vestes, & inane sepulchrum*
> *Constituit, falsísque piacula manibus infert.*

[z] *Anthol. l.* 3. *cap.* 22. *epig.* 11. 12. 22.
[a] *Ibid. epigr.* 26.
[b] *Epigr.* 54.
[c] *Philostr. de vit. Apoll. l.* 8. *in fi.*
[d] *Virg. Æn.* 3.
[e] *Odyss.* δ.
[f] *Æn.* 3. & *ib. Serv.*
[g] *Lib.* 2. *de leg.*
[h] *In Æn.* 4. *Adde Macrob.* 1. *de Somn.* 13.
[i] *De anim. cap.* 56.

Et alia huiusmodi plurima apud diversos auctores: apud quos eadem Cenotaphia reperiuntur etiam aliquando dicta *falsi* [z] *& mendaces lapides*; aliquando [a] *surdi*; aliàs [b] *supervacui* [c]; itémque *mendacia sepulchra*, *inanes* [d] *tumuli*, & id genus. Quod verò Homerus [e] tradit Menelaum constituisse in Ægypto tumulum Agamemnoni fratri, quem audierat dolosè fuisse in Græciâ necatum ab Ægisto adultero; nisi eò referas, fecerit id fortè ipse propter illegitimam fratris sepulturam: quemadmodùm apud Virgilium [f] Æneas Polydori corpus iam terrâ fortuitâ obrutum, solemni iterùm ritu sepelivit; quoniam, ut diximus, eiusmodi adhuc insepulti censebantur, nec (ut etiam notavit Cicero [g]) antè sepulchrum erat, quàm iusta facta; nec (ut Servius) sine fletu sepultura esse poterat: Vel etiam ob violentam Agamemnonis mortem; quoniam (ut ait idem Servius [h]) *dicebant Physici, Biothanatorum*, hoc est violentâ morte sublatorum, *animas non recipi in originem suam, nisi vagantes legitimum tempus fati complêssent*; seu (ut hanc illorum opinionem retulit Tertullianus [i]) *donec reliquatio compleretur ætatis, quâcum pervixissent si non intempestivè obiissent.* Qui paulò pòst absolutissimam fuisse illam sepulturam docet, cùm animæ *iustâ ætate sopitæ, probâ morte disiunctæ, promptâ humatione dispunctæ* fuissent.

VI.

[k] *Vid. Platon. in Phædo.*
[l] *Ex carm. de Phœnic. ap. Lactant.*

DESCRIPTIO ALTERIUS VITÆ, EX ANTIQUIS ETHNICIS.

Tunc enim qui sceleribus puri vitam integram egissent, aut post mortem perfectè purgati fuissent [k], putabantur adire loca;

> *Quæ* [l] *non exangues morbi, non ægra senectus,*
> *Nec mors crudelis, nec metus asper adit.*
> *Nec scelus infandum, nec opum vesana cupido,*
> *Aut Mars, aut ardens cædis amore furor.*
> *Luctus acerbus abest, & egestas obsita pannis,*
> *Et curæ insomnes, & violenta fames.*
> *Non ibi tempestas, nec vis furit horrida venti,*

Nec gelido terram rore pruina tegit.
Nulla super campos tendit sua vulnera nubes;
Nec cadit ex alto turbidus humor aquæ.

Cuiusmodi Beatorum sedes vocavit Homerus [m] — [m] Odyss. δ.

——Elysium campum, & fines terræ
Immortales;
Ubi utique facillima vivendi ratio est hominibus:
Non nix, neque hyems longa, neque umquam imber,
Sed semper Zephyri suaviter spirantes auras
Oceanus emittit ad refrigerandum homines.

Et Virgilius [n] sic: — [n] Æn. 6.

——Locos latos, & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, sedésque beatas.
Largior hic campos æther & lumine vestit
Purpureo, solémque suum sua sidera nòrunt.

Ubi, ut habet Tibullus [o], — [o] 1. eleg. 3.

----Choreæ, cantúsque vigent, passímque vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aves.
Fert casiam non culta seges, totósque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.

ut aliorum alias eiusmodi beatorum locorum descriptiones modò prætereamus; ac speciatim illam Platonis in Phœdone, quæ à cælesti Ierusalem à B. Ioanne in Apocalypsi [p] metaphoricè depictâ non longè abesse videtur. — [p] Cap. 21.

VII. Omittimus quoque aliud Cenotaphiorum genus, quod non tam necessitatis, quàm honoris ergô, & ut Cicero [q] loquitur *gloriæ munere* excitari consueverat etiam illis, qui alibi iustam ac promptam sepulturam consequuti fuissent. Qualia solemni more Atheniensibus usitata fuisse, traditur à Marcellino in vitâ Thucydidis: & mentio apud Pausaniam [r] erectorum Euripidi, Aristomeni, Achilli, Dameoni, Tiresiæ, aliísque variis Græciæ locis. qualísque *honorarius* ille tumulus, quem Druso [s] Claudij Imp. parenti Romani milites ad Rhenum excitârunt: & *Cenotaphium*, quod Alexander [t] Severus Aug. in Galliâ meruit: plurimáque eiusmodi passim apud quarumcumque gentium Scriptores. Quæ quidem (ut ait Dionysius [u] Halicarnasseus, rationem reddens de mul-

CENOTAPHIA HONORARIA.

[q] Philip: 14.
[r] In Attic. Messen. Eliac. 1. Bœot.
[s] Suet. in Claud. cap. 1.
[t] Lamprid. in Alex. cap. 63.
[u] Lib. 3.

tiplicibus eiusmodi sepulchris & monumentis erectis Æneæ per Italiam) fieri consueverant in gratiam acceptæ alicuius utilitatis; præcipuè si superessent reliquiæ generis, aut oppidum aliquod conditum, aut sicubi longiori usi hospitio humanos se in hospites præbuissent. Cùm tamen presse loquendo, non nisi unum iure [x] Romano sepulchrum esse, ac dici posset: quia *sepulchrum* propriè est, ubi corpus ossáve hominis, & maximè caput conditum est. *Monumentum* [y] autem generaliter est, quod memoriæ servandæ causâ erigitur: in quod si corpus, aut reliquiæ inferantur, fiet *sepulchrum*; si verò nihil inferatur, erit *Cenotaphium*. Sed hæc minùs ad rem nostram. Illud magis, num etiam Cenotaphia religionem haberent. Sunt enim antiqui Iurisconsulti, qui asserant [z] auctoritate Virgilij; negéntque [a] ex Divorum fratrum rescripto. Quorum adversas sententias sic recentiores [b] conciliant, ut Divi fratres loquuti sint de Cenotaphiis, quæ ad nudam tantùm memoriam, vel honorem alibi sepultorum fierent; Virgilius de iis ubi aræ sacratæ essent, vocatíque Manes. Unum his ex Clemente [c] Alexandrino, & Origene [d] ipsius Discipulo, de Cenotaphiis addam; consuevisse olim Pythagoreos cenotaphia extruere disciplinæ suæ desertoribus, quòd eos haberent pro mortuis.

[x] L. 2. §. 5. l. cùm in diversis. 44. D. de relig.

[y] d. l. 2. §. 6. d. monumentum. 42. eo.

[z] Martianus l. in tantum. 6. §. fi. D. de rer. divis.

[a] Ulp. l. 7. eo. & l. vel quod. §. fi. D. de relig.

[b] Guichard. lib. 1. cap. 8. Guther. lib. 2. c. 18. Kirchm. lib. 3. cap. 17.

[c] Lib. 5. Strom.

[d] Cont. Cels. lib. 2. & 3.

VIII. ROMANI A GRÆCIS PLURIMA MUTUATI.

Iámque de his modò satis. Quamvis enim addi possent, fortassis & deberent, non pauca alia, quæ non parùm nostro sanctitudinis ac religionis rei funerariæ argumento conferre viderentur: quòd tamen iam satis supérque pro instituto de iis dictum sit; nec nobis cuncta complectendi cupido incesserit: id tantùm superesse arbitramur, ut ex uberiori praxis utriusque gentis Græcæ Romanæque demonstratione rem propositam amplificemus: ut sunt nimirùm communes utrique, sicut pleræque aliæ sacræ ceremoniæ, ita & funerum ritus. quos ferè ab Atheniensibus Romanos mutuatos esse, ingenuè fatetur Cicero [e]; résque ipsa clamat, omnia penè Romana iura & sacra, ex Græcis fluxisse fontibus: quibusdam solùm immutatis; prout in omnibus ferè rebus, qui-

[e] Lib. 2. de legib.

que.

que posteriores aliquid prioribus vel addere, vel demere, aut aliter emendare, decentius, aut honorificentius, sanctiúsve existimare consueverunt.

CAPUT XII.

De usu & praxi GRÆCORUM *in exhibitione Sepulturæ.*

I.

ET verò quid est quòd cùm antiqua illa Græcia in ceteris quidem rebus, tot fermè diversis legibus & consuetudinibus uteretur, quot in eâ essent civitates, aut Respublicæ; in cultu tamen Sepulturæ una, eadémque fuerit totius Græciæ lex & consuetudo: (quod & superiùs probatum, ac rursùm Euripides [f], & Isocrates [g] disertè asserunt;) nisi quòd illam iuris naturalis ac divini, ac proinde immutabilis & invariabilis, esse crediderunt? Atque ut à nobilioribus & antiquioribus ordiar, quis res gestas Atheniensium legit, vel audivit umquam, & spectatissimam eorum hâc in re pietatem ac religionem ignoret? Imprimis enim ab ipso illius urbis conditu, Theseum qui condidit, (hoc est, per pagos dispersos Athenienses unam in civitatem congregavit, & legibus ac institutis devinxit. Ipsi enim alioqui αὐτόχθονες, non aliunde dilapsos, sed ex Atticâ terrâ principiò genitos iactabant.) scimus adiutorem sese præstitisse Adrasto Argivorum Regi, vendicandis ad sepulturam illorum cadaveribus qui ad Thebas concidissent; sive Thebanos prælio vincendo (ut cecinit in Tragœdiâ [h] Euripides; qui & ipsummet Theseum propriis manibus illorum sepulturam curâsse tradit:) seu potiùs (ut ex pluribus historicis mavult Plutarchus[i]) datis & acceptis hinc inde induciis. Memoriæque tradidit Philocorus, has pactas fuisse Inducias omnium primas pro tollendis corporibus cæsis: cùm tamen in iis quæ de Hercule feruntur, (cui maximo heroï vetustæ paganorum historiæ magna omnium virtutum exempla identidem tribuere consueverunt) asse-

Marginalia: [f] *In Supplic.* — [g] *In Panathen* — DE ATHENIENSIBUS. — [h] *In Supplic.* — [i] *In Thes.* — INDUCIÆ IN BELLIS PRIMÙM INVENTÆ AD SEPULTURAM OCCISORUM.

ratur [k], ipsum primum post hominum memoriam, mortuos hostibus à se devictis ad sepeliendum concessisse, cùm anteà qui in bello cecidissent solerent feris volucribusque devorandi relinqui. (Sed in parvo fuerit ista de tempore, & auctore controversia; cùm & fuerint Hercules & Theseus æquales, generéque propinqui; & iste illius gloriæ æmulus, fortissimúsque ingentium facinorum patrator.) Quare & quòd qui adhæc peterent inducias, victos sese faterentur; ut ex Diodoro [l], Livio [m], Plutarcho [n], Iustino [o], Virgilio [p], aliísque disertè intelligitur: Homerus, & alij, qui de Bello Troiano scripserunt, attrocissima omnium certamina ad vendicanda in sepulturam cæsorum cadavera inter hostes collata finxerunt: ac sæpiùs aliàs pugnatum esse in præliis acerrimè, ne corporibus suorum hostes potirentur, ludibrio scilicèt futuris, innumera extant apud veridicos Græcanicarum, Romanarúmque rerum Scriptores exempla. Cæterùm Inducias L. Æmilius Paulus apud Livium [q], & humanitatem illam quæ in sepeliendis infensissimorum etiam hostium corporibus exhibetur, Dion Chrysostomus oratione de consuetudine, (ut iam alios huius sententię testes prætermittam) Iuri Gentium non scripto tribuunt: ad quod & ipsam religionem in Deos spectare, idémque non solùm naturale, sed & suo modo divinum censeri, superiùs vidimus.

k Plut. in Thes. Ælian. 12. Var. 27.
l Lib. 17. & 19.
m Lib 32.
n In Nic. & in Agesil.
o Lib. 6.
p Æn. 11.
q Lib. 40.

II. Quare apud Athenienses, non solùm (quod etiam ait Pausanias [r]) *pium semper existimatum fuit terræ mortuos mandare*; nec tantùm (quod Sophocles [s] docet) eos curare, *facinus gloriosissimum*, & *aureo honore dignum* habebatur: nec item solùm (quod testatur Thucydides [t]) *patrium* fuit *institutum*, *factis induciis corpora* suorum in præliis cæsorum ab hostibus ad sepulturam *postulare*: nec denique tantùm (quod etiam diximus) qui aliquod insepultum cadaver per neglectum aut contemptum omisissent, impietatis rei habebantur: verùm etiam in eos graviter vindicari solebat. Sicut accidit ducibus [u] illis, qui ex pugnâ navali omnium maximâ, quâ Græci cum Græcis dimicârunt apud Arginusas Bello Pelopo-

r In Attic.
s In Antig.
t Lib. 4.
u Xenoph. l. 1. rer. Græc. Diod. Sic. lib. 13. Val. Max. l. 9. cap. 8.

nesiaco, victores de Lacedæmoniis redeuntes, iussu populi necati sunt; quòd militum suorum corpora quæ in fluctus in ardore certaminis decidissent, post fusos hostes colligere, & patrio ritu sepulturæ mandare omisissent: quamquam sævissimâ ortâ maris tempestate id officij præstare impediti fuissent. Cuiusmodi exitium sibi anteà timens Nicias [x] alius Atheniensium dux, cùm aliquando Corinthios acie fudisset, indéque recedens duos fortè ex suis militibus, dum sustulisset cadavera, mortuos reliquisset imprudens; mox ubi id rescivit, inhibito suæ classis cursu, caduceatorem misit ad hostes recuperandorum duorum illorum cadaverum causâ: quamvis (ut diximus) de more & usu, qui per inducias cæsorum corpora petiissent, victoriæ renunciare viderentur, neque posteà integrum iis esset trophæum erigere. Maluit tamen profundere ille auream, & decus, quàm duobus illis relictis inhumatis, impietatis causam apud suos dicere, & præsentissimum vitæ periculum subire. Quemadmodùm & posteà alius item insignis eorumdem Atheniensium dux Chabrias [y], postquàm pugnâ navali, quâ primùm à Bello Peloponesiaco Athenienses victores abierunt, apud Naxum classem Lacedæmoniorum in fugam vertisset; ab insequendo tamen abstinuit (inquit Diodorus) memor pugnæ ad Arginusas olim factæ, à quâ ducibus victoriâ potitis ingens beneficium morte populus compensaverat: quare veritus Chabrias, ne siquid eiusmodi contingeret, simile & ipse discrimen subiret, omissâ hostium persecutione, cives undis fluctuantes collegit, & servatis quos adhuc superstites invenit, defunctos inhumavit: quæ si ipsum cura non retraxisset, facilè totam hostium classem pessumdedisset. Ipsíque iidem Athenienses, cùm in adventu [z] Xerxis Persarum Regis cum innumerabili illo exercitu ad subiiciendam sibi universam Græciam, solicitarentur à Themistocle ipsorum duce, relictâ urbe naves conscendere, ne opprimerentur à barbaris; acceperunt ipsi hoc consilium perquàm molestè, quòd (ut dicebant) *templis Deorum, ac sepulchris maiorum relictis, neque victo-*

VICTORES DUCES SUPPLICIO AFFECTI OB SEPULTURAM OMISSAM.

[x] Plut. in Nicia.

[y] Ap. Diod. lib. 15.

[z] Plut. in Themistocl.

ATHEN. SEPULCHRA SALUTI PRÆFERUNT.

ria curanda esset, neque salus desideranda. Et Philippus Rex Macedonum pater Alexandri Magni, post pugnam Chæronensem [a]; quæ universæ Græciæ & gloriam dominationis, & vetustissimam libertatem finiit; non tantùm profecit armis apud victos Athenienses, quàm humanitate: siquidem armis solos eos superavit qui in acie contrà steterant, humanitate omnes Athenienses simul & illorum civitatem sibi devinxit; dum non solùm sine pretio captivos remisit, sed etiam quod longè iis gratissimum erat, cæsorum corpora sepulturæ reddidit; reliquiásque funerum ut ad sepulchra maiorum deferrent, ultrò hortatus est: indéque loco hostium eos ad quodvis officium paratos habuit. Sicuti econtrà nullâ re magis alium Philippum patrem Persei eorum animos exacerbâsse, quàm sepulchrorum, aliorúmque locorum sacrorum violatione, ipsimet in concilio [b] Ætolorum declarârunt; cùm non id quidem se queri dixerunt, quòd hostilia ab hoste passi forent; esse enim quædam belli iura, quæ ut facere, ita pati sit fas: sata exuri, dirui tecta, prædas hominum pecorúmque agi, misera magis quàm indigna patienti esse. Verumenimverò id se queri, quod is adeò omnia simul divina humanáque iura polluerit, ut priore populatione cum Infernis Diis, secundâ cum Superis bellum nefarium gesserit: *omnia sepulchra monumentáque diruta esse in finibus suis, omnium nudatos manes, nullius ossa terrâ tegi:* circa omnia templa Philippum infestos circumtulisse ignes: semiruta & truncata simulacra Deûm inter prostratos iacere postes templorum.

[a] Iustin. l. 9. Suid. verb. Philip. &c.

[b] Liv. lib. 31.

III. Denique apud Xenophontem [c] testatur Socrates, in electione Magistratuum diligenter Athenis inquiri consuevisse; num eligendi solliciti essent de sepulturâ suorũ, ornandísq; eorum monumentis. Extátque apud Demosthenem [d] lex funebris, de curãdâ à Demarchis sub gravi pœnâ sepulturâ tam liberorum hominũ, quàm etiam servorum quos nemo efferret. Et Æschines [e] amplam inde sumpsit occasionem acerrimè invehendi in eumdẽ Demosthenem, quòd cùm unicam & dilectissimã sibi filiam

[c] De dict. Socr. lib. 2.

[d] Orat. cont. Macart.

[e] Orat. cont. Demosth. & ap. Cic. Tusc. 1. & Plut. in Vit. Demosth. & de consol. ad Apoll.

amisisset, antequàm luctu defunctus fuisset, aut mortuæ iusta persolvisset, coronatus albatúsque rem sacram fecisset, legésque hoc agendo violâsset. Magnus verò ille Phocion, non minùs fortis in bello dux, quàm prudens in pace gubernator, postquàm [f] Leosthenes civitatem præcipitem in bellum, Græcorum dictum, egisset, eâque de re indignante Phocione iam propè octogenario, quæsîsset ab eo per ludibrium Leosthenes, quidnam suo annorum adeò multorum imperio profuisset Reipublicæ? (fuit namque Phocion quinquies & quadragies Prætor & Imperator à suis civibus electus, cùm comitiis ne semel quidem interfuisset, sed absens semper accersitus esset.) *Non parùm verò*, (respondit Phocion) *quippe me imperatore cives omnes Athenienses in patriis monumentis sepulti sunt.* Erat enim eorum Imperatoribus solicitior cura, non solùm ut militum corpora sepulturæ traderent, sed etiam ut quantum possent Athenas reportarent, publicis sumptibus, ac solemnibus ceremoniis inhumanda: quem ritum accuratè descripsit Thucydides [g].

[f] *Plut. in Phocion. & tract. quom. quis. se laud. pos.*

[g] *Lib. 2.*

IV.

Nec sanè cùm de sepulchris agimus, déque sepulturis Atheniensium, silentio involuimus omnibus sæculis laudandum, & à Scriptoribus [h] tam Græcis quàm Latinis celebratissimum Cimonis Atheniensis præclarissimum facinus, quo & magnitudinem animi, & pietatem erga parentem, & reverentiam sepulturæ, quàm maximè demonstravit. Cùm enim pater eius insignis dux Miltiades post devicta celeberrimo ad campos Marathonios prælio cum parvâ Græcorum manu trecenta fortissimorum Persarum millia, servatámque universæ Græciæ, ac potissimùm Athenarum suarum libertatem, solemni Atheniensium ingratitudine peculatûs reus, in carcerem adhuc vulneribus æger quæ pro Republicâ acceperat, coniectus, nec litis æstimationem quinquaginta talentorum dependere valens, in vinculis publicis decessisset; sed nec corpus eius sepulturæ mandari, priusquàm multa soluta esset, permitteretur: tunc Cimon filius eius, nec ipse quidem quicquam habens, quod dare pro patris cadavere sepeliendo, præter seipsum, posset; easdem ipsas catenas &

[h] *Herod. lib. 6. Æmil. Prob. in Miltiad. & in Cimon. Val. Max. lib. 5. cap. 3. & 4. Senec. 9. controvers. 1. &c.*

CIMON VINCULA SUBIIT PRO PATRIS SEPULTURA.

carcerem patris, tamquam ingentem hereditatem adire libentissimè elegit, quò dignam ei sepulturam adipisceretur; nullo sibi felicior visus, quàm quòd paterni corporis pretium esset. Cui [i] etsi maximo posteà & civi & duci evadere contigit, plus tamen aliquantò laudis in carcere, quàm in curiâ vel exercitibus assecutus est; quòd ceteræ virtutes admirationis tantummodò multùm, pietas verò etiam amoris plurimùm mereatur. Unde & ille apud Quintilianum [k] avum, qui ut patrem sepeliret auctoravit se, *licèt viderit quid sibi accidere posset auctorato, illud tamen crudelius putavit, si pater insepultus iaceret.* Ceterùm quantum idem Cimon posthàc semper sepulturæ officio detulerit, vel inde apparet, quòd graves scribant auctores [l], eum, cùm pinguioris fortunæ factus fuisset, inter alia egregia liberalitatis & pietatis exempla quæ continuò ederet, pauperes mortuos qui unde efferrentur non reliquissent, suo sumptu efferendos curâsse. Sed qui vellet singula Atheniensium persequi, numquam res haberet exitum: quibus verò hæc ad institutam probationem satis non fuerint, quærant ipsi sibi, addántque alia, quæ apud antiquos auctores affatim reperire proclive cuivis erit. Nec quidem inter minima reponant æquitatis plenissimum illud eorumdem Atheniensium plebiscitum; quo Pausanias [m] scribit ipsos publicæ sepulturæ honorem etiam communicâsse cum servis, qui strenuè dominis in prælio cum Æginetis inito operam suam navâssent; ac pariter cum illis aliis, qui in pugnâ Marathoniâ pro defensione Atticæ cecidissent. Quod & Lacedæmonij præstitisse reperiuntur [n] servis suis post Mardonium ad Platæas debellatum: & multi privati suis, in Anthologiâ [o], & antiquis Inscriptionibus, aliisque veteribus monumentis.

V.
DE LACEDÆMONIIS.

Sed quòd de Lacedæmoniis mentionem egimus, quantam & ipsi in bellis, & exteris peregrinationibus, sepulturæ curam haberent, (nam quæ intra fines suos observarent, superiùs ex Lycurgi legibus indicavimus:) docetur imprimis ex Homero [p]; dum refert, Menelaum eorum Regem in reditu ad patriam è bello Troiano, ad

[i] Val. Max. d. c. 4.
[k] Declam. 302.
[l] Æmil. Prob. in Vit. Cimon. Athen. lib. 12. cap. 8. Ex quo tamen aliqui id ipsum tribuunt Pisistrato, aquè Atheniensi; contra ipsius Athenas apertissimam narrationem, quâ id tantùm Cimoni tribuit. in quo & Eustathium in Hom. Il. ω. ad fi. deceptum existimo.
[m] In Attic.
[n] Ap. Herod. lib. 9.
[o] Lib. 3. cap. 13.
[p] Odyss. γ.

hoc officium Phronti nauclero præstandum, quamvis incredibili patriæ desiderio teneretur, prosperrimæ navigationis cursum retardare maluisse, (unde & gravem passus est procellarum tempestatem) quàm ei deesse; pietatem rebus propriis anteponentem. Itémque ex Iustino[q] historico; cùm agens de quodam prælio à Lacedæmoniis contra Messenios ineundo, ait Tyrtæum poëtam tantum suis carminibus ardorem eis iniecisse, ut non iam de salute, sed de sepulturâ solliciti, tesseras insculptis suis & patrum nominibus, dextero brachio deligarent, ut si omnes adversum prælium consumpsisset, & temporis spatio confusa corporum lineamenta essent, ex indicio titulorum tradi maiorum sepulturæ possent.

[q] Lib. 3.

VI.
DE THEBANIS.

Apud Thebanos[r] verò nemini licebat domum extruere, nisi priùs conditorio sibi parato. Et Antigonem Oedipi filiam mori elegisse tradunt[s], quàm fratrem Polynicem indefletum & insepultum relinquere. Magnúsque ille eorumdem philosophus, dúxque fortissimus Epaminondas[t], his plerumque verbis ad præclara subeunda certamina suis militibus animos dare solebat, *Adite, ô viri fortes, mortem sacram, pro patriâ, pro maiorum sepulchris, pro Deorum aris.* Iason quoque Thessalus apud Euripidem[u], post tot ac tantas iniurias acceptas à Medeâ, ac recèns in occisione filiorum, protestatur tamen se facilè ei reconciliatum iri, si sibi permiserit filios *sepelire ac lugere.*

[r] Alex. ab Alex. lib. cap.
[s] Sophocl. in Antig. Eurip. in Phœniss.
[t] Plut. tract. utrùm Athen. bel. an pac. clar. fuer.
[u] In Medeâ ad fi.

DE THESSALIS.

VII.
DE MACEDONIBUS.

Eamdem verò sepulturæ suorum curam & Macedonibus insitam fuisse, cùm ex multis constet, tum imprimis ex eo quòd cùm Rex eorum Alexander Magnus non paucos milites ad angustias Persidis ab hostibus amisisset, alióque iter dirigere cogeretur; *dimittere* tamen (inquit Curtius[x]) *milites insepultos erubescebat; ita tradito more, ut vix ullum militiæ tam solemne esset munus, quàm humandi suos:* (cùm etiam dilatione sepulturæ dehonestari mortuos, Nestor apud Calabrum[y] testetur.) *Eorum verò corpora* (subdit Diodorus[z]:) *ad sepulturam expetere, ignominiosum sibi, ac manifestam victoriæ concessionem fore animadvertebat,* &c. Idémque post insignem illam victoriam ad Granicum amnem adeptam, suos qui oppetierant (in-

[x] Lib. 5.
[y] Lib. 3.
[z] Lib. 17.

quit idem Diodorus) magnificè sepulturæ tradidit, excitatiores ad discrimina pugnarum reddere cupiens milites eiusmodi honestamentis. Et post mortem Alexandri digladiantibus inter se pro principatu eius ducibus, cùm aliquando, qui à Perdiccâ erant magno numero undis Nili absorpti fuissent, Ptolemæus, in quem ibatur, eiectorum [a] ad ipsum comburendo corpora, iustisque exequiarum peractis ossa defunctorum necessariis & amicis transmittendo; Macedonum Perdiccæ militantium animos adeò sibi conciliavit, ut Perdiccâ deserto ad Ptolemæum transierint. Sicuti econtrà haud modicam in se Pyrrhus ille celeberrimus Epirotarum & Molossorum Rex, eorumdem Macedonum, suî aliàs studiosissimorum, concitavit [b] invidiam ex eo quòd cùm Galli, quos stipendiarios habebat, aggressi monumenta aperire Regum Macedoniæ, thesauros diripuissent, ac reliquias cum ludibrio dissipâssent: hoc Pyrrhus lentè ac solutè tulerit, seu quòd distractus negociis id reiiceret in aliud tempus, seu planè ob timorem supplicium persequi à Gallis dissimularet. Cúmque etiam Demetrius cognomento Poliorcetes filius Antigoni, ingentem expeditionem pararet adversus Ptolemæum, Seleucum, & Lysimachum, qui provincias occupaverant à patre ipsius possessas, & ne vicinum relinqueret Macedonibus durum & gravem, fœdus cum eodem Pyrrho pepigisset: trepidi [c] alij illi Reges missis ad Pyrrhum legatis, & literis, mirari significaverunt se, quòd bellum ad Demetrij opportunitatem omissâ suâ traheret; cúmque in multa distractum negocia exigere Macedoniâ valeret, præstolaretur *dum sibi esset pro aris, templis, & sepulchris Molossidis dimicandum* cum eodem Demetrio viribus aucto. Philippus quoque Rex pater Persei, qui regnum cum libertate amisit, bellum adversus Romanos gerens in ipsâ Macedoniâ, *& ad charitatem* [d] *suorum, & ut promptiùs pro eo periculum adversus Romanos adirent*, nihil validius excogitare potuit, quàm si equitum, qui ceciderant in nuperâ exploratorum expeditione, sepeliendorum curam habuisset: ideóque efferri eos in castra iussit, ut conspiceretur

[a] *Diod. lib. 18.*

[b] *Plut. in Pyrrh.*

[c] *Plut. ibid.*

[d] *Liv. lib. 31.*

retur ab omnibus funeris honos. Pariterque posteà Antiochus Rex Syriæ adversus eosdem Romanos bellum gesturus, in Thessaliam adveniens [c], Philippum Megalopolitanum cum duobus millibus hominum ad legenda ossa Macedonum circa Cynoscephalas, ubi debellatum erat à Romanis cum Philippo Rege, misit: sive ab ipso quærente sibi commendationem ad Macedonum gentem, & invidiam Regi, quòd insepultos milites reliquisset, monitus; &c.

[c] *Liv. lib. 36. Appian. de bel. Syr.*

VIII.

Timoleonte [f] etiam Corinthio pro Syracusanis adversus Carthaginienses bellum gerente, cùm aliquãdo solis sex militum millibus contra septuaginta hostium millia moveret, videbatur præter ætatem insanire, (inquit Plutarchus) quòd exercitum à Syracusis octo dierum viâ divelleret, *unde nec receptus fugientibus, nec copia sepulturæ superesset cæsis*: quæ videlicèt dignum, solúmque par pretium videri potuisset tanti facinoris pro patriæ defensione obiti. Apud Cretenses [g], honores, immunitates, ac privilegia eadem quæ sacerdotibus, etiam cadaverum sepultoribus tributa erant; quos *Catacautas* à cremandis corporibus vocabant; erántque Diis Manibus sacri: cúmque Cretenses mutuò furtis & rapinis sese infestare consuescerent, ad alias concessas Catacautis publicas immunitates, id quoque accedebat, quòd ab iis religiosè abstinebatur. Quid quòd & reperti sunt, qui maiorem sepulchris præstarent venerationem, quàm ipsorummet Deorum templis? Namque apud Sybaritas [h] Magnæ Græciæ gentem, cùm quidam ex iis servum flagris cædens, eumdem ad sacram templi aram confugientem, crudeliùs ibi rursùm cæderet; ad extremum ubi servus ad patris heri sepulchrum profugisset, loci religione commotus herus à plagis destitit, ac servo pepercit. Qui sanè ut finem modúmque rationis in hoc transiisse censeatur; fuisse tamen & apud alios populos, sicut deorum aras, ita & illustrium hominum sepulchra servis, aliisque miserabilibus personis asyla, perfugiáque inviolabilia; constat ex Euripide [i], de Protei sepulchro in Ægypto; ex Plutarcho [k] de Thesei Athenis; ex Strabone [l], de Osiridis in eâdem Ægypto

[f] *Plut. in Timol.*

DE CORINTHIIS.

[g] *Plut. quæst. Græc. 21.*

DE CRETENSIBUS.

DE SYBARITIS.

[h] *Athe. lib. 12. cap. 3. Suid. verb.* Amyris.

SEPULCHRA, ASYLA.

[i] *In Helen.*

[k] *In Thes. in fi.*

[l] *Lib. 17.*

m In Æn.6. iuxta Saim; ex Servio[m], de Aiacis Telamonij in Rhoeteo
n In August. littore, & Achillis in Sigeo; ex Xiphilino[n], de Iulij Cæ-
ex Dion. lib. 47. saris Romæ in loco ubi eius corpus combustum fuerat; éxque aliis antiquis scriptoribus, de plurium eiusmodi virorum insignium monumentis. Scitúmque quod refer-
o Ap. Macrob. 2. Satur. 4. tur [o] de Augusto Cæsare; cùm Vectius quidam monumentum patris exarâsset, dixisse Augustum, *Id esse verè monumentum patris colere*; allusione factâ à culturâ agri ad cultum deferri solitum sepulchris paternis.

CAPVT XIII.

De ROMANIS, *mixtímque de* GRÆCIS.

I. SED ut antiquiora Romanorum perquiramus; post religiosa Numæ de funeribus instituta, de quibus satis superiùs, L. Tarquinio[p] *Superbo* cognomen facta indiderunt, quia Servium Tullium Regem, socerum gener sepulturâ prohibuit, Romulum quoque insepultum periisse dictitans. Et in memorabili illâ secessione Plebis Romanę[q] ad Montem Sacrum, occasione usurarum, quibus miserè premebatur à potentibus; nullius tam rei se ipsi sollicitos præbuerunt, quàm sepulturæ: quippe qui cetera quieti, ac sine ullâ violentiâ agentes, hæc tantùm fremebant: Urbe sibi pulsis aëra, aquam, locum suppeditaturam ubique *ad sepulturam* Italiam. Vicissímque Camillus, alter Urbis conditor, post expulsos inde Gallos, cùm populum omnium rerum egenum, instaurandæ Urbis desperatio incessisset, ac propterea Veios urbem olim Hetruriæ caput, & gloriæ Romanorum æmulam, nuper autem ab eodem Camillo, post decennalem demùm obsidionem, non minùs astu quàm fortitudine, Romanorum imperio subiectam, omnibúsq; rebus instructam, migrare cogitaret; ut illum ab hâc feroci ac fœdâ cupidine retraheret, unà cum Senatu hortando & prensando, nullis eum magis argumentis linivit, flexítque[r], quàm memoriâ *Sepulchrorum & monumentorum maiorum, locorúmque sacrorum à priscis Regibus relictorum*. Sicut haud levius existimatum

p Liv. lib. 1.

q Plut. in Coriol.

prodigium, quo sepulchrum, quàm quo ædes sacræ de cælo tactæ essent, ex Livio [r], Suetonio [s], aliísque constat. Et consuevisse Romanorum duces & imperatores in acie milites adhortari, ut *pro sepulchris maiorum, & pro templis & aris Deorum*, viriliter dimicarent; testatus est Tiberius [t] Gracchus oratione quâdam ad populum pro rostris habitâ. Quod & apud Græcos locum habuisse vidimus: fuisséque ubivis locorum solemni usu frequentatum, sciunt qui historias gentium perlustrârunt.

[r] *Lib. 27. cap. 25.*
[s] *In Claud. cap. ult.*
[t] *Ap. Plutarc. in Tiber.*

II. DEORUM TEMPLA, ET MANIUM SEPULCHRA, EIUSDEM IURIS CENSITA.

Idque quoniam Deorum templa, & Manium sepulchra pari fermè iure censebantur. Quare & Vibius [u] ille Virius, qui in Bello Annibalico defectionis Campanorum ab Romanis auctor exstiterat, cùm in Senatu Campano ageretur de Capuâ Romanis dedendâ, hâc vehementiùs ratione suos ab eiusmodi consilio revocare conatus est, quòd tanta aviditas Romanis esset supplicij de Capuanis expetendi, tanta sanguinis ipsorum hauriendi sitis, ut illos Roma circumsessa, coniuges, liberi, aræ, foci, deûm delubra, sepulchra maiorum temerata ac violata, à Capuæ obsidione non avertissent. Ex cunctis enim miseriis, quæ in urbium expugnationibus perferri solent, miserrimas semper veteres existimârunt, Templorum ac Sepulchrorum violationem & eversionem. Sicuti nuper vidimus conquestos esse apud Livium Athenienses. Et illud apud auctorem [x] ad Herennium gravis figuræ exemplum: *O feros animos, ô crudeles cogitationes, ô derelictos ab humanitate homines! qui agere ausi sunt, aut qui cogitare potuerunt, quo pacto hostes revulsis maiorum sepulchris, deiectis mœnibus, ovantes irruerent in civitatem: quomodò Deûm templis spoliatis, optimatibus trucidatis, aliis abreptis in servitutem, virginibus, matribus familias, ingenuis pueris sub hostilem libidinem subiectis, urbs acerbissimo concidat incendio conflagrata.* Et apud Senecam [y] Tragœdum Iole:

[u] *Ap. Liv. lib. 26.*
[x] *Lib. 4.*
[y] *In Hercul. Oete. act. 1.*

At ego infelix non Templa suis
Collapsa deis, sparsósve focos,
Natis mistos arsisse patres,
Hominíque deos, Templa sepulchris:
Nullum querimur commune malum.

Nec desunt, qui vetustæ illius XII. Tabularum [z] legis, quâ vetitum fuit, ne mortui intra Urbem Romam sepelirentur, hanc rationem assignent [a], ne ciues paterentur hostes in maiorum suorum monumenta grassari, ac proinde alacriori etiam animo eos longiùs à mœnibus Urbis arcerent atque propulsarent. Sanè Varro [b] muros Urbis ad hoc sacros existimandos fuisse voluit, ut pro iis propugnare alacriùs cives, mortémque etiam oppetere sustinerent. Sic neglecta à Lucullo [c] magno alioquin Imperatore, eorum militum qui duce Triario improsperè cum Mithridate pugnaverant, ceciderántque sepultura, reliquorum militum animos imprimis ab eo alienavit; splendidè à Pompeio curata, maiorem illi benevolentiam conciliavit.

[z] Ap. Cic. 2. de leg.

[a] Girald. de sepulr.

[b] Ap. Plut. quæst. Rom. 27.

[c] Plut. in Pomp.

III. Quantíque hoc pretij atque dignitatis apud Romanos esset, magnificè declaravit Cicero, cùm multis alijs locis, tum in decernendo [d] militibus illis qui prælio Mutinensi pro patriæ libertate cecidissent, honorificentissimo monumento. Cúmque Germanicus Cæsar cum exercitu incidisset in locum haud procul saltu in quo reliquiæ Vari legionúmque insepultæ erant, cupido eum invasit, ut Tacitus [e] narrat, solvendi suprema militibus, ducíque: permoto ad miserationem omni qui aderat exercitu, ob propinquos, amicos, denique ob casus bellorum, & sortem hominum. Itaque eò accedens cum exercitu, sextum post cladis annum, trium legionum ossa, nullo noscente alienas reliquias an suorum humo tegeret, omnes ut coniunctos, ut consanguineos, auctâ in hostem irâ, mœsti simul & infensi condiderunt: primúmque extruèndo tumulo cespitem Cæsar posuit, gratissimo munere in defunctos, & præsentibus doloris socius. Cùm alioqui in favorem militum specialiter indultum [f] esset, ut qui in bello cecidissent, etsi corpora eorum non comparerent, lugerentur. Quod verò ad curam sepulturæ pertinet; tamquam de re præclarè gestâ gloriatur Sulpitius apud Ciceronem [g], quòd mortuo Marcello funus amplum faciendum curâsset; ac pro collegio & propin-

[d] Ph. lipp. 14.

[e] Ap. Tac. Annal. 1.

[f] L. ult. D. de his quibus ut ind. (?) — L. ult. D. de his qui not. inf.

[g] 4. Ep. famil. 11.

quitate & vivo & mortuo omnia præstitisset. Laudátque M. Aurelij Imp. pietatem ac clementiam Capitolinus [h], quòd in magnâ pestilentiâ, sumptu publico vulgaria funera iusserit efferri. Ortáque pariter sub Gallo & Volusiano pestilentiâ, Aurelius Victor scribit [i], iis favorem quæsitum, quòd anxiè studiosèque tenuissimi cuiusque exequias curarent. Et quod de Græcis nuper diximus; consuevisse etiam Romanos servis suis quibus benè voluissent, sepulturam honestam conferre; præter illa quæ dicta sunt superiùs, cùm de sanctitate Sepulturæ ageremus, ostendunt quamplurimę alię veteres Inscriptiones, lapides, urnæ, epitaphia. In quibus & Piletus apud Statium [k] meruit à domino suo, thure etiam & aromate honestari: non enim

——Servilis adempto
Ignis: odoriferos exhausit flamma Sabæos,
Et Cilicum messes, Phariaque exempta volucri
Cinnama, & Assyrio manantes gramine succos.

Solitósque plurimos modum, & rationem ac sumptus funeris & monumenti sui, heredibus præscribere, plurimæ Romanorum [l] leges apertè significant. Ac Cyrum in ultimâ valetudine mandâsse quædam de funere suo, Xenophon [m] scribit: & Suetonius [n], Augustum Imp. mandata de funere suo uno volumine complexum esse. Idémque de aliis facile esset longâ exemplorum serie demonstrare. Et confirmant frequentissimæ illæ in vetustis sepulchrorum inscriptionibus literæ T. F. I. vel breviùs E. T. hoc est, *Testamento fieri iussit*, vel *ex Testamento*: quòd plerumque testatores non solùm monumentum sibi fieri mandarent, sed & modum eius præscriberent. Sicut & maximè concupiisse summâ hominum frequentiâ efferri, inde apparet, quòd sæpè legatis testamento relictis [o] ad exequias invitare consueverant. Summóque dolore affecti sunt Romani [p], quòd Tiberij crudelitas, Drusi & Agrippinæ interemptorum reliquias sepulchro regio inferri vetuisset, & in terram defossas occultari iussisset, ne umquam inveniri possent.

[h] In M. Aurel. cap. 13.
[i] De Cæsar. cap. 30.
[k] Silvar. lib. 2. in epiced. Pileti.

SERVI ETIAM THURE HONESTATI.

[l] L. Liberto. 31. §. 4. D. de neg. gest. l. hereditas. 50. §. 1. D. de pet. her. l. si quis sep. 12. §. funus. D. de relig. l. ult. §. ult. D. de aur. & arg. leg. l. Titius. 42. D. de leg. 3. l. in testamento. 27. D. de condic. & demonstr. l. cùm in testamento. 102. D. de verb. sig. &c.
[m] De Cyr. pæd. lib. 8.
[n] In Aug. cap. ult. Dio lib. 56.
[o] Vid. l. si tibi. 10. D. de leg. 3. l. conditionum. 91. D. de condic. & demonstr.
[p] Dio lib. 58.

IV. PUDOR PRIVATIONIS SEPULTURÆ, FORTIOR AMORE VITÆ.

Quid quòd apud antiquam illam plebem Romanam, quando adhuc Urbem Reges habebant, plus potuit timor privationis sepulturæ, quàm ipse amor vitæ? cùm videlicèt (ut scribit Plinius [q]) immensum cloacarum opus Tarquinio Prisco plebis manibus faciente, & laboris, incertum longioris an periculosioris, passim conscitâ nece Quiritibus tædium fugientibus; novum, & inexcogitatum anteà posteàque remedium invenit ille Rex, ut omnium ita defunctorum figeret crucibus corpora spectanda civibus, simul & feris volucribúsque laceranda. quâ re à tumultuario illo mortis genere omninò cessatum est, tamquam puditurum esset extinctos, quia pudebat viuos. Quid quòd haud absimili exemplo scribit Plutarchus [r], Virgines Milesias, cùm ex quâdam animorum intemperie, repentè omnes ad vitam suspendio finiendam furioso impetu agerentur, ac nec parentum lachrymis, nec aliis quibuslibet remediis ab eâ phrenesi avocari possent; solo pudore infamis funeris, mortis cupiditatem penitùs abiecisse; cùm à prudenti Magistratu decretum fuisset, ut quæ corporibus suspensis periissent, nudæ cum iisdem laqueis quibus se præfocaverant, per medium forum publicè efferrentur? Quid denique quòd nullâ aliâ suasione allici potuit famosissima illa Lucretia Romana stuprum pati à Sex. Tarquinio, quàm [s] quòd minatus est se interfecturum illam, & iugulato insuper uno è famulis, compositurum eorum corpora quasi in stupro deprehendisset; *ut præter probrosum interitum, etiam sepulturâ ceterísque solemnibus caritura esset?*

[q] Lib. 36. cap. 15.

[r] De virt. mul. & de anim. ap. Gell. lib. 15. cap. 10.

[s] Dionys. Halicar. lib. 4.

V. GRAVIS SOLLICITUDO SEPULTURÆ.

Facit enim naturalis ille corporis nostri amor (de quo iam superiùs egimus) etiam cùm illud sensu destitutum iri intelligimus, ut non solùm de eius qualicumque sepulturâ solliciti simus, sed etiam ut honestissimè & magnificè, solitisque ritibus exhibeatur. Quo etiam impulsus apud Homerum [ff] Senex Priamus, futuram suam necem præsagiens, illud maximè dolet quòd eum canes laceraturi essent: *hoc* enim *miserrimum esse miseris mortalibus.* Eiúsque filius Hector Troianorũ longè prę̃stantissimus, & quo uno res Troianæ nitebantur, cum Achille pugna-

[ff] Il. X.

turus, id agit primùm, ut qui ex ipsis occumberet, sepeliretur.

Age hîc deos respiciamus. hi enim optimi
Testes erunt, & custodes pactorum.
Non ego te immaniter deturpabo, si mihi Iuppiter
Dederit singularem victoriam, tuámque animam auferam.
Sed postquàm te spoliavero pulchris armis,
Cadaver Achivis reddam: sic & tu fac.

Paulóque pòst ab Achille prostratus certamine, iamiámque confodiendus:

Precor (inquit) *per animam, & genua tua; tuósq; parentes,*
Ne me sinas apud naves, canes dilaniare Achivorum.
Sed tu quidem æsque abundè aurúmque sume,
Dona quæ tibi dabunt pater, & veneranda mater.
Corpus autem meum domum reddito, ut rogo me
Troiani & Troianorum uxores dignentur mortuum.

Cuius corpus Iovis ipsius monitu, & Mercurij ductu, Priamus eius pater sepultum cupiens, rogavit [t] furentem, supplicavit armato, ingenti pretio redemit, vitámque suam exponere maluit, ut cadaveri debita non negaret. Et Græcorum omnium ab Achille fortissimus Aiax Telamonius, proprio gladio incubiturus Iovem deprecatur his verbis [u]:

[t] *Cassiod. 1. Var. 12. Homer. Il. ω.*

[u] *Ap. Sophocl. in Aiac.*

Mitte aliquem nuncium, qui hanc tristem famam
Teucro ferat, ut ille me primus asportet
Collapsum in hunc cruentum gladium;
Ne ab aliquo ex inimicis conspectus priùs,
Obiiciar canibus & volucribus laniandus.
Hæc tibi, ô Iuppiter, committo.

SISYPHI FABULA UNDE.

Unde & fabella de Sisypho, quam memorat Sophocles [x], & explicat Demetrius [y] Scholiastes Pindari: nempè Sisyphum morientem uxori præcepisse, ut se insepultum relinqueret: cùm verò ad inferos descendisset, questum de uxore Plutoni esse, quòd ipsius sepulturam non curaret; ac propterea permissum esse ad vitam redire, ut illam puniret: sed cùm posteà nollet ad inferos redire, vi tractum à Mercurio addictum esse pœnæ illi saxeæ. Sic apud Virgilium [z] Drances, ut de extremâ mi-

[x] *In Philoct.*

[y] *In Olymp.*

[z] *Æn. 11.*

feriâ invidiam concitat Turno, quòd eius causâ *inhumata infletáque turba* sterneretur campis. Et anteà [a] Nisus consilium iniens de invadendis noctu hostium castris, Eurialum se sequi cupientem hâc præcipuè ratione, ab eo dimovere satagit:

[a] Æn. 9.

Siquis in adversum rapiat casúsve, deúsve,
Te superesse velim, tua vitâ dignior ætas:
Sit qui me raptum pugnâ, pretióve redemptum
Mandet humo solitâ.

[b] Æn. 10.

Ac divûm ille contemptor Mezentius [b] Rex Tyrrhenorum, pij Æneæ dexterâ lethale vulnus accepturus, quamvis

Nec mortem horreret, nec divûm parceret ulli;

intimo tamen affectu his verbis sepulturam deprecatur;

Unum hoc per (si qua est victis venia hostibus) oro,
Corpus humo patiare tegi. Scio acerba meorum
Circumstare odia; hunc, oro, defende furorem.

Pariterque ferocissimus eiusdem Æneæ adversarius & corrivalis Turnus, prostratus iacens, victúmque se tandem confitens [c],

[c] Æn. 12.

Ille humilis, suppléxque oculos, dextrámque precantem
Protendens; equidem merui, nec deprecor, inquit;
Utere sorte tuâ, &c.
Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,
Redde meis.

Et misera Ariadna à Theseo in insulâ Diâ derelicta, ingemiscit apud Catullum [d]:

[d] De nupt. Thetid.

——Dilaceranda feris dabor, alitibúsque
Præda, nec iniectâ tumulabor mortua terrâ.

Liciniáque Caij Gracchi coniux, ex præteritâ Tiberij eius fratris calamitate futuram Caij haud vanè præsagiens, nihil in utroque tam luxit, quàm sepulturæ privationem: *Si*, inquit [e], *apud Numantiam frater tuus occubuisset, cadaver petitis induciis reddidissent nobis: nunc forsitan & ego quoque fluvio alicui, aut mari supplex ero, ut appareat alicubi corpus tuum detentum.* Darius verò ultimus Persarum Rex moriens (ut ait Iustinus [f] ex Trogo) precatus superûm inferûmque numina, & regales deos, ut

[e] Ap. Plut. in Gracch.

[f] Lib. 11. inf.

Alexandro terrarum omnium victori contingeret imperium, *pro se iustam magis quàm gravem sepulturæ veniam oravit.*

Quinimmò Asdrubal [g] Gisconis filius sibi timens à furore Carthaginiensium, quorum dux belli fuerat, ne insepultus abiiceretur; veneno epoto, in patris sepulchro se abdidit. Sicuti & Labeo, post excisam in prælio Philippensi unà cum Bruto omnem Romanæ Reipublicæ restaurandæ spem, ne hostium ludibrium fieret, effossâ [h] in tentorio ad sui corporis mensurâ foveâ, se in eo sepulchro condidit, servóque fidissimo gladium ac iugulum præbuit. Longè alio fine, quàm quo Polemon Orator apud Philostratum [i] propter morbi articularis cruciatus vivum se in tumulo posuit, ibique includi iussit. Legimúsque alibi [k], cùm posteà sub Imperio Galli & Volusiani, Neocæsarienses in Ponto sævissimâ divinitùs immissâ peste affligerentur, multos eorum, ne insepulti remanerent, ultrò transîsse ad sepulchra, eò quòd superstites sepeliendis mortuis non sufficerent. Sed & M. Antonius [l] Triumvir in suâ infelici expeditione Parthicâ, ad extrema aliquando redactus, libertum quemdam suum iureiurando adegit ut ubi ipse præcepisset, confoderet ipsum gladio, capútque truncaret, ut nec veniret vivus in hostium potestatem, nec agnosceretur mortuus. Et apud Senecam [m] patrem Labienus Rhetor (Rabienus, quòd passim ordines hominésque laniaret, vocatus) cùm agentibus inimicis nova in eum pœna primùm excogitata esset, ut omnes eius libri incenderentur; non ferens hanc contumeliam, nec superstes esse ingenio suo patiens, in monumenta se maiorum suorum ferri iussit, atque ita includi: *veritus scilicèt ne ignis qui nomini suo subiectus erat, corpori negaretur.* Pariterque Nero Imp. cùm sibi violentâ morte pereundum esse videret, in cavernâ ubi delitescebat scrobem (inquit Suetonius [n]) coràm fieri imperavit, dimensus ad corporis sui modulum; componíque simul, siqua invenirentur frusta marmoris, & aquam simul ac ligna conferri curando mox cadaveri: nihilque priùs ac magis à comitibus exegit, quàm ne po-

VI.

MULTI VIVI SEIPSOS SEPELIERUNT, NE CARERENT SEPULTURA.

[g] App. an. de Bel. Pun.

[h] Appian. de Bel. civil. l. 4.

[i] De Vit. Orat. Soph. in Polem.

[k] Ap. Greg. Nyss. in Vit. Greg. Thaumaturg. ad fi.

[l] Plutar. in Anton. Appian. in Parthic.

[m] Prol. ad lib. 5. Controvers.

[n] In Neron. cap. 49.

testas cuiquam sui capitis fieret, sed ut quoquomodo totus cremaretur. Et Othonem necem sibi ipsi consciturum Tacitus [o] scribit, ambitiosis precibus petivisse, ne caput mortuo amputaretur, ludibrio futurum. memorem videlicèt opprobrij, quod ipse [p] Galbæ Imperatori, Pisoni æmulo, ac T. Vinio Consuli intulerat; dum occisorum præfixa contis capita gestari turpiter permiserat: quæ ab interfectoribus venalia servata, à propinquis redempta ad sepulturam fuêre.

[o] Histor lib. 2.

[p] Tac. Hist. lib. 1. Suet in Galb. cap. 20.

VII.

PRETIO REDEMPTA CADAVERA AD SEPULTURAM.

Etenim pretio redimi consuevisse mortuorum cadavera, quando aliter negabantur, ex Hectore & Niso nuper audisti, & infinita sunt omnium gentium ac religionum exempla. Et quoniam valdè sordidus eiusmodi quæstus quomodocumque fieret, censebatur; inde inter gravissimas Verris accusationes illam Cicero [q] posuit, quòd ille Siciliam gubernans, punitorum cadavera parentibus sepelienda nisi soluto pretio non concederet. Obseruátque Plutarchus in Antonio, neminem eorum in quos fuit ab eodem Cicerone Consule ob coniurationem Catilinæ animadversum, fuisse sepulturá prohibitum. Quandoquidem Romana Iura [r] punitorum cadavera quibuslibet ad sepulturam petentibus danda esse voluerunt. Et, ut ait Quintilianus [s] Nepos, *in honorem pietatis etiam damnati sepeliuntur, cruces succiduntur, percussos sepeliri carnifex non vetat.* Queritúrque vehementer Philo de Flacco Ægypti Præside, quòd cùm instantibus natalitiis Augustorum, aliisque solemnibus celebritatibus, deponi solerent mortui de cruce, & ad sepulturam cognatis reddi, non solùm Flaccus id Iudæis denegaret, verùm etiam illis ipsis diebus vivos crucifigi iuberet. Et Gregorius [t] Nazianzenus alicubi dolet, privatum fuisse quemdam Martyrem sepulturâ, *quæ impiis etiam & sacrilegis hominibus debetur.* Unde & turpiori probro versum olim Achilli, quòd cadaver [u] Hectoris auro contrà vendiderit ad sepulturam Priamo eius parenti; quamobrem & νεκροπέρνας vocatus est, hoc est mortuorum venditor. Notatúrque pariter ab Aristotele [x] Condalus Mausoli Regis Curiæ præfectus, quòd militum mortuorú elationem drachmâ

[q] Lib. 5. in Verr.

[r] L. 1. & ult. D. de cadaver. pun. L. etnoxios. 11. C. de relig.

[s] Declam. 6. corp. proiect.

[t] Orat. 23. in Laud. Heron

[u] Hom. Il. ω. Virg. Æn. 1. Lycophr. in Cassand.

[x] Oecon lib. 2.

venderet. Et inter vitia Commodi Aug. à Lampridio [y] adnumeratum, quòd venderet *suppliciorum diversitates, & sepulturas*. In cuiusmodi notæ homines apprimè conveniat proverbium ab eodem Aristotele [z] citatum, χἀν ἀπὸ νεκρῶ φέρει, vel à defuncto vectigal aufert.

[y] *In Commod. cap. 14.*

[z] *Lib. 1. Rhetor. ad Theod.*

CAPVT XIV.

AMPLA *Sepultura meritis collata: & de quorumdam eâ in re profusione.*

I.

QUONIAM igitur Sepultura, ut loquitur Homerus [a], *honor est mortuorum*; & ut Virgilius [b], *solus honos Acheronte sub imo est*; idémque (ut ait Cicero [c]) *maximus est qui haberi potest mortuo*; ac denique, ut Ammianus [d], *supremitatis honor*: inde non facilè commiserunt Romani, ut qui optimè de Republicâ meriti fuissent, propter inopiam vili sepulturâ afficerentur. Ideóque Valerium [e] Publicolam, qui regio imperio propter nimiam Tarquinij superbiam exacto, Consulatûs initium cum Iunio Bruto auspicatus est, cuiúsque ingens gloria copiis familiaribus adeò exigua fuit, ut sumptus funeri deesset, nisi de publico efferretur: Menenium [f] Agrippam, qui inter Patres & Plebem publicę gratiæ sequester fuit, plebémque à secessione Montis sacri in Urbem reduxit; honoris, necessitatísque propter eius paupertatem, causâ: Fabium [g] Maximum, qui adversus rapidos Annibalis impetus cunctando Romanam restituit rem; quò maior ac speciosior eius funeris pompa duceretur: Suarium [h] Scipionem, in Tribunatu plebi admodùm gratum, dignúmque Africanorum familiâ, cui non erat in bonis funeris impensa: alióśque eiusmodi aliquammultos, publicâ, seu collatitiâ stipe honoratos à populo fuisse, auctores scribunt. Cùm alioqui multò illud honoratius funus censeretur, quod etiam divitibus & opulentis publicâ auctoritate & impensâ celebrari consueverat, in memoriam eorum, qui vel in Magistratu, aut Legatione, pro Republicâ mortem obiissent, (de quo Cicero [i], ubi agit

COLLATA E PUBLICO SEPULTURA BENE MERITIS PAUPERIBUS.

ETIAMQUE DIVITIBUS, HONORIS ERGO.

[a] *Il. π.*
[b] *Æn. 11.*
[c] *Philip. 9.*
[d] *Lib. 31. c. 39.*
[e] *Liv. lib. 2. Val. Max. l. 4. cap. 4. Plut. in Public.*
[f] *Liv. & Val. ibid. Sen. consol. ad Helvi. cap. 12. Plin. lib. 33. cap. 10. in fi.*
[g] *Val. lib. 5. cap. 2. Plut. in Fab.*
[h] *Plin. lib. 21.*
[i] *Phil. 9. & 14.*

de legatione Servij Sulpitij ad M. Antonium; & cæde Hirtij & Pansæ Coss. in prælio Mutinensi:) vel quos aliàs Senatus aut Imperatores quâvis de causâ eximio illo honore decorandos censuissent: quo scribit Dio [k], ab Augusto Cęsare Attiam matrem, Sphærúmque libertum ac pædagogum suum; à Tiberio cùm multos alios & inter eos L. Pisonem Urbis Præfectum, tum Liviam matrem suam; ipsumméque Tiberium à Senatu; Licinium Suram à Traiano: Tacitus [l], Drusum Germanici patrem ab Augusto; Sulpitium, Quirinum, & L. Pisonem Pontificem à Senatu: Suetonius [m] Luciū Vitellium Auli Imp. parentem itidem à Senatu; & ab aliis alios affectos fuisse. Sicut inter Græcos eodem honore tradit Laërtius [n] Democritum Philosophum affectum fuisse à suis Abderitibus; & ab Atheniensibus in Ceramico, (cuius publici loci sepulchrorum amplitudines commemorat Cicero [o]) Zenonē Philosophum; Pausanias [p], à Mantinensibus Gryllum Xenophontis filium; Plutarchus [q], ab iisdem Lycurgum Rhetorem, & aliquot eius consanguineos; itémque Aristidem; & à Thebanis Epaminondam; cùm viri tanti ne sumptum quidem funeris reliquissent: Phocionē quoque ab iisdem Atheniēsibus, postquàm eum crudelissimè necâssent; Timoleontem à Syracusanis; & alios plurimos tam Græcos quàm Latinos, quorum Vitas scripsit, à suis: Thucydides [r], milites Atheniensium qui pro patriâ occubuissent: & alia eiusmodi innumera apud omnes penè omnium gentium historias, eorum virorum, quorum virtus aut gratia ceteris eminebat. Ut sanè longè plus honoris defunctis exhibitum, quàm vivis appareat: prout etiam videre est ex Romanorum Imaginariis, Prætoriis, Consularibus, Censoriis, Triumphalibus, Imperatoriis, aliisque eiusmodi funerum Indictivorum, ac Publicorum generibus, quæ vel illis qui eiusmodi munera ac dignitates adepti essent, vel ex edictis eorum, magnificentissimè peragi consueverant; de quibus alij [s], sicut & de præteritis, copiosè satis. A quibus & illud ex Cicerone [t] notatum, longè honorificentius fuisse, locum sepulturæ à Senatu adipisci, quàm statuâ publicâ donari.

[k] Lib. 47. 48. 57. 58. 68.
[l] Annal. lib. 3. & 6.
[m] In Vitell. cap. 3.
[n] In Democr. & Zenon.
[o] Lib. 2. de leg.
[p] In Arcad.
[q] Lib. de Dec. Rhetor. & in Aristid. & in Fab. in fi. & in Phocion. & in Timol. &c.
[r] Lib. 2.
[s] Guichard. Kirchm. Meurs. Guther. &c.
[t] Phil. 9.

HONORIFICENTIUS SEPULTURA QUAM STATUA DONARI.

quomodò & inter alios traditus legitur in antiquis Inscriptionibus [u], *honoris, virtutísque causâ*, C. Poblitio Ædili Plebis, eiúsque posteris, senatûs Populique iussu.

[u] Ap. Gruter. 455. 1.

II.

Et quod locum sepulturæ spectat; intra quidem ipsam Urbem Romam, Virginibus tantùm Vestalibus [x], quòd ob sacram illarum dignitatem legibus non tenerentur: necnon tyrannicidis [y], ob redditam civitati libertatem; iísque qui triumphâssent, aut Rempublicam auxissent; ac qui virtutis causâ [z] soluti legibus essent, cōcessum fuisse sepeliri reperimus: prohibente de cetero Lege XII. Tabularum ne quis intra Urbem sepeliretur, ob rationes quas aliàs diximus. At extra Urbem fuisse locum sepulturæ omnium honoratissimum Campum Martium, ex Appiano [a] intelligitur; dùm agens de cadavere Syllæ Dictatoris ibi sepulto, ait solos Reges ibi sepeliri consuevisse. Ubi & duo Scipiones [b] censente Senatu sepulti; & populus vi contendit Lucullum [c] funerare; (qui tamen à fratre in Tusculanum delatus est;) & Pompeium [d] coëgit, etiam invitis Tribunis, Iuliam coniugem suam, Iulij Cæsaris filiam, funerare, & humare. Iuxta cuius tumulum & ipsi Iulio [e] eius patri rogus extructus est; atque Hirtius [f] & Pansa Coss. qui ad Mutinam pro Republicâ ceciderant; necnon Drusus [g] Claudij Imp. pater, eodem publico funere delati & sepulti sunt; ac corpus Augusti [h] ibidem crematum. Eodémque M. Oppius [i] post mortem, qui in vitâ gratissimus fuerat, à populo elatus, crematúsque est atque sepultus: quamquam hoc in eum plebis studium indignè ferens Senatus, ossa eius *mônitu Pontificum, tamquam loco sacro* non ritè posita, inde removit; etiamsi & antè & pòst multos eodem loco sepelierint; ut Dio observat. Ac denique scribit Strabo [k], Romanos eum locum *maximè sacrum & venerabilem* ratos, illustrissimorum virorum ac feminarum monumenta ibi collocâsse: eorúmque omnium præclarissimum fuisse *Mausóleum*, quod sibi suísque Augustus struxit; cuius & hactenùs visuntur ingentes reliquiæ. *Mausólea* namque à Romanis (ut ait Pausanias [l]) dicta, sumptuosiora quæque sepulchra; ab illo memoratissimo, dignatóque numerari inter

LOCA SEPULTURÆ HONORATISSIMA ROMÆ.

MAUSOLEA QUÆ ET UNDE DICTA.

[x] Serv. in Æn. 11.
[y] Quintil. declam. 329.
[z] Vid Cic. lib. 2. de leg. Plutar. quæst. Rom. 79. Suet. in Tiber. cap. 1. Eutrop. lib. 8. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 12. et ib. Tiraq.
[a] De Bel. civ. lib. 1.
[b] Sil. lib. 13.
[c] Plut. in Lucul.
[d] Plut. in Pomp. & in C. Cæs.
[e] Suet. in Iul. Cæs. cap. 84.
[f] Flor. epit. 119.
[g] Suet. in Claud. cap. 1.
[h] Suet. cap. 100.
[i] Dio lib. 48. ad fi.
[k] Lib. 5.
[l] In Arcad.

ſeptem omnium terrarum ſpectacula, quod defuncto Mauſolo Regi Cariæ ſuperſtes Artemiſia coniux, eius memoriæ conſervandæ causâ, ab excellentiſſimis [m] artificibus extrui curavit. Pleno verò Mauſoleo Auguſti, fuit magnificè exædificata ad eumdem uſum *Moles Hadriani* (quæ nunc Arx ſancti Angeli nuncupatur) ad pontem Ælium; & in viâ Appiâ *Septizonium* Severi, nunc ferè deletum.

[m] *Plin. lib. 36. cap. 5. Agel. lib. 12. cap. 18. &c.*

III. Sed quoniam non eſt mihi in animo, ſingula quæ ab antiquis celebrata inveniuntur recenſere, aut magnificentiam & amplitudinem funerum Ethnicorum ulteriùs proſequi, quæ diligenter à viris doctis eſt explicata: hoc tantùm pro argumento breviter dicam, in tantam funerum ambitionem, tantámque ſepulchrorum exuperantiam, profuſáſque aromatum, rogorum, epularum, ludorum, munerum, aliorúmque eiuſmodi ſumptuum funeralium; necnon columnarum, ſtatuarum, obeliſcorum, pyramidum, ſculpturarum, titulorum, ædium ſacrarum ac prophanarum, diætarum, cœnaculorum, porticuum, ambulationum, arearum, hortorum, nemorum, lucorum, aliorúmque id genus ornamentorum ſepulchralium; hominúmque, qui eorum curam cuſtodiámque haberent; apud pleroſque Gentiles populos impenſas proceſſiſſe [n]; ut ſæpiùs illæ fuerint ſeveris edictis & ſanctionibus cohibendæ; modúſque & ſepulchris, & funerum pompis conſtituendus: quamvis plerumque fruſtrà, adeò omnibus inſitum erat, ſui ſuorúmque memoriam hoc religioſo officio ad poſteros quammaximè diuturnâ gloriâ pervenire. Sanè etenim & ſapientiſſimus Græcorum heroüm Ulyſſes apud Euripidem [o] dicebat:

AMBITIO FUNERUM QUANTA IN GENTILIBUS.

Atqui mihi quidem viventi in dies,
Etſi pauca habeam, omnia ſufficient.
Sepulchrum autem optârim honoratum
Meum conſpici; in longum enim tempus hoc durat officium.

Et omnis licèt luxûs, ſumptûſque parciſſimi Spartiatæ, ex inſtitutione [p] tamen ſeveriſſimi Lycurgi, mortuos ſuos puniceis ac pretioſis amiculis veſtiebant. Ipſéque Plato, quamquam præ ceteris eiuſmodi ornatuum ſeve-

[n] *Vid. Platon. lib. 12. de leg. Demoſth. orat. cont. Macart. Cic. lib. 2. de leg. & lib. 12. ad Attic. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 14. & ibi Tiraq. Cal. Rhodig. lib. 17. cap. 20. Gutch. Meur. Guther. de Funer. & ſepulc. & alios.*

[o] *In Hecub.*

[p] *Plut. in Lycurg.*

tus censor, tamen post mortem magnificè sepultus est; ut scribit in eius Vitâ Diogenes. Et Romanorum moderatissimus Cato Uticensis, mortuo in Thraciâ fratre Cæpione, nihil [q] pretio parsit, quò sepulchrum ei eximium pararet, funúsque amplissimum faceret, odorum magnificentiâ, & vestibus pretiosis cum cadavere crematis.

[q] *Plut. in Cato. Utic.*

IV. PORTENTA ÆDIFICIORUM SEPULCHRALIUM.

Ac sanè ut reprehendantur portentosissima illa humani ingenij opera, (si tamen ea magis ad otiosam ostentationem, ut pluribus persuasum, quàm ad mysterium & pietatem ædificata fuêre) quæ à Regibus Ægyptiorum & Assyriorum, aliisque eorum æmulis, diversis orbis terrarum locis ad sepulturam extructa ab antiquis scriptoribus memorantur: Et quod in Lydiâ fuit Alyattis [r] patris Crœsi, præter Ægyptiorum & Babyloniorum opera admirandum; quódque ibidem Gyges [s] scorto suo erexit in tantam sublatum altitudinem, ut omni ex parte quicumque Lydiam incolebant videre possent: & quod in Italiâ Porsena [t] Rex Etruriæ, impendio nulli profuturo, fatigatis regni viribus, ut tamen laus maior artificis esset, sepulchri causâ fecit, simul ut externorum Regum vanitas quoque ab Italis superaretur. (Minimè tamen urbes in sepulchra conditas, his comprehendimus; Antinoën ab Adriano, Bucephaliam ab Alexandro, Taphosyrim ab Ægyptiis, & alias permultas variis locis; quippe magno provinciarum generisq; humani commodo ædificatas.) Atque ut meritò damnetur vesanum illud plusquàm duodecim [u] millium talentorum proluvium, in Hephæstionis Exequias ab Alexādro effusum; quo non superiorum duntaxat ætatum funerationes cunctas superavit, verùm etiam futuris nullam excessûs facultatem reliquit: necnon memoratu incredibilis ille desperantis Sardanapali funeralis [x] rogus, quo lectorum aureorum centum quinquaginta, mensarúmque totidem aurearum, auri mille myriadum, argenti decies mille myriadum talentorum, præter aliam pretiosissimam supellectilem, disperditio facta est: Et quem pariter in funus suum Cleopatra [y] è regiis thesauris, auri, argenti, smaragdi, unionis, ebeni, eboris, cinamomi, aliarúmque rerum pretiosissi-

[r] *Herod. lib. 1.*
[s] *Athen. lib. 13. cap. 4.*
[t] *Plin. lib. 36. cap. 13. ex Varron.*
[u] *Diod. lib. 17.*

FUNERATIONES EXORBITANTES.

[x] *Athen. lib. 12. cap. 7.*
[y] *Plut. in Anton.*

z In Æn. 5. a 11. Orig. 1. b Herod. lib. 4. Plut. in consol. ad Apol. Hieron. in Ierem. 16. c Serv. in Æn. 11.

CRUDELIA SPECTACULA IN FUNERIBUS.

d Hom. Il. 4. & Od. ω. in fun. Patro. & Achil. Herod. lib. 4. de Gerris Scyth. Non. Dionys. lib. 37. in fun. Ophelt. Virg. Æn. 6. 10. & 11. in fun. Mise. & Pallant. & ibi Serv. ac in lib. 5. Plin. 4. ep. 2. de fun. fil. Regul. Cæs. 6. de Bel. Gall. de fun. Gall. Appian. lib. 1. de bell. civ. de Spartac. Plut. de Pyrrh. & Philopœm. Iustin. lib. 11. de Alex. Polyb. lib. 1. de Carthag. Stat. Theb. lib. 12. de Menœc fun. Sil. lib. 4. de Scip. Lucian. de Iust. Eur. p. in Helen. Tertul. de Spect. cap. 12. & alij passim & universim de Gentilibus.

marum congestum parabat: aliíque eiusmodi immoderati & exorbitantes quorumdam aliorum, quos antiqui auctores recensent, funebres sumptus, vix pro nostro ævo credendi: Itémque, ut dolentiùs deploretur crudelis illa nimis & impia omnium ferè gentium receptissima superstitio, quâ quòd putarent animas defunctorum sanguine delectari, (videlicèt, ut Servius[z] & Isidorus[a] volunt, quòd sanguis sit sedes & possessio animæ: unde & purpureos flores super monumenta iacere, & purpureis vestibus cadavera tegere; & tam[b] viri quàm mulieres in luctu ac funerib9 genas lacerare, brachia incidere, aliáq; sibi corporis partes dilaniare, quà ut rogis illa sanguinis imago[c] restitueretur, quà etiam ut doloris vehementiam testarentur; consuevisse, pluribus aliis antiquorum testimoniis probatur.) non solùm oves & boves, aliáque varia animalium genera, ac præsertim ea quæ defunctis chariora fuisse constabat; putà canes, equos, aves, & quod magis est servos, atque etiam nobiles captivos, ad rogum illustrium virorum mactare[d]: (adeò ut Tarquinienses[e] trecentos & septem milites Romanos captos immolârint: Augustus[f] Perusiâ captâ trecentos ex deditiis electos utriusq; ordinis, ad aram divo Iulio extructam hostiarum more mactaverit: Alexander[g] totam Cussæorum gentem in parentationem Hephestionis exciderit, & ad internecionem deleverit: Et quasi[h] eas inferias sibi Saguntinorum ultimæ diræ in illo publico parricidio incendióque mandâssent, ita Manibus eorum vastatione Italiæ, captivitate Africæ, ducum & Regum qui id gesserè bellum, exitio parentatum visum fuerit: Grumbatésque[i] Rex Chionitarum Persis militans in obsidione Amidæ urbis, amisso balistæ telo unico filio primæ pubis adolescente, statuerit busto urbis subversæ expiare iuvenis perempti manes: aliáque eiusmodi quamplurima: quibus, postquàm[k] illud de mactandis captivis, crudele visum, successerunt gladiatores; qui venalem habentes sanguinem, ante sepulchra dimicabant, à bu-

e Livi. lib. 7. f Suet cap. 15. g Plut in Alex. h Flor. Rer. Rom. lib. 2. i Ammian. lib. 19. cap. 2. k Serv. in Æn. 10. Tertul. de Spect. cap. 12.

stis

stis *Bustuarij* appellati :) verùm & immaniori vecordiâ permulti quâ servi quâ liberi, dominorum, vel amicorum, propinquorúmve decessûs impatientes, spontè sepsos [l] in rogum vivos dare, aut circa ipsum violentas sibi manus inferre consueverant: adeò ut etiam quorumdam populorum [m] coniuges ambitiosè id affectarent, aliquorum [n] ad id vel invitæ lege patriâ cogerentur: Denique ut modus imponatur inanimis illis pignoribus, atque muneribus [o] auri, argenti, gemmarum, pretiosissimorúmque vestimentorum, & odoramentorum [p], necnon armorum [q], ac denique aliarum rerum omnigenarum quæcumque defunctis cordi fuissent, vel quas propinqui & amici qui funeri aderant charissimas haberent, solitis in rogum eorum iniici quos honore ibant affectos; quasi iis defuncti recrearentur, vel etiam iis indigerent: Ut hæc, inquam, aliáque eiusmodi vanitatis & crudelitatis probra abiiciantur: sumptus tamen † funerum arbitrandos esse pro facultatibus, vel dignitate defunctorum; adeò ut locupleti contumeliam fecisse iudicandus sit, qui modico sumptu eum funeraverit; censuerunt antiqui Iurisconsulti [s] Romani. Ac fuit laudabilis omnium penè gentium consuetudo, cadavera in honestissimâ veste efferri: quam in Romanis Magistratibus fuisse prætextam, aut purpuream, vel auro radiantem, pro dignitate honorum quibus functi fuissent, Polybius [r], Livius [t],

[l] *Exempla singularia habes ap. Eurip. in Suppl. & Philostr. in Icon. de Evadne uxore Capanei: ap. Xenoph. lib. 7. pæd. Cyr. de uxore & spadon. Abradatæ Sus. Reg. ap. Tac. hist. lib. 2. Suet. Plutar. Plin. lib. 7. cap. 5.. de quodam aurigâ. Dion. in Vit. Otho. Imp. de milit. eiusd. Oth. ap. Plin. lib. 7. cap. 36. de Philot. Libert. ap. Val. lib. 4. cap. 6. de M. Plaut. Et universalia de Regum Æthio. amicis & familiaribus ap. Diodor. lib. 3. cap. 1. de Scythis. ap. Herod. lib. 4. & Hier. cont. Iovin. lib. 2. de Gallis, ap. Cæs. lib. 6. de bel. Gall. & Pomp. Mel. lib. 3. cap. 1. de aliis ap. alios.* [m] Indorum *ap. Diodor lib. 19. Plut. tract. num. improb. suff. ad Felic. Ælian. lib. 7. cap. 18. Strab. lib. 15. Cic. Tuscul. 5. Valer. lib. 2. cap. 1. Propert. 3. eleg. 11. Euseb. 6. præpar. 8.* Thracum *ap. Herod. lib. 5. Mel. lib. 2. Solin. cap. 15.* Erculorum *ap. Procop. de bel. Goth. lib. 2.* Getarum. *ap. Mel. lib. 2.* [n] Catheorum *ap. Strab. lib. 5. sive* Cathatorum *ap. Diodor. lib. 17.* [o] *Hom. Il. χ. in fi. de Androm. Herod. lib. 5. de fun. Melis. Eurip. in Phœniss. de fun. Etheocl. Ael. 7. Var. 8. de fun. Hephæst. Virg. Aen. 6. in fun. Misen. & ibi Serv. & Donat. Lucian. in Nigr. Stat. Silv. lib. 5. in fun. Priscil. Calab. lib 3. in fun. Achil. Herodian. lib. 4. de sep. Alex. Tac. Annal. 3. in fun. German. Sil. lib. 10. in fun. Pauli. Suet. in fun. Iulij Cæs. Plut. in Cato. Utic. Stat. lib. 6. in fun. Archem. & alij.* [p] *Hom. Odyss. ω. in fun. Achil. Plut. in fun. Syll. Virg. lib. 6. Tac. Annal. 3. Plin. lib. 12. cap. 18. Valer. lib. 5. cap. 1. Iuven. sat. 4. Pers. sat. 3. & 6. Stat. lib. 3. & 5. Silvar. & alij passim.* [q] *Hom. Odyss. λ. de Elpen. Calab. lib. 3. in fun. Achil. Plut. cont. Colot. 1. de Periand. Aelian. 7. Var. 8. de fun. Hephæst. Eurip. in Helen. de sep. Menel. Plut. in Pelop. Virg. Serv. & Don. ubi suprà & lib. 11. Suet. ibid. Tac. de morib. Germ. Saxo Gram. hist. Dan. lib. 8. &c.*

† FUNUS PRO DIGNITATE FACIENDUM.

[s] *L. si quis sep. 12. §. sumptus. l. & si quis. 14. §. hac actio. & §. iudicem. l. in partem. 21. D. de relig. l. in astam. 27. in fi. D. de condit. & demonstr. &c.* [r] *Lib. 6.* [t] *Lib. 34.*

aliique testantur. Sicuti & aureis & argenteis urnis ossa virorum illustrium sæpè condita legimus [u].

[u] Hom. Il. ψ. & Od. ω. de Patrocl. & Achil. Arrian. lib. 6. de Cyro. Calab. lib. 10. de Parid. Diodor. lib. 2. de Æthiop. Plut. de Demetr. & Marcel. Eutro. lib. 8. de Traian. Spart. de Sever. Ammian. lib. 19. de fil. Grumb. &c.

CAPUT XV.

HOSTIBUS *etiam Sepulturam collatam esse.*

I. GRÆCORUM EXEMPLA DE COLLATA HOSTIBUS SEPULTURA.

QUÒD verò etiam hostibus non solùm Iure gentium, sed & naturali ac divino, (ut pluribus antiquiorum testimoniis superiùs vidimus) Sepultura debeatur; inde factitatum reperimus in bellis, ut hostium cæsorum cadavera honesto funere à victoribus afficerentur. Sic enim in Troianâ obsidione [x] Græci cadavera Reginæ Penthesileæ, & ipsius Amazonum in conflictu peremptarum, Troianis reddiderunt ad honorificam sepulturam. Sic item Xerxes [y] Lacedæmoniis qui ad Thermopylas mortem oppetierant, sepulturam concessit: & vicissim Athenienses [z] Persas qui in prælio Marathonio cæsi sunt, humari curârunt. Cúmque post eosdem Persas ad Platæas debellatos, quidam [a] Pausaniæ Lacedæmonio Græcorum exercitûs Imperatori suaderent, ut Mardonio Persarum duci talionem reponens, sicut ipse Leonidæ patrui Pausaniæ interempti reciso capite truncum in crucem sustulisset, ita Pausanias Mardonij necati corpus stipiti suffigeret; magnanimè Pausanias negavit facturum se quod barbaros deceret potiùs quàm Græcos; satísque Leonidæ, & cæteris qui cum eo occubuerant parentatum esse tantâ Persarum strage. Sic Philippus [b] Alexandri Magni pater devictis ad Chæroneam Græcis, captivos Atheniensibus gratis restituit, occisis iusta funebria fecit, corúmque ossa Athenas deferenda curavit. Et Alexander ipse Magnus, post fusum Darij exercitum ad Pylas Amanicas, cùm [c] curam sepeliendis militibus suis in prælio cæsis impenderet, Persarum quoque nobilissimis eumdem honorem haberi iussit: matríque Darij permisit, quos vellet patrio more sepelire: eiusdémque Darij coniugi captivæ defunctæ, & amarè defletæ, omnem honorem funeris patrij Persarum more servavit: ac de-

[x] Cointh. Smyr. lib. 1. ad fi.
[y] Pausan. in Boeot.
[z] Id. in Attic.
[a] Herod. lib. 9.
[b] Polyb. lib. 5.
[c] Curt. lib. 3. 4. & 5.

mùm necatum à suis ipsummet Darium, demptâ sibi chlamyde contexit, atque regio ornatum cultu ad matrem patrio regióque more sepeliendum, ac regiis maiorum suorum tumulis inferendum misit. Sic Antigonus[d] eius dux positus periurio Macedonum Eumene, cum quo sæpiùs de fortunâ & imperio conflixerat; necavit quidem illum, quòd vehementer sibi ab strenuissimo illo duce timeret, sed tamen corpus honorificè cremari permisit, ossáque urnâ argenteâ condita ad suos in patriam remisit. Paritérque eiusdem Antigoni filius Demetrius[e] Poliorcetes victo ad Salamina Ptolemæo, victoriam suam per se clarissimam, insignem multò magis facilitate & humanitate decoravit, dum hostes qui ceciderant magnificè funeravit, & captivos missos fecit. Eiusdémque Demetrij filius Antigonus[f] Rex Macedonum, occiso Argis Pyrrho Epirotarum Rege, cùm caput eius resectum Alcyoneus Antigoni filius ad patrem lætus detulisset, Antigonus illum incusso baculo abegit, nefarium & barbarum vocans, capútq; & truncum Pyrrhi cremavit magnificè. Cùm & anteà idem Pyrrhus[g] victis prælio Romanis, interemptos honorificè cremâsset, captivósque indulgenter habuisset. Nec absimile, quod Rex Lacedæmoniorum Cleomenes, victis magno certamine Achæis, cùm aliorum omnium cæsorum cadavera datis induciis ad sepulturam concessit, tum corpus Lydiadis Megalopolitani, qui positâ tyrannide libertatem popularibus spontè reddiderat, purpureâ veste tectum, & coronâ exornatum, Megalopolim patrio more funerandum misit. Sic apud Virgilium Turnus occisi à se Pallantis corpus ad eius patrem remittens, inquit[h]:

Quisquis honos tumuli, quicquid solamen humandi est,
Largior.

Et Æneas eodem certamine occidens Lausum filium Mezentij;

——— Téque parentum
Manibus & cineri, si qua est ea cura, remitto.

Quippe, ut notat Servius ad locum Virgilij[i], ubi idem Æneas Latinis concessit suorum occisorum corpora ad

[d] Diodor. lib. 19. Plut. & Aemil. Prob. in Eumen.

[e] Plut. in Demetr.

[f] Id. in Pyrrh. in fi.

[g] Flor. lib. 1. cap. 18.

[h] Virg. Æn. 10.

[i] Æn. 11.

ſepulturam tollere, *ſepulturæ beneficium generaliter debetur univerſis*. Et clamabat ille miles apud Tacitum [k], *ne hoſtes quidem ſepulturam invidere*.

[k] *Annal.1.*

II. ROMANI HOSTIBUS SEPULTURAM INDULGENT.

Quare & primis illis Reipublicæ temporibus, Romani Gallorum Senonum qui Urbem poſſederant, illâ recuperatâ, coacervatis oſſibus, & conſitis, mediâ in Urbe *Buſta*[l] *Gallica* fecerunt. Et Syphacem [m] quondam opulentiſsimum Numidiæ Regem, in cuſtodiâ Tibure mortuum, publico funere cenſuerunt efferendum, ut vitæ dono honorem ſepulturæ adiicerent. Conſimilique clementiâ Perſen olim potentiſsimum Macedonum Regem, Albæ, ubi cuſtodiæ causâ relegatus erat, defunctum, Quæſtore miſſo, publico funere efferendum curaverunt, ne reliquias regias iacere inhonoratas paterentur. Ac primo Punico Bello L. Cornelius [n] Conſul, Olbiâ oppido capto, pro quo fortiſsimè dimicans Hanno dux Carthaginienſium occiderat; corpus eius amplo funere extulit. Sicuti vice versâ ſecundo Bello Annibal, Pœnus licèt, ac Romanorum iuratiſsimus hoſtis, poſt Thraſymenam nihilominùs cladem, Flaminij [o] Conſulis corpus funeris causâ magnâ cum curâ inquiſivit, & quantum in ipſo fuit inhumatum iacere paſſus non eſt. Æmilium [p] verò Paulum ad Cannas trucidatum, conquiſitum pariter, repertúmque ſepelivit: ac Tiberij [q] Sempronij Gracchi Proconſulis, Lucanorum circumventi inſidijs, funus omni rerum verborúmque honore celebravit, atque oſſa in patriam portanda militibus Romanis tradidit: Marcíque [r] Marcelli Conſulis, qui primus ipſius impetum repreſſerat, omniáque tandem virtute vinci docuerat; dum in Apuliâ caſtra Annibalis cupidiùs quàm conſideratiùs ſpecularetur, ex inſidiis interempti, corpus eximiè ornatum honorificè cremavit, reliquias in argenteam conditas urnam, iniectâ aureâ coronâ, remiſit ad filium; ac quoſdam Numidas, qui urnam in itinere diripuerunt, ſupplicio affecit. Quare aliquanto ei plus gloriæ Paulus, & Gracchus, & Marcellus ſepulti, quàm oppreſsi attulerunt: ſiquidem illos Punico aſtu decepit, Romanâ manſuetudine honoravit.

ET AFRI.

[l] *Var. lib. 4. de lin. Lat. Liv. lib. 12. 22.*
[m] *Val. Max. lib. 5. cap. 1.*
[n] *Id. ibid.*
[o] *Liv. lib. 22.*
[p] *Id. ibid. cap. 52.*
[q] *Id. lib. 25. c. 27. Val. Max. lib. 5. cap. 1.*
[r] *Plut. in Marcel. Val. ibid.*

Qui [f] enim defuncto hosti iusta persolvit, superstitis sibi favorem adsciscit; vivúmque [t] beneficio vincit, quisquis extincto studium humanitatis impendit. Quare & putamus Metellum Macedonicum, dum filiis suis præcepit funus Scipionis Africani inimici sui honorare, dicens [u]: *Ite filij, celebrate exequias: numquam civis maioris funus videbitis:* meruisse ipsummet funus, inter rara felicitatis exempla ab antiquis connumeratum. Sic tertio Bello Punico Asdrubal [x] eorumdem Carthaginiensium dux, victo in Africâ Manlio Consule, Tribunos Romanorum qui in pugnâ occubuerant sepelivit. Sylla [xx] quoque Fimbriam hostem libertis eius ad sepulturam concessit: quamvis ille Flaccum Rom. Consulem imperatorem suum nefariè occidisset, atque insepultum abiecisset. Pompeius [y] quoque Magnus Mithtidatis infestissimi Romanorum hostis corpus ad se missum, regiè sepeliri, & regiis monumentis inferri curavit. Cuius & ipsius Pompeij caput [z] nusquam sepulturæ locum habuisset, nî qui ipsum hostiliter insequebatur Iulius Cæsar oblatum sibi plurimis & pretiosissimis odoribus cremandum curâsset. Sed & Marcus Antonius [a] Archelaum Regem à se victum regio cultu funeravit. Ac posteà Bruti [b] acie victi corpori exanimi pretiosissimum paludamentum suum purpureum iniecit; quemdámque libertum suum, cui curam eius funerandi commiserat, quòd paludamentum non concremâsset in funere, interfecit; reliquias Bruti ad matrem eius remisit. Ac demùm ipsummet Antonium, hostem iudicatum, Augustus eius debellator permisit [c] Cleopatræ humare splendidè ac regaliter; eamdémque ipsam Cleopatram defunctam, omnium licèt illorum malorum causam, pari magnificentiâ apud Antonium condi iussit. Otho [d] Imperator acclamatus, cruento adhuc foro per strages iacentium adversariorum in palatium vectus, concedi corpora sepulturæ, cremaríque permisit. Et Probus dux exercitûs, posteà Imperator Romanus, cùm in Africâ quemdam Aradionem fortissimum ac pertinacissimum virum singulari certamine prostrâvisset, *sepulchro* [e] *ingenti illum honoravit:* quale &

[f] Saxo. lib. 3.
[t] Olaus lib. 16.
[u] Plin. lib. 7. cap. 44.
[x] Appian. de Bel. Pun.
[xx] Id. in Mithrid.
[y] Ibid. & Dio lib. 36.
[z] Valer. l. 5. cap. 1.
[a] Plut. in Anton.
[b] Id. Plut. & Val. ibid. & in Brut.
[c] Plut. in Anton.
[d] Tac. Hist. lib. 1.
[e] Vopisc. in Prob. cap. 9.

idem ipse à militibus suis, post sceleratissimam necem, obtinuit. Ac Iulianus Cæsar post Argentoratensem pugnam, quâ Alemannos ingenti clade prostravit, solicitus [f] ne diræ volucres consumerent corpora peremptorum, sine discretione cunctos (hoc est, tam Romanos quàm hostes) humari mandavit. Aliáque eiusmodi sexcenta; quæ passim reperias apud antiquos rerum gestarum singularum nationum Scriptores; quæ exscribere piget. Quinimmò & optatam pietatis & religionis Gentilitiæ funerationis metam cursu contigisse confidens; dicénsque cum A. Vario [g]; *Aut hoc testium satis est, aut nescio quid satis sit*: respirans paululùm, alacriter me accingo ad sanctiora IUDÆORUM, ac CHRISTIANORUM Iura & Instituta perlustranda.

[f] *Ammian. lib.17. in pr.*

[g] *Ap. Cic. l. 2. de finib.*



LIBRI I. PARS II.

De IUDÆORUM, *&* CHRISTIANORUM *sacris placitis, ac religioso usu Sepulturæ & Funerum.*

CAPUT I.

De IUDÆIS.

I. DE IUDÆIS porrò acturi, altiùs ordiendum est, quàm à tempore, quo gens illa eam denominationem accepit: cùm Iosepho [a] teste constet, non priùs id contigisse, quàm cùm tribus Iuda è Captivitate Babylonicâ in Palæstinam postliminio est restituta: tunc enim eam provinciam dici cœpisse *Iudæam*, & *Iudæos* appellari qui priùs

[a] *11. antiq. 5.*

Hebræi, (ab Heber [b] abnepote Semi filij Noë, tritavo verò Abrahæ Patriarchæ; qui primus omnium dictus reperitur in Scripturâ [c] *Hebræus*, quòd [d] ab Heber descenderet, eiúsque primigeniam linguam retineret:) vel *Israëlitæ*, ab *Israele* [e], hoc est Iacobo nepote Abrahæ, nominabantur. Fuit quidem post obitum Salomonis divisio [f] facta regni ac populi Hebraïci, ita ut Roboamo Salomonis filio, eiúsq; successoribus ex stirpe Davidis, subessent duæ tantummodò tribus Iudæ & Beniamini (permistis tamen etiam Levitis, qui sacra curabant) sub nuncupatione *Regni Iudæ*: Ieroboamo filio Nabbati, ac successoribus, reliquæ decem sub appellatione *Regni Israëlis*, usque ad captivitatem universarum tribuum, & excisionem utriusque Regni: unde & illi *Iudæi*, & isti *Israëlitæ*, & dici potuerunt, & dicti aliquando reperiuntur. Post reditum tamen tribûs Iudæ (cui & Beniamin adiuncta erat, cum Levitis) quamvis, ut ex eodem Iosepho [g] constat, ex singulis quoque aliis decem tribubus non pauci cum illâ remeârint in terram Iudæ; (reliqua enim multitudo assuetum iam ultra Euphratem domicilium relinquere noluit; parùm & de Terrâ Promissionis, & de Lege Domini sollicita:) nihilominùs quòd illi neque ampliùs certam Rempublicam haberent, neque Ducem, sicut habebat tribus Iudæ; ij omnes eidem tribui Iudæ, sub unâ eâdémque Reipublicæ, & Religionis formâ adnumerati sunt: & inde tam omnes qui Iudæam incoluerunt, quàm qui ex illis in universum fermè Imperium Romanum propagati sunt, quâcumque ex tribu orti, communiori vocabulo IUDÆI appellati sunt: Sicuti & vulgò etiam appellantur, qui ex decem Tribubus in perpetuo suo exilio, ubicumque tandem id fuerit, commorantur.

[b] Gen. 11.
IUDÆI QUANDO PRIMÙM SIC DICTI.
[c] Gen. 14.
[d] Ioseph. 1. ant. 7. Hieron. in Tradit. Hebr. in c. 10. Gen. Aug. 2. Retract. 14. & alij.
[e] Gen. 32.
[f] 3. Reg. 12. & 2. Paral. 11.
REGNI HEBRAICI DIVISIO.
[g] 11. ant. 4. & 5.

II.

MOSIS, EIÚSQUE SCRIPTORUM ANTIQUITAS.

Quibus obiter explicatis, ut quod agitur agamus, cùm primorum illorum Hebræorum qui sub Lege Naturæ vixerunt, sepulturæ curam satis admodùm pro instituto iam initiò demonstraverimus; nunc Tempus Legis Scriptæ inituri, exordium ab ipso MOSE ducemus, qui sub utrâque vixit, & Scriptæ, quam ab ipsomet Deo accepit,

promulgator extitit; ac populi sui historiam, à Mundi conditu ad sua usque tempora, résque suas ipsius gestas luculentissimo stylo prosequutus est, longè antequàm quisquam ceterorum omnium hominum, quorum scripta nunc extant, aliquid memoriæ prodidisset. Qui enim Gentilium Annales cum divinarum rerum chronologiâ diligenter comparârunt, certissimè demonstrârunt [h] Mosem æqualem fuisse Cecropis primi Atheniensium Regis, Bello Troiano priorem annis fermè quingentis, Olympiadum origine plus octingentis: quæcumque autem memoranda, & miranda, vel de claris hominibus, vel de heroibus, atque etiam ferè de diis, seu fabulosis Poëtarum adinventionibus, seu veridicis Historiarum monumentis, tradita narrantur à Gentilibus; ea omnia post Cecropem, Mosémque extitisse; ipsúmque illum antiquissimum Mercurium Trismegistum [i] aliquot ætatibus Mose posteriorem fuisse.

[h] *Euseb. in præf. Chron. Cyril. Alex. lib. 1. cont. Iulian.*

[i] *Aug. 18. de civit. 39.*

III.

PRÆCEPTUM MOSIS DE SEPULTURA REORUM.

Quanti autem ipse Moses corporum sepulturam fecerit, satis manifestavit cùm Legem [k] tulit, ut reorum in patibulo appensorum cadavera eâdem die sepelirentur: additâ ratione, quia maledictus à Deo esset qui penderet in ligno, & ne contaminaretur terra: hoc est, quia cùm suppliciorum omnium detestabilissimum esset crux, satis superque pœnæ atque infamiæ existimabatur, reum eo esse affectum; nec dignitatem humani corporis, quod aliquam adhuc gereret imaginem Dei, decebat diuturniorem in oculis ceterorum hominum infamiam perpeti: cúmque insepultum relinqui, maximum etiam haberetur supplicium, & immensæ crudelitatis argumentum; ideò magno dedecore & notâ Hebræorum terram inustum iri, si more [l] gentium barbararum putrescere cadavera in cruce sivissent: præterquàm ex aliâ quoque parte potuissent facilè homines adhuc rudes impiissimâ imbui mortalitatis animæ opinione, dum viderent humana corpora bestiarum instar honore sepulturæ carere; quam vidimus sub lege Naturæ significâsse immortalitatem animarum, & resurrectionem corporum. Quare & possumus duplex grande mysterium eodem præcepto agnoscere: ut

[k] *Deuter. 21. in fi.*

[l] *2. Reg. 21. Valer. lib. 6. cap. ult. Plut. in Cleon. in fi. Horat. ep. 16. &c.*

ut ſcilicèt tam eo voluerit Deus præfigurare mortem, ſepulturam, & reſurrectionem Chriſti; qui ut nos redimeret à maledicto legis, maledictum factus pro nobis, ipſe alioquin innocentiſſimus, & benedictiſſimus, poſt infamem & execrabilem initam Crucis mortem, ex Lege Moſis eâdem die ſepultus eſt, ac triduo pòſt glorioſiſſimus reſurrexit, ut nos & animâ & corpore vivificatos in gloriam ſempiternam perduceret: quàm etiam, quòd ab æterno Filij incarnationem & mortem decreviſſet, æquè ſepulturæ præceptum iis à quibus crucifigendus eſſet, præſcribere voluerit, ut non relinqueretur corpus, ſicut apud alias gentes fieri conſueverat, in Cruce putreſcere; ſed patriâ lege coacti, ipſum eâdem die ſepulturæ mandarent. Cæterùm Ioſephus in Antiquitatibus [m] Iudaicis mentem Moſis explicans, non ſolùm hanc ipſius conſtitutionem ad ceteros omnes, qui legibus damnati quomodocumque ſubirent mortis ſupplicium, nempè aut lapidatione, aut gladio, alióve inſtrumento, pertinuiſſe ſcribit; (nimirùm ut poſtquàm per totum diem ſpectaculo fuiſſent, veſperè demùm ſepelirentur:) ſed etiam ad ipſos hoſtes, ne, ut ait, mortuus quiſquam expers terræ iacens, ultrà quàm iuſtum eſſet pœnas exſolueret. Quod & Ioſue [n] obſervavit, cùm hoſtium Reges bello captos, actóſque in patibulum, ad veſperam depoſuit ad ſepulturam. Quinimmò & ipſa inſtrumenta quibus mors reis inferebatur, unà cum illis ſepeliri conſueviſſe, (prohibebantur enim corpora damnatorum inferri in ſepulchra ceteris communia; ſed in privatis ſeorsùm ab aliis ponebantur) obſervârunt Rabbini, qui ritus ſuppliciorum Iudaicorum ac ſepulturarum deſcripſerunt. Inter quos Moſes Ægyptius Maiemonis filius, in opere Iad [o], quod inſtar eſt Commentarij in præcepta Legis Moſaicæ, ſic ait: *Lignum ſuper quo fuit aliquis ſuſpenſus, cum ſuſpendioſo ſepelitur; ne maneat illi malum nomen, & dicant homines, iſtud eſt lignum in quo ſuſpenſus eſt ille. Sic lapis quo aliquis fuit lapidatus, & gladius quo fuit occiſus, & ſudarium, ſive mantile, quo fuit ſtrangulatus, omnia hæc cum iis qui perierunt ſepeliuntur.* De Moſe verò Legiſlatore idem Ioſephus

[m] *Lib. 4. cap. 8.*

[n] *Ioſ. 8. & 10.*

[o] *Lib. ult. halak. Sanedr. perek. 15.*

p Lib. 2. contra [p] Apionem agens, ac providentiam eius in legibus condendis extollens, inter alia ait, prospexisse quoque funeribus defunctorum; ut non quidem sumptuosæ nimis celebrarentur exequiæ, aut superba construerentur monumenta; sed tamen domestici necessaria funeris honestè adimplerent, ceterisque omnibus legitimum & solemne esset concurrere ad funus, & mortuos lugere.

IV. QUOMODÒ INTELLIGENDA POLLUTIO MOSAICA EX TACTU DEFUNCTORUM.

Quod verò ex Lege Mosis censebatur pollutus, qui cadaver hominis tetigisset, haud ita accipiendum est, quasi cadaver in se abominandum fuerit, cui multis rationibus omnem deberi honorem fusiùs docuimus sub Lege Naturæ; sed quoniam per cadaver, ob privationem vitæ, significabatur peccatum, quod occidit animam, à quo expiari necesse esset. Unde Apostolus [q] peccata vocat *Opera mortua;* quæ videlicèt (ut interpretatur Chrysostomus [r]) vitam non habent, & tetrum spirant odorem. Prohibebantur (inquit Clemens [s] Alexandrinus) tangere mortuos, non quòd sit sceleratum corpus, sed quòd peccatum, & inobedientia sit carnalis, & in corpore versetur; sítque mortua, & ideò abominanda. Alioqui sanè proiicienda fuissent hominum cadavera, æquè ac bestiarum, nec ullâ dignanda sepulturâ: quam tamen legimus passim in Scripturâ, non solùm ab illis antiquis Legis Naturæ Patriarchis; verùm etiam sub Mose, ac deinceps, honorificentissimè mortuis corporibus exhibitam fuisse. Quinimmò & ipsum met Mosen, summum Populi Hebraici Imperatorem atque Legislatorem, unà cum Eleazaro Pontifice Maximo, propriis manibus eam Aaroni defuncto dispensatione divinâ exhibuisse (cùm iam præcessisset lex [t] prohibens, ne Pontifex ad ullum omninò cadaver accederet) asserere necesse est, eò quòd morienti [u] Aaroni in supercilio montis Hor, nemo alius præter ipsos adstitit. Nisi velimus, honestiori etiam illum elatum ab Angelis funere: quemadmodùm ipse posteà Moses [x] mortuus in summitate montis Nebo, translatus inde est à Deo per Michaëlem Archangelum, sepultúsque in valle Moab; frustrà resistente diabolo tam pio & honorifico operi. Quare & Isidorus [y] Pelusiota Magni

q Hebr. 9.
r Hom. 15. in Hebr.
s Strom. lib. 4.
t Levit. 21.
u Num. 20. in fi.
x Deuter. ult. Iud. in epist.
y 4. ep. 157. ad Anatol.

Chrysostomi dignus discipulus, verba legis, quibus prohibetur [z] Pontifex *ad animam mortuam introire*, de peccato animæ Mosen accepisse inde evidenter collegit, quòd si corpus mortuum immundum existimâsset, non utique ossa Iosephi Patriarchæ ex Ægypto ablata [a] circumvectâsset: nec pariter Salomon, si mortuum corpus, seu cadaver, per se pollutum credidisset, dicturus fuisset [b], *Melius esse ingredi in domum luctus, quàm in domum risus:* nec Elisei corpus mortuum [c] aliud excitâsset, si cadavera omninò essent inquinata. Quæ eadem argumentatio habetur pariter apud Clementem in Constitutionibus [d], & Epiphanium in Panario [e], ac pluribus etiam rationibus & exemplis confirmatur. Nec demùm omninò minoribus Sacerdotibus, qui sancti erant Domino, permisisset [f] ipse Dominus curare mortuos suos, patres, matres, filios, filias, fratres, & sorores virgines; si res fuisset abominanda. Referunt etiam alij [ff] valdè probabiles causas, cur mortuos vellet Deus haberi immundos ab Israëlitis: videlicèt ut sic eos in idola pronos, quammaximè averteret à ritibus Gentilium; quibus tum magnos viros mortuos ut numina colere consueverant, tum ossibus vel carnibus hominum mortuorum ad maleficia & superstitiones uti. Nam quod Guichardus [g] Iosephum adducit, purificationem Iudæorum post funus domesticum, in Apologiâ contra Apionem ita interpretantem, ut non propter pollutionem inde contractam ea fieret; sed econtrà propter munditiam defunctorum, quasi eiusmodi purificatione testarentur superstites, multùm abesse quin ipsi puri essent, sicuti defuncti, qui iam liberi existerent ab immunditiis terrenis: quamquam hæc interpretatio plurimùm conferret sanctitudini funeris, vereor tamen ut ex verbis Iosephi sustineri possit: nec nos in re clarâ, ambiguo lumine indigemus.

[z] Levit. 21.
[a] Exod. 13.
[b] Eccles. 7.
[c] 4. Reg. 13.
[d] 6. Const. ult.
[e] Hær. 9. cont. Samar.
[f] Leuit. 21.
[ff] Th. 1. 2. qu. 102. art. 6. ad 11. Guill. Paris. de leg. cap. 6. Tostat. in Levit. 10. q. 9.
[g] Guicch. l. 3. de Funer.

V.

Quod verò ad sepulturæ curam attinet; imprimis scriptum [h] reperimus ex Hebræorum traditionibus, Deum distulisse Diluvium universale à se præfinitum, diebus septem post ingressum animalium in Arcam (quod narratur in Genesi) in gratiam Mathusalæ Pa-

[h] Ap. Genebr. ad fi. 1. Ætat.

triarchæ recèns defuncti, ut eius exequias Noë eius nepos cum suâ familiâ sanctè & honorificè curare posset. Et Israëlitis [i] post exitum ex Ægypto prima cura extitit sepulturæ. Disertè verò divinus Ecclesiasticus [k] fideles monet, *mortuis non prohibere gratiam.* Cúmque sit multiplex gratia, quæ mortuis impendi possit, & debeat; prima quidem est, beneficium sepulturæ corporum. Sicut idem posteà expressam eius habens mentionem, *Fili,* inquit, *in mortuum produc lachrymas; & secundùm iudicium contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius.* Ubi illud *secundùm iudicium*, intelligendum esse volunt Interpretes, secundùm receptos pro qualitate personarum funebres ritus, & honorem exequiarum iure naturali & divino mortuis debitum. Et ad Esdram [l] Dominus; *Mortuos ubi inveneris, signans commenda sepulchro; & dabo tibi primam sessionem in resurrectione meâ.* Meritò sanè: ut in resurrectione præcipuum honorem consequatur, qui diligentiori studio curam sepulturæ susceperit, quam ad firmandam resurrectionis fidem præcipuè esse institutam vidimus. Nec ideò huic magnoperè expetendæ promissioni auctoritas abroganda, quòd scripta habeatur in libro, quem Ecclesia Catholica inter Canonicos non adnumerat; (licèt à nonnullis sanctis Patribus interdùm citatus tamquam solidæ auctoritatis reperiatur, & in antiquis Bibliis Latinis locum suum obtineat:) Siquidem eadem legimus in libris divinis sæpiùs repetita. Atque imprimis ubi Tobias [m] *huius specialiter muneris prærogativâ*, ut loquitur Paulinus [n], *iustificatus* legitur *à Domino, & Archangeli voce laudatus*, quòd in captivitate populi Israëlitici mortuis & occisis sepulturam solicitiùs, etiámque diebus festis, & ieiunus exhiberet. Inde enim & Deum promeruisse, testatus est Raphaël [o] Archangelus; & plurima deinceps secuta sunt eum divina præmia: sicuti & cecinit Prudentius [p]:

Sancti sator ille Tobiæ,
Sacer ac venerabilis heros,
Dapibus iam ritè paratis
Ius prætulit exequiarum.

[i] Exod. 14.
[k] Eccli. 7. & 38.
[l] 4. Esdr. 2.
SEPULTURÆ COMMENDATIO IN VET. SCRIPT.
[m] Cap. 1. & 2.
[n] Ep. 37. ad Pammach.
TOBIÆ SOLICITUDO PRO MORTUIS.
[o] Cap. 12.
[p] Hymn. in exeq. defunct.

Iam stantibus ille Ministris,
Cyathos & fercula liquit;
Studióque accinctus humandi,
Fletu dedit ossa sepulchro.
Veniunt mox præmia cælo,
Pretiúmque rependitur ingens, &c.

Negligens enim ventris, (ut subdit Paulinus) *quia diligens animæ, maluit corpore esurire, quàm spiritu; ut nobis quoque esset exemplo, quo præoptemus ieiunare cibo carnis, ut saturitatem animæ conferamus.* Quòd verò huiusmodi operis pretium esset mortis pœna, & bonorum [q] amissio; inde satis intelligitur fuisse illam à Rege Sennacherib adversus captivos in Assyriâ Hebræos præcipuè statutam; eò quòd cùm iam à regni principio eos exosos habuisset; demùm post insignem illam acceptam divinitùs in Iudæâ cladem, quæ describitur in libris [r] Regum, in eosdem odio ipsorum Dei ac religionis furere cœperit: ac proinde consideratum hoc opus sepulturæ fuisse, non simpliciter, ut opus misericordiæ, sed sicut reverâ erat, ut opus religionis; tum ab Assyriis, qui Israëlitas eo interdicebant; (cùm alioquin non minimam sepulturæ [f] curam haberent;) tum maximè ab Israëlitis, cùm nec interdicto Tobias à cœpto revocari posset, sed magis incitaretur, ne deserere officium pietatis mortis metu videretur. Qui & idem proximè moriturus, nihil tam commendâsse [t] filio reperitur, quàm honorificam suî, coniugísq; sepulturam. Ipséq; Dominus per Prophetã Amos [u] Moabitis tamquam scelus maximum, & cumulum omnium scelerum exprobravit, quòd legum Naturæ & humanitatis omnis obliti, Regis Idumæi sepulchrum violando, eius ossa combussissent usque ad cinerem. Quamvis enim non pertinerent tunc Idumæi ad populum Dei, Deus tamen, ut ostendat se omnium esse creatorem, omniúmque habere curam, iniuriam Regis eorum vindicare voluit; præsertim quòd contra legem naturalẽ esset, ad cuius observationẽ maximè Gentiles adstringi superiùs diximus. Sanè & per os ac calamum sapientissimi Salomonis [x] absolutè pronunciavit Spiritus sãctus. *Si quis non utatur bonis*

[q] *Tob. 1.*
[r] *4. Reg. 19.*
[f] *Herod. lib. 1. Strab. lib. 16. &c.*
[t] *Tob. 4. & 14.*
[u] *Cap. 2.*
[x] *Eccles. 6.*

substantiæ suæ, sepulturâque careat, meliorem illo esse abortivum: his verbis acriter perstringens [y] avaros divites; sive quòd cùm multa possideant, etiam in constructione Sepulchri avari sint; sive quòd sæpè propter divitias occisi insidiis, insepulti abiiciantur. Cúmque post necem Saulis Regis, nunciatum esset Davidi [z], viros Iabes-Galaad sepelisse eum, misit David ad illos hæc verba egregiæ laudis, & futuræ retributionis: *Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saül, & sepelistis eum: & nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam, & veritatem: sed & ego reddam gratiam, eò quòd fecistis verbum istud.* Generosè enim ipsi, iustè, & piè, ut vicem rependerent accepti à Saüle beneficij liberationis à Naas Ammonitarum Rege, cùm audissent corpora eius & filiorum suspensa à Philisthæis fuisse in muro civitatis Bethsan, *surrexerunt* (inquit Scriptura [a]) *omnes viri fortissimi, & ambulaverunt totâ nocte, & tulerunt cadaver Saül, & cadavera filiorum eius de muro Bethsan:* venerúntque *Iabes Galaad, & combusserunt ea ibi: & tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes, & ieiunaverunt septem diebus.*

[y] Hieron. in Ecclesi. 6.

[z] 2. Reg. 2.

[a] 1. Reg. ult. in fi.

VI.

QUOMODÒ ACCIPIENDA COMBUSTIO CADAVERUM HEBRÆORUM.

Ubi quod dicitur *de combustione cadaverum*, contrarium videtur ei quod superiùs negavimus Iudæos consuevisse cadavera suorum comburere: cùm tamen & alibi dicat eadem sacra Scriptura [b], mortuo Ioramo Rege pessimo infirmitate pessimâ, *non fecisse ei populum secundùm morem combustionis exequias, sicut fecerat maioribus eius:* & clariùs per Ieremiam [c] Dominus Sedeciæ promittat, ipsum *secundùm combustiones patrum suorum Regum priorum, qui fuerant ante ipsum, sic combustum iri.* Sed facilis erit ab his salebris evasio, præeunte alio textu libri secundi [d] Paralipomenon; ubi de Asæ Regis Iudæ sepulturâ hæc leguntur: *Et sepelierunt eum in sepulchro suo; posuerúntque eum super lectum suum plenum aromatibus, & unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combusserunt super eum ambitione nimiâ.* Ex quibus intelligitur, combustionem illam, quâ privatus fuit Ioram, & affectus Sedecias, fuisse aromatum & unguentorum, quæ mos erat Iudæis in Regum exequiis consumere, & super eorum corpora com-

[b] 2. Paralip. 21. ad fi.

[c] Hierem. 34.

[d] 2. Paral. 16.

burere, & spargere; ita ut quodammodò in combustione aromatum viderentur ipsa corpora comburi. Quod quidem Saulis ac filiorum eius cadaveribus eò maximè præstari debuit, quia cùm ea iam aliquot diebus insepulta pependissent, tetrum absque dubio exhalabant odorem. Unde etiam nec videatur absurdum dicere, etiamsi non esset legitimum ac solemne Hebræis comburi carnes defunctorum, & ossa sepeliri; tamen id penè necessarium fuisse in Saulis ac filiorum cadaveribus, ob intolerabilem fœtorem; ut decentiùs possent carnium cineres unà cum ossibus deferri ad sepulturam. Quemadmodùm & apud Amos [c] Prophetam corpora peste, aut tabe consumpta dicuntur *comburi, ut efferantur ossa.* Porrò cùm corpora condiendi modum sumpsisse ab Ægyptiis Hebræos superiùs viderimus; eum tamen ita usurpâsse videntur Hebræi, ut non sicut Ægyptij condirent intrinsecùs corpore exenterato, & cerebro per nares extracto; (prout describunt nobilium condituram Herodotus [f], & Diodorus [g]: ut videlicèt exemptis illis sordium & humorum receptaculis, ab omni putredine remotiora & securiora evaderent:) sed absque ullâ sectione, vel combustis super illud, ut diximus, aromatibus, posteà aliis rursùm unguentis obvolverent ad arcendam putrefactionem, & suavem odorem conciliandum; vel simpliciter applicarent extrinsecùs corpori aromata, deinde linteis tæniatim scissis, ac fasciis involverent; caput verò sudario: quemadmodùm videre est in sepulturâ CHRISTI Domini; quam Ioannes [h] Evangelista observat factam fuisse, *sicut mos erat Iudæis sepelire.* Sicut nec Romanis, nec Græcis exenterationem & sectionem fuisse in usu, vel ex eo constat, quòd aliqui curati & elati revixisse legantur [i]. Et quamvis potuerint etiam nonnulli Iudæorum per exenterationem & excisiones, aliásque Ægyptiorum purgationes curari: (sicut & hodie in Principum Magnatúmque cadaveribus obtinet:) hoc tamen in CHRISTO nefas fuerit cogitare, cùm neque in ceteris omnibus id fieri contingeret. Nec denique omnibus Iudæis adhibita fuisse aromata, tam facile est credere de pauperibus,

[c] *Amos 6.*

[f] *Lib. 2.*

[g] *Lib. 1. par. 2.*

[h] *Ioan. 19.*

[i] *Plin. lib. 7. cap. 52. Apul. Florid. 4. Plut. de ser. num. vind. Cels. lib. 2. cap. 6.*

quàm etiam de mediocribus intelligitur ex historiâ Lazari, cuius corpus quatriduanum iam fœtebat. Ceterùm quem vidimus Iabesitas laudâsse de misericordiâ exhibitâ Sauli, id ipse Rex David summâ posteà pompâ, & cum religione ieiunij exequias Abneri[k] hostilium partium ducis celebrando, adeò sibi multitudinis gratiam conciliavit, ut inde gradu pleno ad thronum universi populi Hebræi pervenerit. Qui eiusdem pietatis numquam non memor, misit[l] quoque in Idumæam Ioab principem militiæ suæ ad sepeliendum eos qui fuerant interfecti: sive ij fuerint ipsi hostes Idumæi qui in bello ceciderant, ut quibusdam placuit; sive, ut aliis, Israëlitæ à rebellantibus Idumæis perempti: quòd nullum tam solemne munus in bello haberetur, quàm humandi suos; ut generatim de omnibus dixisse aliquando Curtium[m] vidimus: & ut speciatim inter quamplurima gentis Iudæorum exempla, exemplo patet fortissimi Iudæ[n] Machabæi, qui suos in prælio peremptos diligentissimè curabat in sepulchris paternis condi, eorumdémque æternæ saluti prospici. Et aliàs idem David unicum pietatis atque virtutis exemplar, adeò commotus fuit memorandâ omnibus sæculis pietate Respahæ[o] concubinæ Saulis, quæ filios suos patibulo affixos in expiationem cædis Gabaonitarum, substrato sibi cilicio supra petram, diu noctúque per multum temporis solertissimâ custodiâ defendit à laceratione avium & bestiarum: ut & his ipse auditis, turpe ducens à muliere vinci, solicitam curam sumpserit, tam Saulis ac Ionathæ, quàm aliorum suffixorum sepulturæ. post quæ ait Scriptura *repropitiatum esse Deum terræ.*

DAVID REX SOLLICITUS DE SEPULTURIS.

[k] 2. Reg. 3. Ioseph. 7. antiq. 1.

[l] 3. Reg. 11.

[m] Lib. 5.

[n] 2. Machab. 12.

[o] 2. Reg. 21.

VII.

Nec minor hâc in re ceterorum solicitudo. Quippe nobiles ac claros viros legimus[p] sepulchra habuisse propria in agris aut fundis suis accepta à maioribus, aut aliàs sibi ac suis comparata, in quæ inferrentur qui ex eâdem essent familiâ; eáq; pro facultatibus, aut nobilitate illustria, & titulis insignia. Qualia fuêre, (præter illa de quibus suprà, Patriarcharum Legis Naturæ, Regúmque,) sepulchra Iosuæ[q] & Eleazari, Gedeonis, Samuelis, Elisei,

[p] De communib. sepul. 1. Paral. 21. 24. 26. 28. 31. De propriis aliquorum 4 Reg. 21. 23. 2. Paral. 16. &c.

[q] Iosu. 24. Iudic. 8. 1. Reg. 25. 4. Reg. 13. & 23. Isa. 22. Matth. 23 & 27.

ANTIQUI HEBRÆI STUDIOSI SEPULTURÆ NOTABILIS.

sei, Hominis Dei qui venerat de Iudâ, & aliorum Prophetarum; Sobnæ præpositi templi, Iosephi ab Arimathæâ; aliáque eiusmodi quamplurima passim in sacrâ Scripturâ, & aliis antiquis auctoribus qui de rebus Iudæorum scripserunt. Ex quo patere ait Liranus, agens de titulo [r] sepulchri Rachelis, ab antiquo fuisse sanctos patres diligentes de sepulturâ notabili; ut sic mortui in memoriâ hominum remanerent ad orandum pro ipsis, & ostendendum quòd haberent fidem resurrectiônis. Ex Epiphanio verò in tractatu de Vitâ & morte Prophetarum [f] constat, *Sepulchra Sacerdotum* fuisse prope *sepulchra Principum*: obseruátque *Salomonem Ierosolymis Regum excitâsse Mausolæa, prout illa David descripserat*. Zachariam autem patrem Ioannis Baptistæ, postquàm ab Herode occisus est iuxta aram, domúmque Dei, ipsiúsque sanguis effusus in vestibulo templi Domini, *humatum fuisse eodem loco in domo, & templo Domini*: Michæam in Marathi propriâ terrâ proprium tumulum sortitum fuisse.

[r] *Gen.* 35.

[f] *In Esaiâ. Zachar. Michaeâ.*

VIII. SEPULCHRA VULGI.

Plebi item, ac peregrinis, quorum immensa erat multitudo, communia publicè fuêre erecta *polyandria*, (ut vocantur tam à Septuaginta in Ieremiâ [t], quàm etiam ab Ethnicis, Christianísque auctoribus. quæ Suidas [u] etiam ξενοτάφια dicta fuisse observat: Catullus [x] *Sepulchreta* vocat; hoc est, ubi multitudo hominum, ac plerumque peregrinorum, tumulatur: nobis potiùs *Cæmeteria* dicta:) ubi omnes confusi conderentur. Siquidem *Sepulchrorum Vulgi ignobilis* diserta fit mentio in libris Regum [y], & Ieremiæ [z] Prophetæ: in Historiâ verò Evangelicâ [a] *Sepulturæ peregrinorum*, ad quam emptus à principibus Sacerdotum *Ager figuli* ex triginta argenteis venditionis Christi relatis à Iudâ. Et ex eâ emptione mirum in modum confirmatur religio sepulturæ, & sacrum ius Sepulchrorum apud Hebræos. Quòd enim pecuniam illam principes Sacerdotum è corbonâ, hoc [b] est è sacris donis pecuniariis quæ populus offerebat in templo, accepissent: (quippe putabant ad Dei religionem pertinere necem Christi) rursúmq; videretur illa à Iudâ Deo templóque oblata, cùm in templum proiecit; ac proinde res

[t] *Ierem.* 2. & 19.
[u] *Verb.* πολυάνδριον.
[x] *Carm. de Rufâ.*
[y] 4. *Reg.* 23.
[z] *Cap.* 26. *in fi.*
[a] *Matth.* 27.

ET PEREGRINORUM.

[b] *Iuvenc. presb. lib.* 4. *de Evangel. hist*

X

Deo multipliciter sacra, non nisi in sacrum opus impendenda esset: consilio inito, principes Sacerdotum, quorum imprimis erat de rebus sacris, ac templi donariis iudicare, & disponere; agrum ex illâ sacrâ pecuniâ emerunt in sepulturam peregrinorum: sive *peregrinos* accipias cum nonnullis interpretibus, Iudæos pauperiores, qui extra Ierusalem habitarent, (Divites enim, & qui honestiùs vellent sepeliri, poterant iubere sibi proprium sepulturæ locum comparari:) qui ad solemnes festivitates, & ad unicum toto orbe sacrificij locum, ingenti numero quotidie confluere solebant: seu potiùs (quòd hi non propriè peregrini, sed fratres eiusdem seminis & fidei existentes, facilè poterant in communia Ierosolymitanorum cœmeteria admitti) cum aliis & potioribus expositoribus, intelligas Gentiles, qui non parvo numero maximam illam toto Oriente nobilissimam, & tunc Imperio Romano subiectam civitatem incolebant; vel ad eam diversis de causis continuò ventitabant; cum quibus grande nefas existimabant Iudæi, non solùm in vitâ, sed etiam post mortem, ullâ re sacrâ communicare. Quibus & mysterium addas; ut in sepulturam Gentilium expensum sit pretium Sanguinis CHRISTI, quò significaretur, sanguinem eius Gentilibus magis, quàm Iudæis profuturum, ut sepelirentur & requiescerent in pace.

LIX. QUAM GRAVE IUDÆIS SEPULTURA PRIVARI.

Quàm verò grave existimaretur sepulturâ privari, docuit imprimis idem qui suprà Rex David; dum in quodam psalmo [c], quo prophetię spiritu deflevit futurum Iudaici populi, templique, ac civitatis Ierusalem excidium, occipiens à pollutione templi, quâ nihil gravius Iudæis accidere poterat, móxq; ad privationem sepulturæ transiens, hanc maximè calamitatem, tamquam omnium acerbissimam, urget, & dolet: *Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli; carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem eorum, tamquam aquam in circuitu Ierusalem; & non erat qui sepeliret.* Pariterque Philo [d] Iudæus, cùm describens ingentia mala, quibus Iudæi affecti sunt Alexandriæ sub Flacco Præfecto, omnium maximè ex eo in illum invehitur, quòd permiserit Iudæos à vulgo

QUERIMONIÆ DE PRIVATIONE SEPULTURÆ.

[c] Psal. 78.

[d] Cont. Flac.

seditioso corripi, occidique, & corpora eorum per totam urbem raptari; ut ne ad sepulturam quidem ullum membrum fieret reliquum: hisque sceleribus longè crudeliùs in eos sęvitũ esse in pace, quàm si in bello necati fuissent, gravissimè conqueritur: Si quis enim in bello cecidisset, eum sepeliri consuetũ ab hostibus, vel ipsorum sumptu, si essent humanitatis æquitatísque memores; vel si odium etiam in mortuos retinerent, licuisse per inducias repetere corpora, ne ultimi honores eis deessent, & iusta funebria. Nec aliter Iosephus [e], postquàm multa narravit de crudelitatibus Idumæorum ac Zelotarum in cives Ierosolymitanos, ultimò tamquam omnium immanissimum luxit, ad hoc eos impietatis progressos esse, ut etiam Pontifices obtruncatos nudos insepultos abiicerent, prædam canibus & feris. Subdítque, tantum pavorem occupâsse populum, ut ne flere quidem palàm quisquam, sive sepelire propriũ funus auderet, quòd paria his qui lugebantur etiam qui luxissent ilicò paterentur: ne tamen in tantâ rerum confusione, ac legum omnium & iurium conculcatione, sepulturæ quoq; officium penitùs desereretur, plurimos nocte, audaciores etiam die sublatam manibus terram corporibus iniiciendo id quadamtenùs præstitisse: multos [f] ad sepulchra se priùs recepisse, quàm moriendi necessitas ipsis incumberet. Quare & Nigrum Peraiten, virum strenuissimum, à Zelotis captum, ab hâc sibi maximè calamitate timentem, cùm se extra urbem duci videret, non iam pro vitâ, sed pro sepulturâ tantùm cœpisse rogare. Ipsiúsquemet Iosephi matrem [g] captivam intra urbem, dum obsideretur à Tito, detentam, cùm falsum accepisset nuncium de filij morte, hoc præcipuè luxisse, quòd sepelire filium non liceret, à quo sepeliri sperâsset. Paritérque Iunior Hegesippus, seu alius ille auctor, qui eius nomine post Magni Constantini tempora historiam Excidij Ierosolymitani luculentissimo stylo prosecutus est; civilia Iudæorum dissidia, & horrenda patrata scelera eis exprobrans, atque uberiore quâdam (ut ait) deploratione præiens funus quoddam paternæ solemnitatis, & velut exequias prosequens ac solvens iuxta maiorum in-

PHILONIS.

[e] 4. de bel. ad fi. & 5. ad pr.

IOSEPHI.

[f] Lib. 6. cap. 14.

[g] Cap. 15.

HEGESIPPI.

h Lib. 5. cap. 2. ſtituta;in hoc vehementiùs incumbit[h], tamquam ceteris omnibus gravius ſimul & miſerabilius, quòd ad nefandæ cædis ſupplicia adderetur impiæ immanitas crudelitatis, ut ſepultura occiſis negaretur; nec humare umquam vacaret, dum cuncti bello inter ſe occuparentur. Ita quodam furore occidiſſe pietatis officia, cruduiſſe impietatis miniſteria, nihílque magis in tantis calamitatibus periiſſe, quàm miſericordiam, quæ ſola ſolet allevare miſerias, ſolari ærumnas. Nam & hi qui amiſerant ſuos, minimè humâſſe propter formidinem, cùm gravis terror ingrueret à diverſæ factionis principibus; & hi qui necaverant alienos, caviſſe ne quis illos præriperet ad ſepulturam. Itáque neceſſe fuiſſe omnes timere, ne quod alteri donare vellent, id ſibi ſumerent: vel quod peius eſt, quem paraverant aliis uſum ſepulchri, eum ipſi non impetrarent. In templo ipſo pro unguentis benè olentibus, pro thymiamatis benè ſpirantibus, pro diverſorum florum odoribus, graves extitiſſe inſepultorum cadaverum fœtores, quos pluvia diſſolverat, quos flamma combuſſerat, quos ſol calefecerat; omnes artus cæſorum civium diro odore fœtuiſſe: hinc reſolutorum putredinem viſcerum, inde exuſtorum nidorem, ſenſus omnes atque ora complêſſe viventium, ut ipſi non multò pòſt graviore morbo conſumerentur, ac ſe ſuperſtites ingemiſcerent, quò duriore pœnâ perirent: eóque ſervatos, ut viderent cum patriâ ſimul ſolvi etiam leges naturæ, negari ius viventibus, pacem civibus, ſepulturam defunctis; humana pariter atq; divina maculari ac pollui, permixta omnia, criminoſam eſſe miſericordiam; religionis loco haberi crudelitatem. Volebat aliquis defunctum humare? ipſe extinguebatur: & qui defunctum occiderat, in ſepultorem transferebat iracundiam; ut illi ſepulturam negaret, hunc extinguebat: rurſùs qui ſepultorem occiderat, maiorem crudelitatem circa defunctum exercebat: ut iam nihil debentem odio, non ſentientem ſupplicia, ſpoliaret ſupremo naturæ debito. Denique pleroſq;[i] ſibi ipſis loculos parâſſe manibus ſuis, ne deficeret huiuſmodi miniſterium, atq; in iis ſeſe ſpontè condidiſſe, ne mors præveniret, & ſepultor deeſſet. Matthiámque

i Ibid. cap. 11.

Pontificem iussum à tyranno Simone, quem in civitatem introduxerat, interfici cum tribus filiis, cùm nec obtinere potuisset priùs se occidi quàm filios, hoc solatum se fuisse, quia quòd Simon præcepisset ad pœnam, profecturum ad pietatem ipsi Matthiæ foret: casurum enim se super funera sua, & insepulta velut quodam corporis sui cespite tecturum, ne discerperēt volucres, aut feræ devorarent. Hæc & alia eiusmodi plurima Iosephus & Hegesippus. Nec difficile foret multa alia ex variis auctoribus qui de rebus Iudæorum scripserunt, proferre, (præter illa, quæ cùm de Lege Naturæ, & Religione Gentilium actum est, permixtè pro occasione diximus) quibus appareat, quàm sepulturæ privatio, æquè ac ceteris gentibus, Iudæis quoque fuerit maximè luctuosa, simul ac probrosa: cùm vel id sola sacra Scriptura plus satis significet, dum sexcentis locis sepulturam laudabiliter defunctis piis viris exhibitam, & impiis denegatam narrat. Sed de negatione posteà diffusiùs. Studium eius maximè etiam adstruit, quòd deceptor ille Propheta [k], qui Viro Dei ad Ieroboam misso imposuit, suis sollicitè mandavit sepeliri se eodem monumento quo Vir Dei, sic sperans parci posse quoque ossibus suis, cùm veniret tempus, quando secundùm illius Viri oraculum Iosias Rex erutis ibi multorum cadaveribus sacrilegas aras funestaret. quod & ei successit ex voto. Sicuti & apud Iosephum [l] Alexandro Iannæo Iudæorum Regi de progenie Machabæorum: cùm post crudelissimè administratum regnum, timens privari sepulturâ, moriens uxori præcepit, ut accersitis Pharisæorum primoribus qui multùm in Rep. poterant, permitteret eis corpore suo uti pro arbitrio, sive insepultum proiicere vellent, sive aliquo alio modo in id sævire; simúlque polliceretur nihil se nisi ex illorum sententiâ gesturam in administrando regno: sic enim & magnificentiorem quàm ab ipsâmet sepulturam consecuturum se. Quod ita etiam contigit. quippe Pharisæis dominandi cupidine res Iannæi magnificantibus apud populum, eum ad talem luctum provocârunt, ut nullum anteà Regem sumptuosiùs funeraverint.

k 3. Reg. 13.

l Ios. 13. ant. 23. & 24.

X. MAGNIFICENTIA SEPULCHRORUM IUDÆOR.

Adstruit quoque insigniter studium sepulturæ, magnificentia sepulchrorum, ac pompa funerum, quam observare Hebræi consueverant. De Sepulchris enim exemplo sint Helenæ Adiabenorum Reginæ ad religionem Hebræorum conversæ, tertio ab urbe Ierosolymitanâ stadio; Machabæorum Summorum Pontificum & Principum Hebræorum, in ipsorum urbe Modin; Danielis Prophetæ, Ecbatanis Mediæ; & Davidis Regis, Ierosolymis. Primi quidem, nempè Helenæ, leviter Iosephus [m] meminit, (quod tribus pyramidibus constitisse scribit) breviúsque Hieronymus [n]: sed Pausanias [o] illud accuratiùs describens, ipsique etiam nominatissimo Mausoleæ Artemisiæ, vel æquans, vel preferens; tanto illud artificio fabricatum fuisse tradit, ut cùm totum esset è marmore, ostium eius æquè marmoreum anni stato die atque horâ occulto machinæ cuiusdam motu aperiretur, neque ita multò pòst occluderetur: quod si alio tempore aperire quis conatus fuisset, effregisset faciliùs quàm ullâ vi reclusisset. Alterum, scilicèt Machabeorum, describitur ab auctore libri primi [p] rerum ab eis gestarum, & inde à Iosepho [q]: meminitque S. Hieronymus [r], tamquam etiam tum superstitis. quod quidem Simon Summus Iudeorum Pontifex & Princeps sibi, parentibúsque suis, ac fratribus, in patriâ suâ urbe Modin extruxit è marmore polito & candido, cum porticibus circùm, & ingentibus columnis quæ singulis lapidibus constarent, septémque pyramidibus mirâ altitudine & pulchritudine: additisque desuper armis ad memoriam æternam, & iuxtà sculptis navibus, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare. Tertium à Daniele constructum: quippe Iosephus [s] ait, ipsum, cùm gratiâ & auctoritate plurimùm valeret apud Reges Medorum & Persarum, ædificâsse Ecbatanis Mediç turrim eximiâ pulchritudine, ac singulari admiratione dignam: quç usque ad sua tempora ita perdurâsset incolumis, ut recentis structurç speciem spectantibus exhiberet: in quâ Reges Medorum, Persarum, ac Parthorum sepeliri consuescerent; eiúsque custodiæ unum ex Sacerdotibus gentis

[m] 10. ant. 2. ad fi.
[n] In epitaph. Paulæ.
[o] In Arcad.
[p] 1. Machab. 13
[q] 13. ant. 11.
[r] De loc. Hebr.
[s] 10. ant. ult.

Iudaicæ præfici. Ipſúmque Danielem fuiſſe primò in eâ ſepultum, ſunt alij [t] qui ſcribant. Quartum denique Davidis Regis. quem quidem cùm ſacra Scriptura [u] ſimpliciter dicat, ſepultum fuiſſe in ſuâ civitate; (quæ dicta [x] eſt Sion; nimirùm in regiâ arce Ieroſolymitanâ:) Ioſephus tradit, regiâ magnificentiâ monumentum ei fuiſſe extructum à filio Salomone (qui & ibidem poſteà ſepultus eſt; unde & æquè Salomonis ſepulchrum dictum reperitur) in quod, præter ſolemnia regiorum funerum, maximas etiam divitias intulerit: quarum magnitudinem fuerit conjectare, ex eo quòd poſt annos mille trecentos, ut numerat, Hyrcanus Pontifex oppugnatus ab Antiocho Pio, ut eum ab urbis obſidione removeret, aperto monumento Davidis, tria millia talentorum inde protulit, quorum partem Antiocho dedit, ex aliâ externum militem conduxit: ac rursùm poſt multum temporis Herodes Rex mundi pretioſi, & aureorum ornamentorum vim magnam ex eodem ſuſtulit: neutrum tamen ad loculos qui Regum cineres continerent, perveniſſe; quòd adeò ſingulari arte eſſent ſub terrâ conditi, ut inveniri nequirent: cúmque Herodes cupidiùs ſcrutaretur, duos ſatellites amiſiſſe, erumpente ex adytis flammâ contra progreſſos temerè: eóque ipſum caſu territum exiſſe; & tactum religione, ad expiandum ſe, in aditu ſepulchri monumentum è candido marmore ſumptuoſiſſimis impendiis condidiſſe; ac nihilominùs Herodis domum poſt violatum ſepulchrum cœpiſſe labi in deterius, ſive diris ultricibus in eam partem incumbentibus quæ iam antè malè habebat; ſive caſu talis calamitas inciderit in ea tempora, ut meritò videri potuerit impietatis præmium. Hæc Ioſephus [y]. Quibus ex S. Petri ad Hebræos oratione [z] adiungas, etiam tùm ſuperfuiſſe ſepulchrum Davidis: & ex Dione [a], ipſum à Iudæis ſummâ reverentiâ cultum, ante noviſſimum Iudæorum ſub Adriano Imp. exterminium, ſuâ ſponte diviſum corruiſſe, in prodigium tantæ illorum cladis: ac denique ex S. Hieronymo [b], in eo adhuc ſuo tempore à Chriſtianis orari ſolitum. Et ex his omnibus plura obſerves ſepulturæ & monumento-

[t] Genebr. lib. 1. Chronol. & innuitur ap. Doroth. in Synopſ. ubi ait eum ſepultum fuiſſe in ſepulchro regio.
[u] 3. Reg. 1.
[x] 2. Reg. 5.

DIVITIÆ SEPULCHRI DAVIDICI, EX IOSEPHO.

[y] 7. ant. ult. & lib. 13. c. 16. & lib. 16. c. 11.
[z] Act. 2.
[a] Lib. 69. in Hadria.
[b] Ep. 17.

rum ſacra priuilegia, quàm penè legas auctorum verba.

XI. Quorum aliqua ut expreſſiùs tangam; ad quid illa tanti theſauri depoſitio, niſi in honorem & venerationem auguſtiſſimi loci, ſimul ut tutiſſimè tamquam in ſacratiſſimo, & nullo iure nullâ iniuriâ violabili gazophylacio, cuſtodiretur? non ſecùs ac in templo [c], pro loci veneratione, & ſanctitate, deponi ſolebant pecuniæ viduarum & pupillorum, necnon & potentum virorum, quas nefas eſſet ullo pacto violare. Sanè ſicut Gentiles vidimus, ſic & Hebræos in Sepulchris recondere conſueviſſe præcipua mortuorum ornamenta, & ingentem interdum auri vim; neque aliam ob cauſam Chaldæos oſſa Regum Iuda, ac Principum, & Sacerdotum, & Prophetarum, ac ceterorum civium Ieruſalem, è Sepulchris effodiſſe, ſicut prædixerat Ieremias [d], & impletum luxit Baruch; quàm ad effodiendos theſauros, quos in ſepulchris recondi ſolitos ſciebant; Hieronymus [f] & alij poſt eum arbitrati ſunt. Et Sozomenus extremo capite ſuæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ inventionem ſacri corporis Zachariæ Prophetę ſuo tempore divinitùs factam referens, addit etiam de puero Hebræo regij ſeminis ad pedes Prophetæ ſepulto, cum coronâ aureâ in capite, & aureis in pedibus calceamentis, ac veſte pretioſâ. Et poſt multa à CHRISTO nato ſæcula, quòd ex eiuſmodi divitiarum reconditarum perſuaſione ſolerent violari Iudæorum monumenta, decrevit Clemens [g] Tertius Pont. Max. ut nemo cœmeteria Iudæorum mutilare aut invadere auderet, ſive obtentu pecuniæ corpora humana effodere. Quòd verò quæ in ſepulchris deponerentur theſauri, non minùs inviolabiles quàm quæ in templis, exiſtimari deberent; inde etiam non minor, immò & longè lugubrior exerta eſt divinitùs vindicta in expilatorem Sepulchri Davidici Herodem, quàm in depeculatorem templi Ieroſolymitani Heliodorum [h]. Nec tamen ſic cum Hyrcano actum, quòd non ipſe ut Herodes, ſolius turpis lucri cupidine ſepulchrum invaſit; ſed uti urgentiſſimis patriæ neceſſitatibus, alterius remedij inops ſuccurreret, urbémque, cives, ac templum, & ſacra omnia, à præſentiſſimâ Infidelium devaſtatione

THESAURI IN SEPULCHRIS IUDÆORUM.

[c] 2. Machab. 3.
[d] Cap. 8,
[e] Cap. 2.
[f] In Ierem. 8.
[g] Cap. ſicut Iudæi. de Iudæ. & Saræc.
[h] 2. Machab. 3.

ſtatione liberaret. Ad hæc enim quis dubitet ſepulchralibus pecuniis uti; cùm ad præſtandam ſepulturam ſacra Eccleſiæ vaſa, etiámque initiata confringere, conflare, vendere, religio [i] permittat? Cùm præcipuè eſſet Hyrcanus ſummus Hebræorum Pontifex, ac proinde ad eum pertineret de rebus ac pecuniis ſacris ad quemlibet honeſtum uſum diſponere. Quinimmò quæ non ſubeat omnes admiratio, cùm Ægyptij [k] primo ſub Rege Roboamo diripuerint theſauros domûs Domini, & theſauros regios; ac poſteà Ioas [l] Rex Iſraël, devicto Amaſiâ Rege Iuda, tulerit omne aurum & argentum, & univerſa vaſa quæ inventa ſunt in domo Domini, & in theſauris regiis; ac demùm Chaldæi [m] non ſolùm theſauros domûs Domini, & theſauros domûs regiæ, ſed & quicquid pretioſum ſive aureum, ſive argenteum, ſive æreum, in univerſâ Ieruſalem inventum fuit, aſportârint ſecum in Babylonem: & intermediis temporibus diverſi Reges Iuda [n] omne argentum & aurum quod fuit in iiſdem theſauris templi & regiis, pro conciliandis ſibi Regibus Syriæ & Aſſyriæ, ad eos miſerint: cùm, inquam, hæc ita ſe habuerint, numquam tamen aut ipſos Reges Iuda, aut alios extraneos Principes, ducéſve exercituum, quicumque quâvis occaſione Ieroſolymam acceſſerunt, manus in ſepulchrum Davidis & Salomonis immiſiſſe; ipsúmque toto captivitatis tempore, quo civitas deſerta, diruta, & inculta permanſit, rapacitatem furum atque latronum evaſiſſe: quouſque demùm Ioannes Hyrcanus Princeps ac Pontifex Iudæorum, nongentis fermè à Davidis obitu annis, (fœdus enim eſt apud Ioſephum numeri error, ſicut aliàs ſæpè, dùm mille trecentos ponit) & plus quadringentis à ſolutione captivitatis Iudaicæ, ſepulchrum aperuit, & pecunias abſtulit? An dicemus ignotum illis fuiſſe, theſauros eſſe ibi reconditos? an verò pepercisſe ſepulchro, quod ab omnibus ſummâ reverentiâ coleretur, tum ob tantorum Regum nomen, quorum laus longè latéque diffuſa erat; tum quia ſepulchra violare, ſcelus æſtimabatur ſuperis execrabile & inferis; quod nec alio ſumptuoſiſſimo extructo ædificio vidimus

[i] Ambroſ. 2. Offic. 28.

[k] 3. Reg. 14.

[l] 4. Reg. 14.

[m] 4. Reg. 24. & 25. Ierem. 52.

[n] 3. Reg. 15. & 4. Reg. 12. 16. 18.

ALIA RECENTIOR RELATIO DE EODEM SEPULCHRO.

rum sacra priuilegia, quàm penè legas auctorum verba.

XI. Quorum aliqua ut expressiùs tangam; ad quid illa tanti thesauri depositio, nisi in honorem & venerationem augustissimi loci, simul ut tutissimè tamquam in sacratissimo, & nullo iure nullâ iniuriâ violabili gazophylacio, custodiretur? non secùs ac in templo [c], pro loci veneratione, & sanctitate, deponi solebant pecuniæ viduarum & pupillorum, necnon & potentum virorum, quas nefas esset ullo pacto violare. Sanè sicut Gentiles vidimus, sic & Hebræos in Sepulchris recondere consuevisse præcipua mortuorum ornamenta, & ingentem interdum auri vim; neque aliam ob causam Chaldæos ossa Regum Iuda, ac Principum, & Sacerdotum, & Prophetarum, ac ceterorum civium Ierusalem, è Sepulchris effodisse, sicut prædixerat Ieremias [d], & impletum luxit Baruch; quàm ad effodiendos thesauros, quos in sepulchris recondi solitos sciebant; Hieronymus [f] & alij post eum arbitrati sunt. Et Sozomenus extremo capite suæ Historiæ Ecclesiasticæ inventionem sacri corporis Zachariæ Prophetę suo tempore divinitùs factam referens, addit etiam de puero Hebræo regij seminis ad pedes Prophetæ sepulto, cum coronâ aureâ in capite, & aureis in pedibus calceamentis, ac veste pretiosâ. Et post multa à CHRISTO nato sæcula, quòd ex eiusmodi divitiarum reconditarum persuasione solerent violari Iudæorum monumenta, decrevit Clemens [g] Tertius Pont. Max. ut nemo cœmeteria Iudæorum mutilare aut invadere auderet, sive obtentu pecuniæ corpora humana effodere. Quòd verò quæ in sepulchris deponerentur thesauri, non minùs inviolabiles quàm quæ in templis, existimari deberent; inde etiam non minor, immò & longè lugubrior exerta est divinitùs vindicta in expilatorem Sepulchri Davidici Herodem, quàm in depeculatorem templi Ierosolymitani Heliodorum [h]. Nec tamen sic cum Hyrcano actum, quòd non ipse ut Herodes, solius turpis lucri cupidine sepulchrum invasit; sed uti urgentissimis patriæ necessitatibus, alterius remedij inops succurreret, urbémque, cives, ac templum, & sacra omnia, à præsentissimâ Infidelium devastatione

Thesauri in sepulchris Iudæorum.

[c] 2. Machab. 3.
[d] Cap. 8.
[e] Cap. 2.
[f] In Ierem. 8.
[g] Cap. sicut Iudæi. de Iudæ. & Sarac.
[h] 2. Machab. 3.

ſtatione liberaret. Ad hæc enim quis dubitet ſepulchralibus pecuniis uti; cùm ad præſtandam ſepulturam ſacra Eccleſiæ vaſa, etiámque initiata confringere, conflare, vendere, religio [l] permittat? Cùm præcipuè eſſet Hyrcanus ſummus Hebræorum Pontifex, ac proinde ad eum pertineret de rebus ac pecuniis ſacris ad quemlibet honeſtum uſum diſponere. Quinimmò quæ non ſubeat omnes admiratio, cùm Ægyptij [k] primo ſub Rege Roboamo diripuerint theſauros domûs Domini, & theſauros regios; ac poſteà Ioas [l] Rex Iſraël, devicto Amaſiâ Rege Iuda, tulerit omne aurum & argentum, & univerſa vaſa quæ inventa ſunt in domo Domini, & in theſauris regiis; ac demùm Chaldæi [m] non ſolùm theſauros domûs Domini, & theſauros domûs regiæ, ſed & quicquid pretioſum ſive aureum, ſive argenteum, ſive æreum, in univerſâ Ieruſalem inventum fuit, aſportârint ſecum in Babylonem: & intermediis temporibus diverſi Reges Iuda [n] omne argentum & aurum quod fuit in iiſdem theſauris templi & regiis, pro conciliandis ſibi Regibus Syriæ & Aſſyriæ, ad eos miſerint: cùm, inquam, hæc ita ſe habuerint, numquam tamen aut ipſos Reges Iuda, aut alios extraneos Principes, ducéſve exercituum, quicumque quâvis occaſione Ieroſolymam acceſſerunt, manus in ſepulchrum Davidis & Salomonis immiſiſſe; ipsúmque toto captivitatis tempore, quo civitas deſerta, diruta, & inculta permanſit, rapacitatem furum atque latronum evaſiſſe: quouſque demùm Ioannes Hyrcanus Princeps ac Pontifex Iudæorum, nongentis fermè à Davidis obitu annis, (fœdus enim eſt apud Ioſephum numeri error, ſicut aliàs ſæpè, dùm mille trecentos ponit) & plus quadringentis à ſolutione captivitatis Iudaicæ, ſepulchrum aperuit, & pecunias abſtulit? An dicemus ignotum illis fuiſſe, theſauros eſſe ibi reconditos? an verò peperciſſe ſepulchro, quod ab omnibus ſummâ reverentiâ coleretur, tum ob tantorum Regum nomen, quorum laus longè latéque diffuſa erat; tum quia ſepulchra violare, ſcelus æſtimabatur ſuperis execrabile & inferis; quod nec alio ſumptuoſiſſimo extructo ædificio vidimus

[l] *Ambroſ. 2. Offic. 18.*

[k] 3. Reg. 14.

[l] 4. Reg. 14.

[m] 4. Reg. 24. & 25. Ierem. 52.

[n] 1. Reg. 15. & 4. Reg. 12. 16. 18.

ALIA RECENTIOR RELATIO DE EODEM SEPULCHRO.

Herodem expiare potuisse? ac proinde & Romanos illud intactum reliquisse, quos vidimus præ aliis ferè superstitiosiores hâc in re extitisse? An dicemus id accidisse ex quibusdam similibus prodigiis, quale Iosephus Herodi appingit? cùm & posterioribus temporibus non absimile contigisse narret Beniamin quidam Iudæus in suo Itinerario, quod vertit ex Hebræo Arias Montanus. Nempè accidisse ante annos quindecim ab eo tempore quo ipse scribebat (vixit autem circa annum Domini MCLXXIII.) ut murus unus templi corruisset: quem cùm Patriarchæ iussu templi sacerdos instaurare constituisset, fuisse ex operis, quibus opus faciendum locaverat, qui lapide quodam in fodiendo sublato, antri ostium invenerint: in illud ingressos, tamdiù processisse quoad accederent ad quoddam palatium marmoreis columnis innixum, auro & argento obductum, ante quod mensa erat, in eâque sceptrum, & corona aurea. Hoc fuisse Davidis Regis sepulchrum: ad cuius sinistram, Salomonis fuisse simili ornatu sepulchrum, & alia multa aliorum ex Davidis familiâ Regum Iuda, qui ibidem conditi fuerant: fuisséque illic arcas conclusas, sed quid in iis esset ignotum esse. Cùm verò homines illi in palatium penetrare constituissent, turbinis spiritu percussos, ex antri ostio in terram exanimatos corruisse: deinde spiritu alio excitatos, humanæ voci similem audisse, quæ surgere & ex eo loco exire iuberet. Illos rem Patriarchæ retulisse: specum iussu Patriarchæ occlusam esse, ac reliquis hominibus absconditam. Ita ille. Cuius narrationem, sicut & Iosephi, quamvis fabulosam esse, equidem non abnuerim, à Iudæis ad extollendas suorum Regum divitias adinventam: testimonium tamen utraque præbet, sive usûs in hoc, sive credulitatis Iudæorum.

XII. Magnificentiam porrò Sepulchrorum apud ipsos planè adstruunt verba Domini apud Evangelistas [o]: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta Iustorum: patres autem vestri occiderunt illos. Profectò testificamini, quòd consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos*

[o] *Matth.* 23. *Luc.* 11.

autem ædificatis eorum sepulchra. Constat enim ex his verbis, Prophetarum & Iustorum sepulchra in honore apud Iudæos habita fuisse. Nec inde eos Dominus reprehendit, quòd eadem ædificarent, & ornarent magnificis ac sumptuosis structuris & sculpturis, ac collapsa restituerent: hoc enim (ut etiam Origenes [p], Tertullianus [q], Ambrosius [r], Chrysostomus [s], Euthymius [t], & alij rectè observârunt) non vituperatione, sed laude dignum erat: at quòd vel id inani gloriâ facerent, ut vulgi favorem captarent: vel malitiosè, ut cùm fingerent detestari persecutionem à patribus suis in Prophetas & Iustos illatam, pariter existimarentur, persequendo Christum, ex zelo iustitiæ id facere: vel etiam ad laudem & gloriam patrum suorum, quasi per eiusmodi ornamenta, trophæa ipsis erigerent de occisis Prophetis & Iustis; virésque ac potentiam patrum suorum ostenderent atque iactarent; & tamquam sepulchra pararent sepeliendis Iustis, quos imitatione patrum suorum interimere parati essent, aliósque ad eadem patranda hortarentur & excitarent. At de magnificentiâ sepulchrorum hæc in exemplum satis. De Pompâ funerum, præter iam dicta, satis sit addere, quòd scribat Rabbi Iacob in Turim [u], tantum olim crevisse apud Hebræos impensam eius, ut multi sumptibus impares, relictis propinquorum cadaveribus se ad tempus subducerent: modúmque iis Seniorem Gamalielem definire conatum esse, tum lege, tum proprio exemplo, cùm vili funere iussit se efferri, & lineis tantùm linteaminibus amictum sepulturæ mandari.

[p] *Tract. 26. in Matth.*
[q] *4. cont. Marcion. 27.*
[r] *In Luc. 11.*
[s] *Hom. 75. in Matth.*
[t] *Cap. 56. in Matth.*

POMPA FUNERUM REPRESSA.
[u] *Cap. 351.*

XIII.

DE RECENTIORIBUS IUDÆIS.

Et quod ad recentiores Iudæos attinet; (ut exemplo patris familiâs [x] proferamus de thesauro nova, & vetera) invenimus Talmudistas eorum Rabbinos tantum tribuere officio sepulturæ, ut non secùs ac olim Gentiles fabulentur [y], antequàm corpora fuerint iustis exequiis expiata, ac debito loco ritè sepulta, animas ad suam quietem venire non posse, nec ab Angelis duci in thalamum Dei; sed interim vexari & affligi à turmis dæmonum. Et aliàs [z] solitos ipsos, ut populos suos à quibusdam peccatis committendis absterreant, hâc maximè

[x] *Matth. 13.*
[y] *Cornel. à Lap. in Deut. 21. vers. 23. Synag. Iudaic. Io. Buxford. cap. 35.*
[z] *Buxford. cap. 7.*

comminatione uti, quòd si ea commiserint, morituri sint morte tali, quâ sepulturam consecuturi non sint. Itémque [a] dum mortuus sepelitur, ministrum cum totâ Synagogâ solemni ritu pronunciare: *Certè tribus rebus fundamenta mundi firmantur, Lege Mosis, cultu Dei, & pietate erga Mortuos. Benedictus qui præmium rependit pietati vacantibus.* Quibus sanè nihil disertius exprimi potuit ad significandam suam de necessitate simul & religione sepulturæ persuasionem; quam & multis funebribus [b] ceremoniis, ac precibus abundè confirmant.

[a] *Symb. fid. Iud. impress. Paris. an. 1519.*

[b] *Buxford. cap. 35.*

DE CHRISTIANÆ RELIGIONIS SACRA SEPULTURA, ET PIIS FUNERIBUS.

CAPVT II.

De Sepulturâ CHRISTI *Domini, & Discipulorum eius.*

I. SED ut ad CHRISTIANOS transeamus, quorum causâ sacræ demonstrandæ sepulturæ hoc potissimùm opus aggressi sumus; non aliunde opportuniùs, quàm ab ipso Auctore nominis & religionis, principium ducendum; CHRISTO videlicèt Domino. qui cùm lapis factus angularis, utrumque parietem, Iudæos scilicèt & Gentes, ipse quasi medius in pacis osculo nexuerit atque unierit; si iam quid ipse, quídve eius Discipuli, eorúmque posteri hâc in re observârint, idoneè demonstraverimus, causa expugnata erit. Quantum verò ipse honori sepulturæ, receptísque funerum ritibus detulerit, vixdum egressus de utero Matris [a] non obscurè demonstravit; cùm inter munera quæ sibi à Magis Regibus offerri voluit, quando (ut elegantissimâ brevitate munerum sacramenta descripsit Iuvencus [b] presbyter.)

> *Aurum, thus, myrrham, Regíque, Deóque, Hominíque*
> *Dona ferunt:*

voluit & Myrrham comprehendi, quòd inter alia aromata myrrhâ [c] ungi solerent corpora mortuorum, ne putrescerent: sícque significaret morituri sui corporis incor-

[a] *Matth. 2.*

[b] *De Hist. Evang. lib. 1.*

[c] *Ioan. 19. Prud. hym. de Epiph. & hym. de defunct. Greg. in Cant. 1. & homil. in Evang. de Epiph. &c.*

ruptam sepulturam: ut non minori elegantiâ, ferè & verborum compendio, eadem dona Prudentius [d] perstringens, interpretatus est:

[d] *Hym. de Epiph.*

Regem, Deúmque annunciant
Thesaurus, & fragrans odor
Thuris Sabæi, ac myrrheus
Pulvis sepulchrum prædocet.

Et quòd posteà vir factus, ac munus prædicationis adimplens, non solùm numquam ritus illos damnâsse reperiatur; (sicut alia quamplurima Sacerdotum & Scribarum placita, & inducta instituta consuevit) verùm etiam non rarò comprobâsse: & tum quidem multùm, cùm filiam [e] Archisynagogi, ad quam deflendam iam tibicines advenerant; & filium [f] viduæ Naim, cuius funus turba multa comitabatur; & Lazarum, qui iam quatriduò in monumento iacebat ligatus manus & pedes institis, & faciem sudario, suscitavit: tum verò magis, quando Mariam Magdalenam prævenientem ungere unguento pretiosissimo corpus suum in sepulturam, tantoperè de hoc bono opere, ac piissimo exhibito sibi obsequio laudavit [g]: (& notandum cum Bedâ [h], quòd sicut Maria, ex prædictione Domini, gloriam adepta est toto orbe de huiusmodi obsequio; ita è contrario Iudas Iscariotes, qui ei detrahere temerariâ linguâ non metuit, perfidiæ notâ longè latéque diffamatus, & Deo simul atque hominibus meritò factus est exosus:) tum etiam maximè quando agrum [i] figuli pretio sanguinis sui in sepulturam peregrinorum comparari voluit: tum denique summè, cùm post mortem ipsemet sepeliri passus est, sicut [k] mos erat Iudæorum sepelire; nec quovis modo, sed honorificentissimè, quemadmodùm consueverant spectatissimi quique viri: cui [l] videlicèt pollinctores (ita dicebantur, qui corpora ungebant) fuerunt viri duo pietate, primatu, ac divitiis inter Iudæos præcipui, Ioseph ab Arimathæâ, & Nicodemus: unguenta & aromata adhibita copiosissima, quibus totum eius corpus immergeretur: lintea apposita mundissima & pretiosissima: monumentum non terreum, aut vetus aliquod, sed novum è petrâ magnificè

[e] *Matth. 9.*
[f] *Luc. 7.*
SEPULTURÆ OFFICIUM A CHRISTO SÆPIÙS COMMENDATUM.
[g] *Matth. 26. Mar. 14.*
[h] *In Mar. 14.*
[i] *Matth. 27.*
[k] *Ioan. 19.*
[l] *Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19.*

excisum, in horto amœno situm, modísque omnibus ornatum: denique quàm fuit eius vita humilis, & mors ignominiosa, tam fuit sepultura honorifica. Ut verè possimus dicere, ex sepulchro initium cœpisse eius gloriam; & fuisse sepulturam, quasi medium transitum ab ignominiâ crucis ad gloriam resurrectionis: secundùm quod olim prædixerat Isaias [m] futurum eius *sepulchrum gloriosum*. Valdéque notandum, quòd cùm iidem Ioseph & Nicodemus fuissent eatenùs discipuli occulti Christi, propter metum Iudæorum; iam cùm longè maior se offerret metuendi causa, ex recenti exacerbatione Iudæorum in Christi memoriam, ipsi repentinâ animi generositate, cùm de sepulturæ honore vel ignominiâ præceptoris sui agi viderunt, omni excusso vitæ timore, & neglecto potentum odio, ac pro nihilo habito vulgi contemptu, quem ex sepulturâ hominis ut nefarij crucifixi, ac de manu carnificis accepti, facilè subire poterant; sed nec verentes hoc morticino contaminari: *audacter* (inquit [n] Evangelista, rem magnam & difficilem denotans) corpus Christi petentes ad Sepulturam à Præside, (neque enim licebat [o] damnatorum corpora sine Iudicis facultate sepelire) & impetratum nullis non honoribus afficientes, publicos se præbuerunt eius propugnatores.

[m] *Cap.* 11.

[n] *Mar.* 16.

[o] *L.* 1. *D. de cadaver. punit.*

II. Quemadmodùm & anteà, occiso ab Herode, Præcursore Christi Ioanne Baptistâ, accedentes [p] discipuli eius, tulerunt corpus, & sepelierunt illud: eâ in re non gratum dumtaxat animum erga magistrum suum declarantes; sed & palàm profitentes doctrinam eius ob quam necatus fuerat, in cordibus suis vigere. Et posteà lapidato à Iudæis Stephano, *curaverunt* [q] *eum viri timorati*; hoc est pij & religiosi, ac soliciti circa ea quæ pertinerent ad fidem illam atque doctrinam, pro quâ Stephanus mortem oppetierat; etiamsi magna excitata esset eâ de causâ persecutio in Ecclesiâ, quâ & ipsius Stephani corpus proiectum fuisse insepultum, & sepeliri prohibitum, constat ex relatione Gamalielis in Epistolâ [r] Luciani presbyteri de eius Inventione scriptâ. Quinimmò ait Hieronymus [s] (ut & hinc quoque dignitatem & sanctitatem Sepulturæ

[p] *Matth.* 14.

[q] *Act.* 8.

S. STEPHANI MART. AMPLUM FUNUS.

[r] *Est in Append. Tom. X. Oper. S. August.*

[s] *Ep.* 53. *ad Ripar.*

confirmes) Apostolos ipsos Stephani corpus magnâ funeris ambitione curâsse. Idque ipsum anteà testatus fuerat Pius eius nominis Primus Romanus Pontifex scribens [t] ad Iustum Episcopum Viennensem. Et posteà Nicetas [u] antiquus Philosophus Christianus scripsit, Gamalielem & ipsum occultum Christi Discipulum, & olim B. Pauli magistrum, procidentem ad pedes Apostolorum, petiisse ut sibi corpus liceret accipere, & in suo novo monumento deponere: Apostolos autem eius petitioni annuentes, cum multitudine fidelium in psalmis & hymnis corpus eò transtulisse, & magnum planctum cientes sepelisse. Denique ipsi Ioanni Apostolo dilectissimo Christi Discipulo tanti fuisse sepulturam, ut ipsummet eam sibi curâsse, & vestes sepulchrales indutum in monumento sese obiturum composuisse; traditur in Actis [x] eius obitûs. Quod ne omninò vanum existimemus, vetant subsequentia exempla Salvij [y] Episcopi, aliorúmque piorum virorum, quos non raró idem sibi præstitisse legimus.

[t] Tom. I. Concil.
[u] Orat. de mart. & invent. S. Steph. ap. Lipom. tom. 6.
[x] Ap. Metaphr. in Vit. Ioan. & Niceph. lib. 2. cap. 42.
[y] Ap. Greg. Turon. 7. hist. Franc. I.

III.

Quid fuit ergo (dices) quod aliquando [z] Christus rogatus à quodam, quem iusserat se sequi, ut ipsi permitteret sepelire priùs patrem suum; respondit, ut *dimitteret mortuos sepelire mortuos suos*: & aliàs [a] *Væ* dixit *Scribis & Pharisæis, qui ædificarent sepulchra Prophetarum, & ornarent monumenta Iustorum*: ac denique cùm apud Matthæum [b] recensuit opera misericordiæ, haud sepulturam inter illa numeravit? Ad primum breviter respondetur cum omnibus antiquioribus & recentioribus Interpretibus, dixisse id Christum, non quòd nollet patrem illius quem ipse vocâsset sepeliri; sed ne foret ei funus illud impedimento & laqueo: nimirùm ut doceret eos, qui ab ipso vocarentur ad annunciandum regnum Dei, ne tantillum quidem temporis cuiusvis alterius pietatis causâ interponere debere, quominùs evestigiò vocantem sequerentur: nullam quippe maiorem esse posse pietatem, quàm ipsum sequi; cùm ne patrem quidem nisi propter Christum sepelire deberent: nec alioqui deessent patri huius vocati alij ipsi moribus similes, qui hoc pietatis opus ei

[z] Matth. 8. Luc. 9.
[a] Matth. 23. Luc. 11.
[b] Cap. 25.

SOLUTIO OBIECTIONUM SUMPTARUM EX VERBIS DOMINI.

facilè exhibere possent. Ut omittam minimè esse improbabilem eorum sententiam, qui putârunt [c], non petiisse hunc vocatum facultatem humandi patris qui iam esset mortuus, sed assistendi patri iam seni donec moreretur, eúmque sepeliret: Christúmque tam incerti temporis inducias, ipsi eas petenti valdè ad vitam animi periculosas esse significantem, respondisse ut ceteris omnibus curis posthabitis, (quandoquidem non deerant qui eas curarent) ipse animum attenderet ad annunciationem regni Dei, cui iam se accinxerat. Ad secundum iam superiùs responsum est, non ex eo Christum Iudæos obiurgare, quòd sepulchra Prophetarum vetustate collapsa restituerent, & ornarent; (quod magis laude dignum erat) sed quia cùm inde videri vellent condemnare patres suos qui prophetas occiderant, longè tamen detestabiliora facinora ipsi committerent. Ad tertium, ideò Christum prætermisisse sepulturam, vel quia satis ipsa per se curæ sit omnibus hominibus, ut non indigeat aliquâ aliâ commendatione: vel quia reliqua opera misericordiæ sunt evidentioris necessitatis ad subventionem & conservationem vivorum; ut exponit S. Thomas [d]: vel denique, ut Chrysostomus [e], ut eo silentio indicaret reprehensibilem esse luxuriam & ambitionem Iudæorum in magnificentiâ monumentorum, & pompis funerum; cùm interim reliqua misericordiæ opera, quæ vivis exhibenda essent, parùm vel nihil curarent, ut sæpè aliàs eis exprobravit. Sanè apud Clementem [f] Petrus Apostolus eadem misericordiæ opera recensens, atque commendans, haud omisit *Mortuos sepelire, & diligenter eorum exequias peragere.* Ac Iulianus Apostata [ff] Religionem non minùs curâ in mortuis sepeliendis, quàm vitæ sanctimoniâ, incrementum accepisse testatus est.

[c] *Theophylact. Lyran. &c.*

[d] *2. 2. q. 32. a. 2. ad 1.*

[e] *Hom. 84. in Ioan.*

[f] *Clem. Rom. ep. 1.*

[ff] *Ap. Sozom. lib. 5. cap. 15.*

CAPUT

CAPVT III.

Christianos magis obligari ad observationem Sepulturæ, quàm ceteras Religiones, ratione ultimi finis.

CUM autem præter superiora Christi Domini nostri, eiúsque Discipulorum exempla, quæ quorumvis disertissimorum præceptorum vim obtinere apud Christianos debent; ratum fixúmque Theologorum axioma habeatur, gratiâ non tolli naturam, sed potiùs ea quæ primò sunt nobis à summo Naturæ conditore naturaliter insita, eadem superveniente divino lumine magis roborari; Sepulturam autem Iuris esse Naturalis divinitùs animis hominum insiti, satis supérque hoc opere demonstretur: quis dubitet, æquè in eius curâ, ac in reliquis omnibus naturæ officiis, multò rectiùs se gerere debere, præter naturam Christi gratiâ adiutum Christianum, quàm solâ naturæ bonitate adductum paganum? atque eò quidem maximè quòd cùm pleræque paganorum de sepulturâ leges, dignitatem solùm, vel præcipuè, hominis respicere videantur; Christiani suas dirigant in spem certam vitæ melioris, ac indubitatam fidem gloriosæ resurrectionis corporum; cuius non nisi opacam quamdam, ac valdè caliginosam cognitionem, qui sapientissimi inter paganos extitêre, habuerunt? Prudentissimè planè & aureè hâc de re Aurelius Prudentius [g] poëta Christianus: I.

[g] *Hym. in exeq. defunct.*

Nam quod requiescere corpus
Vacuum sine mente videmus,
Spatium breve restat, ut alti
Repetat collegia sensûs.
Venient citò secula, cùm iam
Socius calor ossa revisat,
Animatáque sanguine vivo
Habitacula pristina gestit.
Quæ pigra cadavera pridem
Tumulis putrefacta iacebant,

Volucres rapientur in auras,
Animas comitata priores.
Hinc maxima cura sepulchris
Impenditur, hinc resolutos
Honor ultimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.
Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est,
Aspersáque myrrha Sabæo
Corpus medicamine servat.
Quidnam sibi saxa cavata?
Quid pulchra volunt monumenta?
Res quod nisi creditur illis
Non mortua, sed data somno?
Hoc provida Christicolarum
Pietas studet, utpotè credens
Fore protinùs omnia viva,
Quæ nunc gelidus sopor urget.
Qui iacta cadavera passim
Miserans tegit aggere terræ,
Opus exhibet ille benignum
CHRISTO *pius omnipotenti.*

II. Unde & gravissimus Orator ac Philosophus Christianus Lactantius [h] de Pietate atque Iustitiâ disputans, inque his dignissimum locum sepulturæ officio tribuens; primò quidem absolutè pronunciat, *Maximum Pietatis officium esse, peregrinorum & pauperum sepulturam:* atque inde adversùs sepulturæ contemptores prolixiùs agens; *Non defuerunt,* inquit, *qui supervacaneam facerent sepulturam, nihílque esse dicerent mali, iacere inhumatum atque abiectum. Quorum impiam sapientiam cùm omne humanum genus respuit, tum divinæ voces, quæ id fieri iubent. Verùm illi non audent dicere id non esse faciendum, sed si fortè non fiat, nihil esse incommodi. Itaque in eâ re non tam præcipientium, quàm consolantium funguntur officio; ut si fortè id sapienti evenerit, ne se ob hoc miserum putet. Nos autem non quid sapienti ferendum sit dicimus, sed quid facere ipse debeat. Itaque non quærimus nunc, utrúmne tota sepeliendi ratio sit utilis,*

[h] 6. Inst. 12.

SEPULTURA, MAXIMUM PIETATIS OFFICIUM.

néce: sed hæc, etiamsi sit inanis, (ut illi existimant) tamen facienda est, vel ob hoc solùm quòd apud homines benè & humanè fieri videtur. Animus enim quæritur, & propositum ponderatur. Non ergo patiemur, figuram & figmentum Dei feris & volucribus in prædam iacere: sed reddemus id terræ, unde ortum est. Et quamvis in homine ignoto, necessariorum sepulturam, nulli negandum munus implebimus: in quorum locum, quia desunt, succedet humanitas: & ubicumque homo desiderabitur, ibi exigi officium nostrum putabimus. In quo autem magis Iustitiæ ratio consistit, quàm in eo, ut quod præstamus nostris per affectum, præstemus alienis per humanitatem, quæ est multò certior iustiórque? cùm iam non homini præstatur, qui nihil sentit, sed soli Deo gratissimum sacrificium est opus iustum.

III. Non equidem homini præstatur, hoc est non ipsi in se cadaveri fœtido & informi, omnique sensu carenti; cuius propterea parùm interest, sepeliatur nécne, aut ubi, vel quomodò reponatur: sed præstatur naturæ, & humanitati, ut loquitur Cicero [i], id est Naturæ humanæ, cuius omnes tam iusti quàm iniusti, & tam fideles quàm infideles sunt participes. Præstatur & ipsi corpori, retinenti adhuc figuram & reliquias eiusdem humanæ naturæ, (unde nec etiam [k] post mortem corpus humanum æstimationem recipit) & in eâdem humanâ figurâ conservanti aliquam Dei imaginem; ac velut obsidi & pignori futuræ resurrectionis: hospiti & organo animæ, quæ per ipsum (ut est apud Tertullianum [l]) omnem naturæ usum, omnem mundi fructum, omnem elementorum saporem depasta est: per quod omni instrumento sensuum fulta, ac divinâ potestate respersa est: per quod artes, studia, opera, negotia, officia, omnia quæcumque eximia didicit & exercuit: ac denique ratione illorum, qui in fide, spe, & charitate ambulaverunt, membro [m] Christi, & templo Spiritûs sancti, salutis cardini: per quod eadem anima divinorum sacramentorum usu, Deo allecta, emaculata, consecrata, munita, illuminata, sanctificata, ac de Deo saginata est. Unde & divinè Dionysius [n] Areopagita ritus Christianæ sepulturæ describens: *Si animâ & corpore Deo gratam acceptámque vitam egit is qui decessit, in honore*

SEPULTURA CONFERTUR CORPORI, RATIONE ANIMÆ.

[i] Philipp. 11.
[k] Vid. gloss. in extravag. de sepult. cap. 1. ad verb. ipso facto.
[l] De resur. cap. 7. 8. 9.
[m] 1. Cor. 6.
[n] De Eccl. hier. cap. 7.

etiã & pretio erit cum sancto animo corpus, quod sacris sudoribus cũ eo certavit & dimicavit (ne videatur mercedẽ servitutis suę perdidisse: ut loquitur Hermas Pastor in suis similitudinibus [o]) *Hinc divina Iustitia ei cum suo corpore donat æqua præmia, ut comiti ac participi sanctæ vitæ aut cõtrariæ.* Ac pariter Origenes contra [p] Celsum Epicureũ de resurrectione disputans: *Certè humana corpora propter animam quæ inhabitavit in eis, præsertim si bona sit, non sunt abiicienda: nam & civiliores leges iubent illa convenienti honore funerari, ne si proiiciantur tamquam iumenta, iniuria fiat animæ egressæ ex eo domicilio.* Et posteà [q]: *Rationales animas honorare novimus, & earum organa solemni sepultura honore dignamur. Meretur enim rationalis animæ domicilium, non proiici temerè sicut brutorum cadavera, eò præsertim quòd fuit animæ benè ac sanctè organo suo in certaminibus usæ receptaculum.* Præstatur igitur huiusmodi sacrum officium non soli corpori, sed & ipsimet eius animæ; tum ex prædictis causis; tum etiam (ut optimè S. Thomas [r] argumentatur) quòd adhuc ipsa vigeat in memoriâ vivorum, apud quos infamiam sempiternam subire cogitur, si corpus cui unita extitit hâc communi & naturali gratiâ privetur: (quocircà non levis pœna iudicatur, cùm quis à Iudice privatur sepulturâ, & esse iubetur avium esca:) quoniam etsi nihil iam corpore sentit, tamen ex insito quodam ab incunabulis ad illud, quasi ad domicilium suum, amore; magnâ afficitur lætitiâ, cùm scit superstites per honorificæ exhibitionem sepulturæ, eam imitari in illud propensionem, eúmque affectum, quem ipsamet in eo inhabitans intimè gessit. Fitque, ut cùm naturaliter omnia perpetuum atque divinum esse (ut Philosophi loquuntur) participare ut possint concupiscant; iámque homines in esse naturæ permanere diutiùs nequeant, in esse saltem rationis permanere nitantur. Quare & videmus in Testamentis condendis primam semper curam esse de sepulturâ corporis.

[o] Lib. 3. simil. 5. ad fi.
[p] Lib. 5.
[q] Lib. 8.
[r] 2. 2. q. 32. art. 2. ad 1.

IV. Hácque de re totâ pulchrè Christiani Imperatores Theodosius & Valentinianus Novellâ Constitutione [f] adversùs sepulchrorum violatores: *Scimus, nec vana fides, solutas membris animas habere sensum, & in originem suam*

[f] Lib. 2. Novel. tit. 5. de sepul. post C. Theod.

spiritum redire cælestem. Hoc libris veteris sapientiæ, hoc religionis quam veneramur & colimus declaratur arcanis. Et licèt occasûs necessitatem mens divina non sentiat, amant tamen animæ sedem corporum relictorum, & nescio quâ sorte rationis occultæ sepulchri honore lætantur: cuius tanta permanet cunctis cura temporibus, ut videamus in hos usus sumptu nimio pretiosa montium metalla transferri, operosásque moles censu laborante componi. Quod prudentium certè intelligentia recusaret, si nihil crederet esse post mortem. Et Augustinus[t]: *Ex illo humani cordis affectu, quo nemo*[u] *umquam carnem suam odio habet, si cognoscant homines aliquid post mortem suam suis corporibus defunctis defuturum, quod in suâ cuiusque gente vel patriâ poscit solemnitas sepulturæ, contristantur ut homines, & quod ad eos post mortem non pertinet,* (scilicèt quoad sensum corporis, & damnum animarum, ac detrimentum aut impedimentum futuræ corporum resurrectionis) *ante mortem suis corporibus timent.* Et posteà rationem reddens, cur Rex David Iabesitas laudaverit de exhibitâ Sauli sepulturâ; id factum ait, quia benè afficiuntur corda miserantium, quando ea dolent in mortuorum corporibus alienis, quæ illo affectu quo nemo umquam carnem suam odio habet, nolunt fieri post mortem suam corporibus suis: & quod sibi exhiberi volunt quando sensuri non sunt, aliis non sentientibus curant exhibere dum ipsi sentiunt. Quod etiam inter Gentiles Quintilianus[x] nepos agnovit; dum ex illo timore, quo viventes afficiuntur ne quid gravius in sua exanima corpora statuatur, procedere ait, quòd *etiam ignotis cadaveribus humus congeratur, & insepultum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrat, ut non quantulecumque veneretur aggestu.* Aug.[y] verò respondens rursùm quæstioni, quid opus sit beatis spiritibus defunctorum, corpora sua in resurrectione recipere? *Minimè*, inquit, *dubitandum*[z] *est, & raptam hominis à carnis sensibus mentem, & post mortem ipsâ carne depositâ, & transcensis etiam similitudinibus corporalium, non sic videre posse incommutabilem substantiam,* (id est Deum) *sicut sancti Angeli vident; sive aliâ latentiore causâ, sive ideò quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi: quo appetitu retardatur quo-*

AMOR ANIMARUM AD CORPORA POST MORTEM, ET UNDE ILLE.

[t] De cur. pro mort. cap. 7. & 9.
[u] Ephes. 5.
[x] Declam. 5. Æger red.
[y] De Gen. ad lit. lib. 12. cap. 35.
[z] De hâc quæst. accuratè l. eff. lib. 3. de Sum. Bon. cap. 2.

dammodò, ne totâ intentione pergat in illud summum cælum, quamdiù non subest corpus, cuius administratione appetitus ille conquiescat. Idémque planè sensit S. Bernardus [a], & alij è nostris. Et ex alienis Plato [b], ob naturalem animarum ad sua corpora affectum, eas appellat φιλοσωμάτους: & Philostratus [c] *invitas* separari scribit. Sicut apud Homerum [d] anima Patrocli, & Hectoris, aliorúmque plurimorum eo bello extinctorum, dicuntur *ad inferos ire suam sortem lugentes*. Eiúsque imitatione apud Virgilium [e] anima Camillæ, rursúmque Turni, *cum gemitu fugit indignata sub umbras*; & Lausi [f] *vita concessit mæsta ad manes*: quoniam, inquit Servius, volunt Physici, animam discedere à corpore invitam: & ut loquitur Macrobius [g], *anima, quam in se pronam corporis usus efficit, absolutionem corporis perhorrescit.* Paulúsque [h] Apostolus, cùm dixit *nos expoliari nolle, sed supervestiri*; tum molestam hanc animæ à corpore separationem declarat; tum affectum illum atque amorem animarum ad corpora, separatione non minui, sed coniunctionis pristinæ appetitionem manere indicat. Unde & natam ex parte putamus inveteratam illam Gentilium opinionem de oberratione animarum circa suorum corporum sepulchra, quasi desiderio redintegrandæ unionis.

[a] *Ser. 3. de omnib. Sanct.*
[b] *In Phædon.*
[c] *In Icon. l. 1. in Menœc. in fi.*
[d] *Il. ψ.*
[e] *Æn. 11. & 12.*
[f] *Æn. 10.*
[g] *1. in Somn. 9.*
[h] *1. Cor. 5.*

CAPUT IV.

De utilitate Sepulturæ ad salutem animarum.

I.

AD QUID SIT UTILIS ANIMÆ ILLI SEPULTURA.

QUOD verò noluit suprà Lactantius insinuare se in quæstionem, utrùm sola sepeliendi ratio sit utilis, nécne: ne quis inde apud aliquos remaneat scrupulus, evellat illum sacrarum literarum & omnis doctrinæ peritissimus Augustinus. Qui in libris [i] de Civitate Dei, & diligentiùs proprio conscripto tractatu *De Curâ pro mortuis gerendâ*, propositâ quæstione, (non, ut ait, secundùm opinionem Gentilium vulgatam, sed potiùs secundùm Religionis Christianæ sacras literas) utrùm in-

[i] *1. de civit. 12. & 11. & de cur. pro mort.*

tersit aliquid ad inferendam, vel augendam miseriam post hanc vitam spiritibus hominum, si eorum corpora sepulta non fuerint: respondet, istud quidem piam fidem haud multùm reformidare, cùm credat corpora resurrectura, etiamsi à bestiis absumantur; ac propterea curationem funerum, conditionem sepulturæ, pompam exequiarum, magis vivorum solatia esse, quàm subsidia mortuorum: Nec ideò tamen contemnenda, & abiicienda esse corpora defunctorum, maximéque iustorum ac fidelium, quibus tamquam organis & vasis ad omnia bona opera sanctus usus est Spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac siquid huiusmodi tantò charius est posteris, quantò erga parentes maior extitit affectus: nullo modo ipsa spernenda esse corpora, quæ utique multò familiarius & coniunctiùs, quàm quælibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentum, vel adiutorium, quod adhibetur extrinsecùs, sed ad ipsam naturam hominis pertinere. Unde & antiquorum iustorum funera officiosâ pietate curata fuisse, & exequias celebratas, & sepulturam provisam: ipsósque cùm viverent de sepeliendis, vel etiam transferendis suis corporibus, filiis mandâsse. Et Tobiam sepeliendo mortuos Deum promeruisse, teste Angelo. Ipsúmque Dominum die tertio resurrecturum, religiosæ mulieris bonum opus prædicâsse, prædicandúmque commendâsse, quòd unguentum pretiosum super eius membra effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit: & laudabiliter commemorari in Evangelio, qui corpus eius de cruce acceptum, diligenter atque honorificè tegendum sepeliendúmque curârunt. Verùm istas auctoritates non hoc admonere, quòd insit ullus cadaveribus sensus; sed ad Dei providentiam (cui placent etiam talia pietatis officia) corpora quoque mortuorum pertinere significare, propter fidem resurrectionis adstruendam. Hæc est de Sepulturæ causâ atque ratione sententia S. Augustini; quam ipse pluribus exemplis, & rationibus prosequitur: cuíque & nos libenter subscribimus; asserentes, etiamsi nec privatio sepulturæ, quoad resurrectionem, aliquid defunctis

incommodet, nec exhibitio per se & simpliciter sumpta opituletur ad salutem; nihilominùs (ut idem [l] loquitur) & huiusmodi humanitatem culpandâ irreligiositate negligi; & si [m] religio est, ut fidelium corpora sepeliantur quoquo modo, non posse etiam non esse ut sepeliantur in locis sacris apud memorias Sanctorum, quò illorum patrocinio & orationibus subleventur. Sed de hoc posteà.

[l] *Ibid. cap. 10.*
[m] *Cap. 4.*

II. CURA SEPULTURÆ GRAVISSIME COMMENDATA A PATRIBUS.

De curâ verò sepulturæ idem alibi [n]; *Sit pro viribus cura sepeliendi, & sepulchra construendi: quia & hac in Scripturis sanctis inter bona opera deputata sunt*, &c. Et Paulinus [o] eiusdem Sancti pernecessarius, loquens de curâ adhibitâ ab Abrahamo in Sepulturâ Saræ, ait *ipsum humanitatis memorem, non sprevisse corporis curam propter animæ securitatem, sed empto ad sepulchrum agro, mortuam suam pretiosâ sede composuisse.* Culpam verò neglectûs sepulturæ gravibus etiam verbis insinuans eiusdem Augustini catechistes, & Paulino familiaritate coniunctus, Ambrosius [p], dum agit de solicitudine Tobiæ in sepeliendis mortuis: *Hoc*, inquit, *illi quotidianum opus, & magnum quidem. Nam si viventes operire lex præcepit, quantò magis debemus operire defunctos? Si viantes ad longiora in domum deducere solemus, quantò magis in illam terram profectos, unde iam non revertuntur?* &c. *Nihil hoc officio præstantius, ei conferre qui tibi iam non possit reddere; vindicare à volatilibus, vindicare à bestiis consortem naturæ. Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus detulisse produntur, homines denegabunt?* Quapropter & longè anteà Pius, decimus à Petro Romanus Pontifex, scribens [q] in persecutione M. Aurelij Imp. ad Iustum Episcopum Viennensem, graviter monuit *curare sanctorum Martyrum corpora, sicut membra Dei; quemadmodùm curaverunt Apostoli Stephanum.* Ac posteà Clerus Romanus in Persecutione Decianâ, Pontificiâ sede post martyrium Fabiani vacante, pro munere & dignitate ad salutem & stabilitatem omnium Ecclesiarum intentus; cùm audìsset secessisse S. Cyprianum Primatem Africæ, Clerum illius Ecclesiæ officij sui admonens, ac instruens, postquàm egit de curâ habendâ eorum qui morbo

[n] *Serm. 32. de verb. Apost.*
[o] *Ep. 37. ad Pammach.*
[p] *Lib. de Tobiâ, cap. 1.*
[q] *Tom. 1. Concil.*

morbo vel carcere detinerentur, aut extorres essent; postremò insigniter de sepulturâ defunctorum: *Et quod maximum est*, inquit, *corpora Martyrum, aut ceterorum, si non sepeliantur, grande periculum imminet eis quibus incumbit hoc opus.* Sicut & ipsemet Cyprianus in eodem secessu curam Ecclesiæ gerens, suos gravissimè monuit [r], *Corporibus omnium qui glorioso exitu mortis excederent, impertiri vigilantiam & curam propensiorem.* Et paulò pòst Stephanus [s] Papa baptizato recèns à se Tertullino *inter cetera sancta monita præcipuè mandavit, ut sancta Martyrum corpora requireret ad sepulturam.* Quinimmò ab ipso Ecclesiæ exordio consuevisse Fideles *stipem conferre egenis alendis, humandisque*, auctor est Tertullianus in Apologetico [t]. Et S. Hieronymus absolutè asseverat, illum *scindere Ecclesiam, qui vivis habitaculum, mortuis sepulchrum negat.* Planéque egregiè (ut solet) Chrysostomus homiliâ [x] de S. Babylâ Martyre Antiocheno, invectus in idoli Apollinis olim culti in Daphne responsum factum Iuliano Apostatæ, impediri se responsa, ut priùs, dare, ob præsentiam Reliquiarum Babylæ, ac proinde Imperatorem hortantis, ut eius loculum effringeret, ossáque effoderet: *Quid scelestius*, inquit, *his mandatis fieri possit? Insolitas dæmon sepulchrorum spoliationis leges invehit. Quis umquam mortuos eiectos audivit? quis animâ destituta corpora sedibus pelli iussa vidit, quemadmodùm hic imperavit, & communes naturæ leges funditùs evertit? Sunt enim apud mortales omnes hæ leges communes, ut qui vitâ functus est terrâ condatur, sepulturæ tradatur, ac sinu magnæ omnium matris obvolvatur. Atque has non Græcus, non Barbarus, non Scytha, nec siquis illis immanior reperiatur, umquam leges convulsit; sed reverentur, & observant omnes; adeóque sacræ, & apud omnes veneratione sunt dignæ: dæmon autem sublatâ personâ, communia naturæ dogmata palàm oppugnat.* Hæc ille, & alia. Sicuti & Ambrosius [y], Maximi Imperij invasoris crimen, Gratiano pio Imperatori insidiis eius necato sepulturam denegantis, expendens; Iudæ proditione eo turpius fuisse indicat, quòd Iudæ proditionis pecunia profecerit ad sepulturam peregrinorum, Maximus sepulturam integram suo

[r] Cypr. ep. 37.
[s] Acta eius ap. Baron. tom. 2. an. 260.
[t] Cap. 39.
[u] Ep. 61 adv. error. Ioan. Ierosol. ante fi.
[x] Edit. Front.
[y] In Psal. 61.

Principi denegaverit: ac rursùm, ipsum Maximum Pilato sæviorem, quòd cùm ille Christi corpus petentibus ad sepulturam dederit, Maximus negaverit. Cùmque Maximus Gratianum suo iussu necatum inficiaretur; *Et quomodò* (exprobravit ei in faciem idem Ambros.[z] missus ad eum à Valentiniano Iuniori ad petendum corpus) *allegabas quòd eum non mandaveris occidi, quem prohibes sepeliri? Poterit igitur credi, quòd ei non invideris vitam, cui etiam sepulturam invides?* Itémque Bacchiarius[a] æqualis Sancti Augustini, Ianuarium redarguens, quòd lapsum quemdam monachum lethali vulnere sauciatum sepelire recusaret ad pœnitentiam, multa graviter immiscet in laudem sepulturæ, & eorum qui eius curam habuisse perhibentur; & contrà acriter invehitur in eos qui mortuos sepulturæ dignos honore non iudicant, sed relinquunt eos feris & alitibus devorandos. Ac sanè si iuxta studium vel negligentiam operum misericordiæ corporalium, (sub iis tamen intelligendo & spiritualia, eáque haud dubium nobiliora) CHRISTUS affirmat[b] se in extremo iudicio sententiam damnationis vel salutis pronunciaturum: intérque illa communi Thelogorum consensu Sepultura mortuorum numeratur: quis dubitet etiam iure divino præcipuam eius curam Christianis habendam esse? & qui mortuum sepelire potest, nec sit alius qui faciat, si id prætermiserit, non solùm maximè in Christianam pietatem peccare, verùm etiam non modicum salutis æternæ discrimen subire? *Semper se reum iudicat* (inquit Cassiodorus[c]) *qui cineribus iusta non præstat.*

[z] Ep. 56. ad Valentin. Imp.

[a] Ext. in Bibl. Patr.

[b] Matth. 25.

REDDENDA RATIO IN DIE IUDICII DE OFFICIO SEPULTURÆ.

CAPVT V.

Zelus ardens Sepulturæ in Christianis tempore Persecutionum.

VNDE & tantam legimus in antiquis Scriptorum monumentis incessisse fideles solicitudinem inhumandi corpora peremptorum pro fide Christianâ, ut non solùm pretio non parserint, quo possent ea redimere ad sepulturam; (uti multis exemplis [d] probatur :) verùm etiam ne propriæ quidem vitæ parcerent, dum severissimè id prohibentibus persecutoribus, (quod fusiùs posteà videbimus) in eo videretur cardo religionis verti, ecquis diligentiùs obstaret, aut præstaret. Quamvis enim ipsis Martyribus nihil inde damni, ut diximus, accideret, *tamen* (ut ait Augustinus [e]) *apud fratres luctus ingens erat, quod nulla dabatur potestas Sanctorum funeribus insta persolvere, nec occultè subtrahere aliquid crudelium custodum vigiliæ permittebant. Atque ita cùm illos qui occisi fuerant, in dilaceratione membrorum suorum, in conflagratione ossium, in dispersione cinerum, miseria nulla contingeret; istos tamen qui nihil eorum sepelire poterant, magna miseria cruciabat, quia nullo modo illis sentientibus, ipsi quodammodo sentiebant; & ubi iam illorum nulla erat passio, erat istorum misera compassio.* Sicut autem Gentiles profitebantur [f] se Christianorum cadavera vastare, demergere, & comburere, *eo consilio, ne ulla spes resurrectionis illis reliqua fieret*: sic econtrà Christiani, quò cunctis testatum redderent, persuasissimum sibi esse, suorum animas iam cælesti beatitudine perfrui, ac corpora suo tempore ad eam certissimè evehenda esse, atque interim in sepulchris velut quietè dormitura reponi; non solùm nullis periculis deterreri poterant, quin id quàm primùm exequi satagerent, verùm etiam nullis parcere consueverant sumptibus, quò quamdecentissimè exequerentur. I.

[d] Ap. Euseb. 5. hist. 1. Acta mart. Bonif. ap. Metaphr. & Sur. Non. Iun. Act. Greg. Spolet. ap. Sur. 24. Dec. Vit. Anast. ap. eosd. 22. Ianuar. &c.

[e] De cur. pro mort. cap. 8

[f] Ap. Euseb. lib. 5. cap. 1. in fi.

RESURRECTIONIS FIDES SEPULTURA INNITITUR

Quinimmò & multos sæpè eâ de causâ neci traditos II.

[g] Ap. Euseb. 7. hist. 14. Martyrol. Rom. & Adon.

MULTI MARTYRIUM PASSI OB SEPULTURAM ALIIS EXHIBITAM.

fuisse, testis cum primis insignis Asterius [g] nobilis Senator Romanus, & Imperatoribus charus: qui cùm in persecutione Valeriani Marinum militem Cæsareæ Palestinæ pro confessione fidei Christianæ capite plexum, subiectis humeris, & substratâ pretiosâ veste quâ induebatur excepisset, & sumptuoso linteo involutum decenti sepulchro condidisset; mox & ipse capite cæsus, honorem quem martyri detulit continuò ipse martyr accepit. Eâdemque persecutione (sive Volusianâ, aut etiam Decianâ; omnes enim istæ, quòd quæ sub Decio cœpit, iisdem eius edictis quibus promulgata, à Volusiano, atque inde à Valeriano restituta est, in unum confusæ reperiuntur) Cornelius [h] Papa, quòd Sanctorum Apostolorum corpora decentiori loco reposuisset, in exilium missus est Centumcellas; unde posteà ad martyrium, novis accedentibus calumniis, revocatus est. Itidémque Romæ Abdon [i] & Sennen nobiles Persæ, quòd Christianorum corpora quæ inhumata proiiciebantur sepelirent, iussu Imperatoris tenti, & necati sunt. Ac pariter Irenæus [k] & Abundius, quòd corpus S. Concordię in cloacam proiectum levâssent ad sepulturam, ipsimet in eamdem cloacam demersi sunt. Iustinus [l] presbyter, qui Martyrũ corpora sepelire consueverat, captus propterea, & ad Claudium præfectum adductus, illum improperantem sibi audivit: *An putas nos sacrilegia tua ignorare, quæ cum similibus tuis profanis per longa tempora commisisti? Nónne tu ausus es temeritate nefariâ agere contra deos, & contra præcepta invictissimorum Impp. quia sacrilegum illum Laurentium sepelisse diceris, & Romanum militem perditissimum absconsè tulisse deprehenderis, & quamplurimos huius nefariæ sectæ tecum pariter absconsos habuisse inclamaris.* Qui demùm & ipse martyrio coronatus est. Quinimmò iam à tempore crudelis Domitiani Nicomedes [ll] presbyter, quod corpus Feliculæ virginis & martyris sepulturâ donâsset, comprehensus & ipse martyrium subiit. Et Adriano imperante, Sabina [m] nobilissima matrona Romana, eò quòd reliquias Seraphiæ æquè virginis & martyris, à quâ præceptis fidei instituta fuerat, piis exequiis sepelisset; capta, &

[h] Offic. Ro. 14. Sept.

[i] Ibid. 30. Iul. Act. S. Laurent. in præamb.

[k] Act. S. Laur. Martyrol. Ro. Bed. Adon. Usuar. 26. Aug.

[l] Iisd. Act. S. Laur.

[ll] Ead. Martyrol. & Offic. 15. Sept.

[m] Offic. & Martyrol. Adon. 29. Aug.

capite plexa, sepulta est eodem sepulchro quo ipsa magistram fidei collocaverat. Alexandro Severo dominante, nobilissimi Valerianus [n] & Tiburtius fratres, cùm detecti fuissent patrimonio pauperibus distributo, Christianorum corpora sepelire, capti, cruciati, & capite truncati sunt. Ita & diversis Persecutionibus Basilissa [o] & Anastasia Romæ, Theodorus [p] Ancyræ, Paternus [q] Fundis, Nicostratus [r] Protoscrinarius & Claudius cum sociis S. Sebastiani discipulis Romæ, Domna [s] Virgo olim sacerdos magna Gentilium Nicomediæ: ita quamplurimi alij ubicumque feritas Persecutionum sævivisse reperitur, reperiuntur pariter ob hoc misericordiæ & religionis pium ac fidele officium, aut vitam amisisse, aut amittere periclitatos esse. Sicut & Chrysostomus [ss] factum scribit circa corpora Iuventini & Maximi militum Romanorum, qui sub Iuliano Apostatâ martyrij coronam Antiochiæ adepti fuerant; ut *post beatam illam cædem, quidam etiam cum salutis periculo athletas illos optimos rapuerint, etiam ipsi vivi martyres, ut eorum reliquias curarent decenter. Nam quamvis non occidebantur, optâssent tamen mori potiùs quàm ut corpora illa relinquerent inhumata.* Et maximè laudatur à magno illo Alexandrino Dionysio [t], Eusebius tunc eius Ecclesiæ Diaconus, posteà Laodicenæ in Syriâ Episcopus, ex eo quòd in sævissimâ Persecutione Valeriani, Dei gratiâ roboratus, non modò ministeria Confessorum qui carceribus detinebantur summo studio expleret, sed etiam lintea quibus corpora Martyrum involverentur, neglecto vitæ periculo conficienda curaret. Sicut & eodem nomine legimus in Tabulis Ecclesiasticis, aliísque antiquis monumentis, dignis elogiis celebratos, (præter sanctas feminas, quæ Dei & Ecclesiæ servitio mancipatæ, sævientibus persecutionibus, non minori zelo quàm religione, huic summo & communi pietatis operi, quodam quasi cum viris Ecclesiasticis certamine, ipsæ an illi solicitiùs curarent, incubuerunt; Pudentianam & Praxedem sorores virgines, Lucinam & Perpetuam matronas, omnes Apostolorum discipulas, aliásque eius-

[n] *Act. S. Cæcil. Offic. Ro. 4. April.*

[o] *Menolog Gr ap. Canis. ant. lect. to. 1. & Not. in Martyrol. Rom. 15. April.*

[p] *Martyrol. 18. May.*

[q] *21. Aug.*

[r] *Act. S. Sebast. Martyrol. 7. Iul.*

[s] *Act. Nicom. mart. 26. Ianuar.*

[ss] *Orat. in SS mart. Iuvent. & Max.*

[t] *Ap. Euseb. 7. hist. 10.*

modi diversis temporibus plurimas :) è sanctis Romanis Pontificibus, Anacletum [u] quartum à Petro; qui decenti Episcoporum, Martyrum, & plebis sepulturæ sub Traiano providit : Callistum, qui corpus Calepodij presbyteri repertum linteaminibus involvit, aromatibus condiit, & honorificè cum hymnis & laudibus sepelivit : Eutychianum, qui trecentos & quadraginta duos martyres propriis manibus sepelivit: Marcellum, qui & Cœmeterium suis sumptibus fecit, & viginti quinque titulos in Urbe instituit, quasi diœceses quasdam in usum baptismi, & pœnitentiæ eorum qui ad fidem convertebantur, & *in sepulturam martyrum*. Ex eiusdem Ecclesiæ presbyteris, Iustinum [x], Ioannem, & Crispum, ceterósque eiusmodi, qui in Persecutionibus multorum Sanctorum corpora officiosissimè sepelierunt; eorumdémque meritis & ipsi postmodùm sociati, gaudia vitæ æternæ meruerunt.

[u] *Anast. in Vit. Anaclet. Marcel. & Eutych. & ap. Sur.*

[x] *Act. S. Laur. Martyrol. 17. Sept. & 18. Aug.*

III. CHRISTIANORUM VETERUM CHARITAS IN GENTILES.

Et quomodò non suis id diligentissimè providerent Christiani; qui etiam indictâ in ipsos crudelissimâ à Maximino Imp. persecutione [y], fame ortâ gravissimâ, & sævissimâ pestilentiâ, cùm omnis ferè Gentilis populus miserabili exitio periret, & innumera passim iacerent insepulta cadavera; nihil non benignitatis in ipsos suos persecutores exhibentes, defunctorum funeribus & sepulturæ diligentissimam navârunt operam, vivis autem alimenta subministrârunt: tantâ huius facinoris gloriâ, ut singuli Deum Christianorum laudibus prædicarent, eósque solos veræ pietatis cultores celebrarent ? Et anteà Impp. Gallo & Volusiano, cùm immanissima pariter sæviret ubique pestilentia, iaceréntque totâ civitate (ut speciatim de Carthagine scribit Pontius Diaconus in rebus gestis S. Cypriani) cadavera plurimorum, & misericordiam in se transeuntium contemplatione sortis mutuæ flagitarent, nemo tamen faceret alteri quod sibi fieri vellet: S. Cyprianus tunc Ecclesiam illius civitatis regens, aggregatam primò plebem Christianam misericordiæ bono instruxit, docens divinæ lectionis exemplis quantùm ad promerendum Deum prosint officia pietatis; deinde subiunxit non esse mirabile, si nostros tantùm

[y] *Ap. Euseb. 9. hist. 7.*

debito charitatis obsequio foveremus; eum perfectum posse fieri, qui plus aliquid publicano vel Ethnico fecerit; qui malum bono vincens, & divinæ clementiæ instar exercens inimicos quoque dilexerit. Quare distributis pro qualitate hominum atque ordinum ministeriis, factum est exuberantium operum largitate quod bonum esset ad omnes, non ad solos domesticos fidei; & plus aliquid, quàm de Tobiæ incomparabili pietate signatum est, qui necatos à Rege & proiectos sui tantùm generis colligebat. Adeò ut Iulianus Aug. dum summo studio laboraret ut gentilitia superstitio per universum Imperium diffunderetur, idque existimans facilè fieri posse, si optima Christianorum instituta in eam traducerentur; de his seriò scribens [z] ad Arsacem Gentilitiæ superstitionis in Galatiâ Pontificem, hæc præcipuè commemoret, quibus Christiana religio ingens incrementum, maximámque commendationem ubique consecuta esset: videlicèt *benignitatem in peregrinos, curam in sepeliendis mortuis positam, & sanctimoniam vitæ*: quorum singula Gentilibus imitanda proponit.

[z] *Ap. Sozom. lib. 5. cap. 15.*

CAPVT VI.

Sanctificari Christianos ex Sepulturæ exhibitione: præmiisque inde divinitùs affectos plurimos.

I.

HOc enim pietatis & misericordiæ opus in Lege Christi, in quâ cessârunt Mosaicæ ceremoniæ, non tantùm [a] non inquinat Summum Pontificem, aut minores Sacerdotes, ceterósve Fideles; (adeò ut & fuerit primitivæ Ecclesiæ praxis, quam describit Dionysius [b] Areopagita, in funeribus Christianorum, primò Antistites, inde reliquos omnes qui aderant, *mortuos osculo & complexu salutare, ἀσπάζεσθαι τοὺς κεκοιμημένους.*) verùm etiam tum in Iustorum sepulturâ sanctificat; tum in promiscuâ, summam apud homines laudem, ingentia à Deo gratiarum dona promeretur. Sic enim de Martyribus

[a] *Vid. Clem. Rom. 6. const. ult.*
[b] *De Eccl. hier. cap. 7.*

MOS OSCULO SALUTANDI MORTUOS.

[c] *In Psal. 115.* Basilius [c]: *Pro legis Iudaicæ ritu ſiqui moriebantur, horum morticinia habebantur abominationi: contrà, mors ſi cuspiam irrogatur pro Christi nomine, pretioſæ cenſentur reliquiæ ſanctorum eius. In priori lege dicebatur Sacerdotibus & Nazaræis: Non contaminabitur ſuper ullo mortuo; & ſi quis tetigerit cadaver, immundus erit, & lavabit veſtimenta ſua. Nunc è diverſo, Martyris oſſa quiſquis attigerit, ob gratiam corpori inſidentem ſit quadamtenus ſanctificationis particeps.* Sic de ceteris, poſt antiquiora illa Perſecutionum tempora, in Pace externâ Eccleſiæ, Sixtus [d] Papa Tertius (cuiuſmodi aliud exemplum fruſtrà in quâvis aliâ Religione quæras, vix in ipsâ Chriſtianâ invenias) ſub Valentiniano Tertio Imp. de turpi crimine à Baſſo Exconſule accuſatus, poſtquàm ipſe coram Synodo ſe purgavit, & Baſſus ut impius calumniator damnatus eſt; idem nihilominùs Pontifex eumdem Baſſum paulò poſt defunctum, propriis manibus, nullo alio in conſortium miniſterij advocato, lavit, aromatibus condivit, pretioſis linteaminibus involvit, & ad Baſilicam S. Petri in maiorum eius ſepulchro religiosè ſepelivit; ſtupentibus ad tantam humanitatem Imperatoribus, Urbe, & Orbe. Sic ſub Theodoſio Iuniore Imp. poſt depoſitionem impij Neſtorij è ſacro throno Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, Maximianus monachus & preſbyter, licèt vitam quietam ſibi delegiſſet agendam; in eum tamen evectus eſt (inquit Socrates [e]) quòd opinionem pietatis iampridem ex eo conſecutus eſſet, quòd monumenta in quibus pij viri ex hâc vitâ migrantes ſepelirentur, ſuis impenſis conſtruenda curâſſet. Sic ſenes illi, qui Iuliani martyris Viennâ Galliæ orti, apud Brivates paſſi, corpus mancipaverunt ſepulturæ, ita redintegrati ſunt, ut in ſenectute ſummâ poſiti tamquam iuvenes haberentur; uti narrat Gregorius [f] Turonenſis. Sic Malachias ille Hibernus, cuius Vitam Bernardus Claravallenſis æternis ſcriptorum monumentis commendavit, cùm diaconus factus ſe ad omne opus pietatis accinxiſſet, curámque imprimis maximam in ſepeliendis pauperibus defunctis (obtrectantibus licèt importunè & iniuriosè propinquis eius,

[d] *Ep. 3. Anaſt. in eius Vitâ.*

MIRANDUM SIXTI III. ROM. PONTIFIC. EXEMPLUM.

[e] *7. hiſt. 34.*

[f] *Miracul. lib. 1. cap. 1. ad fi.*

eius, ob tam vile, ut ipsis videbatur, officium) impenderet; dignus inde habitus est, cui confestim Sacerdotale munus, & posteà Episcopalis dignitas conferretur. Nec minor charitas S. Ottonis Bambergensis Episcopi, ac Pomeranorum Apostoli: qui [g] pergens aliquando ad visitandum quoddam hospitale pauperum, invento inter urticas proiecto cadavere mulieris lacero vultu, & ab avibus comesto, dictâque breviter oratione pro animâ iacentis, manum mittit ad corpus, & horridum licèt ac fœtidum, propriis humeris unà cum suo cubiculario ad cœmeterium deportavit. Quinimmò & insignis ille Hugo [h] ex Carthusiano monacho factus Episcopus Lincolniensis in Angliâ, lumen illius ordinis, & splendor Episcoporum; adeò in sepeliendis mortuis, etiámque putidissimis, fuit solicitus, ut per omnem suam diœcesim inhibuerit pastoribus animarum, ne ipso præsente quemquam adultum præsumerent sepelire, nisi dum ipse adesse omninò non posset: & inter equitandum, si fortè funus humandum uspiam aspiceret, confestim ab equo desiliebat, & orans devotiùs sepelienti se iungebat, aut ipsemet sepeliebat. Cúmque aliquando à Rege Angliæ rogatus fuisset ad convescendum, non antè voluit ad palatium venire, quàm absolvisset quoddam officium Sepulturæ; & urgentibus ministris regiis ut acceleraret, ille nihil festinantiùs agens; *Melius est*, inquit, *ut Rex terrenus absque nobis prandeat, quàm mandatum æterni Regis nostra humilitas inexpletum relinquat.* Ac pariter alio tempore audiens quemdam è suis persecutoribus defunctum esse, statim eò advolans ut sepeliret, cùm à suis moneretur insidias ipsi in itinere paratas; *Tum demum* (inquit ille) *iustè excusabimur, si pedes compedibus constringantur, & incedendi facultas erepta sit:* eóque dicto, cum duobus tantùm eò se conferens funus honorificè curavit. Unde hic talis Hugo ex hoc impensissimo humanitatis & misericordiæ studio, adeò celebrem meruit post obitum eodem officij genere gratiam & remunerationem, ut eius funeri interfuerint duo Reges, tres Archiepiscopi, Episcopi quatuordecim, Abbates plus centum, Comi-

[g] *Vit. Otton. lib. 1.*

[h] *Vit. Hugon. ap. Sur. 17. Novembr. Chron. Carthus. lib. 3. cap. 7. & 11. Matth. Paris an. 1200.*

GLORIOSUM FUNUS HUGONIS EPISCOPI LINCOLNIENSIS.

tes ac Barones quamplurimi : ipsique Reges & Præsules sacrum eius corpus in humeros acceperint, & ad sepulturam detulerint : officium autem divinum tam solemniter pro eius animâ peractum fuerit, ut soli Antistites lectiones legerent, & versus atque responsoria cantarent. Acciditque præterea illud mirandum, ut cùm corpus eius Londino, ubi defunctus fuerat, Lincolniam tumulandum deferendum esset, cerei in exitu civitatis accensi, per quatuor dies iugiter arserint, licèt tempus ex aëris intemperie multoties esset vento & pluviâ turbulentum.

II. Et ut unius atque alterius Principum sæculi exempla subiungam, Marcianum legimus [i] genere Thracem, cùm militiæ nomen daturus, in viâ Philippopolim versùs incidisset in corpus hominis recèns occisi, existénsque ad misericordiam propensissimus iusta funeri solvere cuperet, in ipso opere captum à Magistratu velut cædis auctorem, iámque pœnam persoluturum; divinâ pietatem eius remunerante gratiâ, non solùm ex improviso deprehenso percussore ipsum liberatum esse, verùm etiam ex infimâ militiâ evectum tandem, præcedentibus prophetiis, ad summitatem Imperij: tantáque alia consecutum, ut & meruerit continentissimus ipse sponsus esse Pulcheriæ Aug. virginis Deo dicatæ, & religiosissimus Chalcedonense Oecumenicum Concilium auctoritate Leonis Magni Romani Pontif. celebrare, atque hæresim Eutychianam extinguere. Et potentissimus ac religiosissimus omnium sui sæculi Principum Ludovicus [k] Nonus Francorum Rex Christianissimus, & sanctitate illustrissimus, cùm in expeditione Orientali offendisset apud Sidonem permulta cæsorum à Saracenis Christianorum corpora iam putentia, non pauca à feris belluis lacerata; ipsemet ea propriis manibus sepelivit humiliter & devotè, usus operâ quorumdam è suis, qui illorum fœtorem vix ferre potuerunt. Suppetunt mihi & alia huius generis exempla affatim : sed quoniam adeò frequentia sunt apud omnes auctores, ut nemo ea commemorare velit,

[i] Ap. Evagr. lib. 2. cap. 1.

MARCIANI CURÆ SEPULTURÆ IMPERIUM REPENSUM.

[k] Vit. S. Ludov. Reg. Franc.

S. LUDOVICI FRANC. REGIS INGENS CHARITAS.

quin multò plura omiserit quàm recensuerit, idcircò supersedebo impræsentiarum orationem iis ulteriùs occupare; posteà plusculis antiquiorum exemplis edocturus, quomodò nec abhorruerint ipsi Episcopi, atque etiam Reges, nedum clerici & alij viri illustres cervicem deferendis sanctiorum hominum feretris supponere.

CAPVT VII.

Martyres de suâ Sepulturâ sollicitos fuisse, sive ante, sive post passionem: aliásque divinitus detectos, redditos, custoditos, ac mirabiliter servatos ad eam consequendam.

NUNC quod ad ipsam sepulturam attinet; imprimis fuisse sanctos martyres, antequàm necarentur, sollicitos de futurâ corporum suorum sepulturâ; intelligitur exemplis [l] SS. Victoris, Eustratij, Mennæ, Torpetis, Fortunatæ, & aliorum, qui amicos suos adiurâsse reperiuntur, ut vel corpora vel cineres sepelirentur, & in patriam referrentur. Deinde ut cum Augustino [m] loquar, *Feruntur mortui nonnulli, vel in somnis, vel alio quocumque modo apparuisse viventibus, atque ubi eorum corpora iacerent inhumata nescientibus, locísque monstratis admonuisse ut sibi sepultura qua defuerat præberetur. Quæ si falsa esse responderimus, contra quorumdam scripta fidelium, & contra eorum sensus qui talia sibi accidisse confirmant, impudenter venire videbimur.* Hæc ille: quæ fieri ait, non quòd mortui ista sentiant, sed *Angelicis operationibus, sive permittatur desuper, sive iubeatur*: idque *vel ad solatium vivorum*, quibus apparent mortuorum imagines; vel *ut his admonitionibus generi humano sepulturæ commendetur humanitas*. Quibus & addas; quòd cùm non exiguam percipiant ipsæ animæ voluptatem, cùm in se Deum sentiunt honorari, ideò non solùm ad simplicem suscipiendam sepulturam frequentissimè conspicuas sese 1.

[l] *Ap. Sur. 14. Maij: 11. Novembr. 3. Dec Codd. Later & S. Cæcil.*

[m] *De cur. pro mort. cap. 10.*

alienis in corporibus præbuisse; verùm etiam ut obscurè & ignotè sepultis debitus honor exhiberetur. Sic enim S. Ioannis Præcursoris capite altissimè ab impiâ Herodiade defodi iusso, multo pòst tempore [n] Sanctus ipse duobus monachis Orientalibus, qui orationis causâ Ierosolymam venerant, in somnis apparens, præcepit ut ad Herodis quondam Regis habitaculum accedentes caput suum requirerent, & inventum digno honore reconderent. Cúmque rursùm eius memoria interiret, & ignoraretur quo loco delitesceret; idem Sanctus Marcello cuidam religioso presbytero, dum in eodem specu habitaret, mirabili modo sese, suúmque caput ostendit. Sic corpora SS. Martyrum Mediolanensium Gervasij & Protasij, cùm laterent sub ignobili cespite, ac penitùs nescirentur, S. Ambrosio [o] per visionem ab ipsismet Sanctis, & à Paulo Apostolo, revelata reperta sunt, & in basilicâ Ambrosianâ dignè recondita. Itidémque Bononiensium Martyrum Vitalis & Agricolæ sacra ossa inter Iudæorum sepulchra iacentia, cùm omnes laterent, à Christo Domino eidem Ambrosio [p] indicata. Sic Ruffina & Secunda sorores martyres nocte apparuêre [q] Plautillæ, ut sepulturam acciperent. Sic fortissimus ille martyr, & Ecclesiæ Romanæ Defensor, S. Sebastianus (ut in sinceris eius Actis narratur) post necem in cloacam proiectus, apparens in somnis Lucinæ matronæ religiosæ, locum indicavit ubi iaceret, & ubi sepeliri vellet: cùm priùs & ipsi Sebastiano Zoë insignis femina pro fide suspendio necata, & in Tiberim demersa, ad hoc ipsum noctu apparuisset. Sic item Prophetarum [r] Habacuc & Michææ sacræ Reliquiæ sub Theodosio Magno, Zachariæ sub Iuniori, revelantibus in visione ipsismet Prophetis, repertæ sunt in Palæstinâ, & decentiori loco ab omnibus colendæ repositæ. Eodémque fermè tempore apparens ter in somnis Gamaliel B. Pauli Apostoli præceptor, Luciano [s] presbytero villæ Caphargamala in territorio Ierosolymitano locum iacentium corporum SS. Stephani Protomartyris, Nicodemi Discipuli Domini, ipsius Gamalielis, & filij eius

[n] *Sozom. lib. 7. cap. 21. Marcell. Com. in Chron. Bed. & Ado in Martyrol. 24. Febr. & alij.*

REVELATIONES SANCTORUM PRO SUA SEPULTURA.

[o] *Ambros. ep. 53. & 54. August. 22. de civit. 8. & 9. Confess. 7.*

[p] *Ambros. ep. 55.*

[q] *Apud Sur. 20. Iul.*

[r] *Ap. Sozom. lib. 7. cap. ult. & lib. 9. cap. ult.*

[s] *Epist. Lucian. de Invent. S. Steph. in Append. Tom. X. Oper. August.*

Abibonis, quæ diù obscurè ac sordidè delituerant, commonstravit, quò illa honestiùs sepelirentur. Ac similiter abditæ Reliquiæ SS. Quadraginta Martyrum, ipsismet & Thyrso alio martyre revelantibus, Constantinopoli à Pulcheriâ Aug. eiusdem Theodosij Iunioris sorore reperta [tt] sunt, & honorificè recondita. Zenonéque imperante S. Barnabas [t] Apostolus apparens Anthemio Episcopo Salaminæ in Cypro, locum ostendit omnibus ignotum, quo suum corpus quadringentis quinquaginta antè annis sub arbore siliquæ occultè à suis discipulis conditum fuerat, unà cum sacro Evangelio S. Matthæi propriâ ipsius Barnabæ manu scripto: eóque modo patriam suam liberavit à subiectione Ecclesiæ Antiochenæ, cui anteà suberat. Quibus Vincentium addas [u], Lucianum, Restitutum, Tiburtium, Triphonem, Vitum, Ianuarium, Abdon & Sennen: & alia quamplurima eiusmodi testimonia, singulis quibusque temporibus: quæ (dicam de huiusmodi visionibus, quod Tertullianus [x] de Testimonio animæ quòd unus sit Deus) quantò vera, tantò simplicia; quanto simplicia, tantò vulgaria; quantò vulgaria, tantò communia; quantò communia, tantò naturalia; quantò naturalia, tantò divina.

[tt] Sozom. lib. 9. cap. 2.
[t] Theod. Lect. lib. 2. Collectan. Alex. mon. ap. Metaphr. 1. tom. & Sur. 11. Iun.
[u] Rom. Subterr. lib 2. cap. 7. & lib. 2. c. 18. ex ms.
[x] De testim. anim. cap. 5.

II.

INSEPULTIS PROIECTIS IUSSA DIVINITÙS SEPULTURA.

Quò pertinet quod & insepultis corporibus aliàs iussam divinitùs tradi sepulturam, docent exempla Marcellini [y] Papæ & Martyris, cuius ac sociorum martyrum corpora cùm triginta sex dies iussu Imperatoris Maximiani Herculij insepulta permansissent, demùm Marcellus eius in Pontificatu successor, à S. Petro in somnis admonitus honorificè sepelienda curavit. Marcellini [z] item presbyteri Romani & Petri exorcistæ, quorum paulò antè eâdem persecutione passorum animæ visæ sunt mirâ claritudine in cælum ferri, corpora Senatoriæ feminæ divinitùs admonitę sepelierunt adiuvantibus duobus acolytis. Necnon Martyrum Gazensium [a] sub Iuliano Apostatâ; quorum ossa quæ combustioni supererant, ossibus camelorum & asinorum, ne internoscerentur, admixta, divinitùs ostensa sunt piæ cuidam mulieri, iussáque tradi cuidam sancto confessori ipsi anteà ignoto, sed

[y] Offic. Rom. die 26. April.
[z] Hist. illius pass. die 2. Iun.
[a] Sozom. lib. 5. cap. 8.

divinâ pariter revelatione designato. Quemadmodùm & cùm anteà sub Diocletiano, Martyrum quorumdam Tarsensium [b] corpora admixta fuissent cum corporibus gladiatorum in amphiteatro extinctorum, ut cognosci non possent, illa noctu tribus facellis veluti stellis cælitùs indicata fuerant, & à fidelibus furtim subtracta ad sepulturam, quam milites iis appositi custodes prohibebant. Et Cæsaraugustæ in Hispaniâ cùm innumerabilium Martyrum sub Daciano præside passorum corpora fuissent pariter commixta cum aliorũ facinorosorum hominum cadaveribus simul crematis, divino nutu, ut habent eius Ecclesiæ acta, sic separata sunt, ut Martyrum cineres velut frumenti candida massa in portiunculas conglobati fuerint, aliis vento spargendis remanentibus. unde & Martyres illi *Massa Candida* dicti sunt. Et corpora SS. Iuliani & Celsi itidem commixta, apparentibus in specie virginum animabus eorum, collecta sunt à sacerdotibus qui illa quærebant. Iámque anteà sub Marco Imp. S. Constantij [c] Perusini Episcopi & martyris sepulturæ curam, ceu magnum beneficium, Deus per Angelum commisit cuidam piissimo eius tractûs Christiano. Qui & posteà Catharinam [d] insignem illam virginem, philosopham, & martyrem, sub Maximino Alexandriæ passam, Angelorum ministerio in Sinâ monte mirabiliter sepeliri voluit. Et ne putes hoc singulare fuisse in Martyrib. pristinarum Persecutionum, legimus quoq; posterioribus tẽporibus, Ermelendem [e] virginem, quæ vitam in solitudine in finibus Brabantiæ mirâ abstinentiâ & sanctitate transegerat, cùm tandem post multa certamina evocata fuisset à Domino, fuisse ab Angelis hymnos cælestes decantantibus officiosissimè sepultam: ciúsque posteà sepulchrum divini claritate luminis, & cælestium hymnorum concentu manifestatum, maximæ extitisse omnibus venerationi.

[b] *Act. ap. Baron. to. 2. an. 290.*

[c] *Ap. Sur. 9. & 29. Ianuar.*

[d] *Ap. Metaphr. Sur. & Martyrol. Ro. &c. 25. Novembr.*

[e] *Ap. Sur. 29. Octobr.*

III. CORPORA SUBMERSA REDDITA AD SEPULTURAM.

Sed & reddita divinitùs corpora ad sepulturam, quæ in aquas, ne eam consequerentur, proiecta fuissent; docent exempla Vincentij [f] celeberrimi Diaconi Cæsaraugustani in Persecutione Diocletiani; cuius corpus in-

[f] *Prudent. in peristeph. Aug. Ser. 13. de S. Vinc.*

ſutum culeo, & alligato lapide in altum mare demerſum, deiectoribus citiùs ad littus divinitùs relatum eſt, & à Christianis honorificè ſepultum: Chryſogoni [g] quoque Martyris eâdem perſecutione paſſi; qui poſt decollationem proiectus in mare, poſt modicum ad littus appulit, ac caput divinitus revelatum eſt: Ariani [h] & ſociorum eâdem perſecutione; quorum corpora ſaccis cum arenâ incluſa, & in mare proiecta, delphinorum obſequio ad littus Alexandrinum delata ſunt: Luciani [i] illuſtris preſbyteri Antiocheni; qui poſt conſummatum fortiſſimè Nicomediæ martyrium, iuſſu Maximiani Galerij in profundum maris, ingenti lapide brachio eius appenſo proiectus, poſt aliquot dies delphini piſcis miniſterio Drepanum Bithyniæ delatum eſt, & à diſcipulis ſepulturæ traditus: Baſilei [k] Epiſcopi Amaſeni ſub Licinio; cuius corpus aquis ſubmerſum, Angeli monitu repertum eſt: Septem Martyrum [l] monachorum apud Carthaginem ſub Hunerico Vvandalorum Rege coronatorum; quorum corpora in mare proiecta, illicò eâdem horâ illæſa pelagus littori reddere maturavit, nec auſum fuit (ut moris eſt) triduanâ dilatione in profundo retinere, ne præcepto Dominico minimè paruiſſet: ad quod miraculi genus & ipſe tyrannus, licèt impœnitens, expavit: Lupentij [m] Abbatis S. Privati & martyris; quem cùm quidam Comes necâſſet, & amputatum caput culeo lapidibus onerato incluſum flumini dediſſet, reliquúmque corpus vinctum cum ſaxo immerſiſſet gurgiti; idem Sanctus poſt pauca apparuit quibuſdam paſtoribus, qui corpus extraxerunt è flumine, ſubitóque adveniens aquila levatum culeum ripæ depoſuit; & ſic caput cum reliquis artubus eſt ſepulturæ mandatum: Hevvaldorum [n] ſacerdotum Anglorum; qui cùm fuiſſent ab antiquis Saxonibus ob fidem Christi miſerè necati, eorum corpora in Rhenum proiecta per quadraginta ferè millia paſſuum contra impetum aquæ decurrentis ad ea uſque loca ubi illorum eſſent ſocij, tranſlata ſunt, & radio ſupernæ lucis, ac viſione nocturnâ unius ex illis detecta, atque honorificè ſepulta. Paritérque illuſtriſſimi atque ſanctiſſimi

[g] *Act. Anaſt. mart. 16. Dec. Ado in Martyrol. 24. Novembr.*

[h] *Martyrol. Rom. 8. Mart. Metaphr. 14. Dec. in Vit. Thyrſ. &c.*

[i] *Ap. Metaphr. 7. Ianuar.*

[k] *Menol. & Martyrolog. 26. April.*

[l] *Append ad Victor. Uti. c.*

[m] *Greg. Turon. 6. hiſt. 37.*

[n] *Bed. 5. Hiſt. Angl. 11.*

Martyris nostri *Antonini*, Appamiarum olim Principis: qui pro fide decollatus ab impio propinquo, & in flumen Aurigerum proiectus; Angelorum ministerio contra aquæ cursum, ad locum sibi divinitùs præparatum deductus est.

IV. De cohibitis porrò à Deo Bestiis, & Igne, ne martyrum corpora, cùm iis traderentur, labefacerent, exempla prodere supervacaneum ducimus; quia adeò frequentià sunt, ut nullibi non occurrant legentibus Acta Martyrum. Illud minùs obvium, quòd & fuerunt multorum corpora divinitùs ferarum ac volucrum ministerio, à ceteris feris volucribúsque defensa, ne discerperentur. Omitto virum [o] Dei, quem leo occisum illæsum custodivit à feris volucribúsque, quousque ab alio Prophetâ sublatus est ad sepulturam; quòd hoc longè ante Christum contigerit, de cuius Lege modò agitur. Vincentium verò rursùm memorabo Cæsaraugustanum Diaconum, cuius corpus priusquàm in mare demergeretur, insepultum proiectum Corvus [p] & à circumvolantibus rapacibus volucribus, & à vorace lupo, unguibus, rostro, alis mirabiliter defendit. Sanctas Martinam, & Priscam, Sanctósque Vitum & socios, Aquila [q]: aliæque aves SS. Paulum & Iulianam. Ac mirabiliùs Canes S. Dulam [r] martyrem in Ciliciâ: qui cũ proiectus fuisset in torrentem, pastorum canes illum odorati, illuc accedentes, unus ad custodiendum à volucribus corpus permansit; alius pastoris pallium ore apprehensum ad martyris corpus tegendum attulit. Paritérque Alexandri [s] martyris corpore in fluvium proiecto, quatuor canes è fluvio extraxerunt, suísque linguis lambentes custodierunt: donec advenisset mater martyris: cui duo ex iis canibus occurrentes obviam, unus à dextris, alter à sinistris illam ad filium rectà deduxerunt. Salvium [ss] quoque Episcopum Engolismensem & Superium martyres Valentianis passos, quorum corpora in stabulo iumentorum clàm defossa fuerant, taurus quasi dux & custos armenti, à reliquis animalibus, & ab immunditiâ conservavit: cùm & visis luminaribus in stabulo, Carolus Magnus Imp.

MARTYRES FERARUM AC VOLUCRUM MINISTERIO, DEFENSI A CETERIS FERIS ET VOLUCRIBUS.

[o] 3. Reg. 13.
[p] Prudent. in peristeph. Aug. serm. 13.
[q] Rom. Subter. lib. 2. cap. 7. ex ms.
[r] Ap. Metaphr. & Sur. 15. Iun.
[s] Ap. Sur. 13. May.
[ss] Sigeb. in Chron. an. 801. Molan. in SS. Belg.

Imp. ter ab Angelo monitus est honestâ eos sepulturâ decorare. Eadmundum [t] Angliæ Regem & Martyrem: cuius corpus à Danis percussoribus insepultum abiectum, capútque inter densa veprium fruteta occultatum, ne à Christianis honestæ sepulturæ traderetur; abeuntibus demùm Danis diligentissimè quæsitum, & vix tandem ipsiusmet capitis clarâ voce lustratores ad se pellicientis detectum; maiori fermè miraculo inventum est inter brachia terribilis lupi, qui sacrum illud pignus à ceterarum belluarum læsione vigilanti custodiâ eatenùs conservaverat: qui & more domestici animalis baiulos à tergo modestè secutus, ac quasi pro credito pignore lugens, nullum læsit, à nullo læsus est, ac impletâ sepulturâ in solitudinem se recepit. Stanislaum [tt] Cracoviensem in Poloniâ Episcopum: qui à Boleslao impio Rege, dum ad altare sacrificium incruentum celebraret, necatus, & à satellitibus minutatim concisus, ac per agros dispersus, ut à feris & volucribus devoraretur; econtrà per aquilas circumvolantes ab incursu ferarum & volucrum est mirabiliter defensus; sparsáque membra nocturni de cælo splendoris indicio collecta, & singula suis locis aptè disposita, subitò ita inter se copulata sunt, ut nulla toto corpore vulnerum ac cicatricum vestigia apparerent.

[t] *Malmesbur. hist. Angl. l. 2. VVestmon. an. 870. Abbo Flor. in eius Vitâ.*

[tt] *Longin. in eius Vitâ.*

V. BESTIÆ OPEM AD SEPULTURAM TULERUNT.

Quid quòd ipsas feras interdum movit Deus, ut corporibus tumulandis suam conferrent opem? Quid Leone ferocius? Et tamen defuncto Paulo [u] primo Eremitâ, ac fluctuante Magno Antonio qui eum inviserat, vario mentis æstu super eius sepulturâ, quòd in deserto sarculum quo terram foderet non haberet, & tamen mori satius duceret quàm ei officio deesse; ecce Leones duo ex interioris Eremi parte, volantibus per colla iubis currentes, directo cursu ad cadaver substiterunt, adulantibúsque caudis circa eius pedes accubuêre, fremitu ingenti rugientes, prorsùs ut intelligeret Antonius eos plangere quomodò poterant: deinde haud procul cœperunt humum pedibus scalpere, arenámque certatim egerentes, unius hominis capacem locum effodere: ac statim quasi mercedem pro opere postulantes, cum motu aurium cer-

[u] *Hieron. in eius Vitâ.*

vice deiectâ ad Antonium perrexerunt, manus eius pedésque lingentes: qui illis benedictis, atque dimissis, corpus Pauli ritu Christiano sepelivit. Siniléque prorsùs Leonum obsequium in sepulturâ Onuphrij [uu] anachoretæ exhibitum Paphnutio Abbati, qui ei morienti in Ægypti solitudine adstitit. Ac defunctâ, quam miraculum peccati & pœnitentiæ vocare possumus, Mariâ [x] Ægyptiacâ in Eremo Syriæ, superveniens Zosimas Abbas, cùm nihil haberet quo terram ad eam sepeliendam foderet, ingentem vidit adstare Leonem, qui ab eo iussus brachiis & unguibus fecit foveam, quanta ad sepeliendum Sanctæ corpusculum sufficere posset; nec inde recessit, donec oppleta fuit fovea. Nec sanè leviter transeundum, immò graviter considerandum his iisdem exemplis occurrit, quòd Deus hos servos suos, qui cùm in vastissimis solitudinibus vitam permultis lustris ab omni ceterorum hominum consortio longè remotam duxissent, sub finem vitæ ad hoc voluerit quibusdam aliis sanctissimis viris, miris planè modis innotescere, ut sepulturam ritu Christiano consequerentur. Sic enim Paulus ad Antonium: *Quia iam dormitionis meæ tempus advenit, tu missus es à Domino, qui humo corpusculum tegas, immò terram terræ reddas*. Sic Onuphrius ad Paphnutium: *Omnipotens Deus recto itinere in hanc solitudinem direxit te, ut honorificè sepelias me, atque corpus meum commendes terræ*. Sic Maria Ægyptiaca ad Zosimam primò à se visum: *Te gratia Spiritus sancti direxit, ut aliquod ministerium exhibeas meæ exiguitatis corpori congruum*. Et posteà moriens eidem rursùm venturo ex condicto Zosimæ hoc scriptum reliquit: *Sepeli, Abba Zosima, miseræ Mariæ corpusculum. Redde terræ quod suum est, & pulveri adiice pulverem*. Similiáque exempla evocatorum divinitùs hominum ad sepelienda corpora eorum qui vitam solitariam ducerent, non rarò alibi [y] invenies: ex quibus de aliis eiusmodi servis Dei certam coniecturam facias; & clarè intelligas, quàm Deo gratum istud fuerit pietatis in hominum sepulturam impensum officium; ac penè dixerim necessarium hominibus existimari voluerit, quod tot modis extraordinariis commen-

[uu] *Vit. Onuphrij fi. Marul. lib. 4. cap. 10. Rosweid. Not. ad Vit. Patr.*

[x] *Sophron. in eius Vitâ; ap. Sur. 2. April. Nicephor. l. 17. cap. 5.*

EREMITÆ MUNDO INCOGNITI, NOTI FACTI AD SEPULTURAM CONSEQUENDAM.

[y] *Damasc. in hyst. Barla. cap. ult. Prat. Spir. cap. 87. 120. 123. 170. &c.*

davit. Sicut & aliàs confirmavit, cùm mortuo quodam fratre [z] in monasterio Ierichuntino, ex quo reliqui fratres iter agere cum corpore cœperunt ut ferrent ad sepulturam, stella supra defuncti caput quasi comes itineris apparere non destitit, donec ipsum sepulturæ traderent. Itemque cùm defuncto Theotilone [a] Archiepiscopo Turonensi insignis pietatis viro, dum à Regis comitatu ad sua reciperet; apparuit signum quoddam Luminis, quo ad depellendas noctis tenebras sufficienter perfuncti sunt qui funus eius deducebant. Ac pariter cùm defunctâ Arvernâ [b] puellâ quâdam religiosâ, corpus eius sepeliendum deferretur, adveniens grex magnus Columbarum, illuc volitando secutus est, quò à proximis ferebatur; illáque sepultâ, ad cælos evolavêre columbæ. Et alia eiusmodi plurima, quæ longum esset enumerare.

[z] *Prat. Spir. cap. 6.*

[a] *Flodoar. in Chron. an. 945.*

[b] *Greg. Tur. de glor. Confess. cap. 34.*

VI.

Cùm præterea & plurimis magnifica divinitùs præparata legamus sepulchra. Veluti exempli gratiâ, Clementi [c] Romano Pontifici, Apostolorum discipulo: qui in Persecutione Traiani exul trans Pontum Euxinum, anchorâ collo suspensâ in profundum præcipitatus, tribus à littore milliaribus ædiculam marmoream constructam in templi formam, & intùs arcam lapideam invenit, quæ sacrum eius corpus exciperet. Et in Persecutione VVandalicâ, Armogæ [d] martyri Afro: qui cùm ad fodinas relegatus, Domino revelante dormitionis suæ proximum cerneret diem, Christianum quemdam sibi fidum adiuravit, ut suum corpus sub certâ siliquæ arbore sepeliret: non quòd ille curaret, ubi aut qualiter sepeliretur; sed ut illud demonstraretur, quod servo suo revelaverat Deus. Quapropter post eius obitum festinans ille sub indicatâ arbore altissimum fodere sepulchrum, invenit sarcophagum splendidissimi marmoris præparatum, qualem fortè nullus omninò habuit Regum. Nec omittendum quod in provinciâ Saxonum Orientalium Britanniæ, monasterio Berecingo [e] devotarum feminarum, aliquando mirabiliter contigit: nimirùm ut diù dubitantibus illis de loco Cœmeterij construendi, nocte quâdam post expletas matutinæ laudis psalmodias, subito splendidissima

[c] *Acta Vitæ Clem. Greg. Tur. de glor. mart. cap. 35. Niceph. lib. 3. cap. 18.*

MAGNIFICA DIVINITÙS PARATA SEPULCHRA.

[d] *Vict. Utic. lib. 1.*

[e] *Bed. 4. hist. 7.*

LOCA PRO COEMETERIIS DIVINITÙS DESIGNATA.

cælitùs emissa lux quemdam monasterij locum operiens, cunctis videntibus locum designârit, in quo monialium corpora requietura, & diem resurrectionis expectatura essent. Et in provinciâ Merciorum eiusdem Britanniæ mortuo Osvvaldo [f] Vvigornensi Episcopo, cùm corpus eius ad Ecclesiam deferretur, nivea columba è cælo descendens, expansis alis lento volatu illud protegere visa est. Igneáque sphæra cælitùs lapsa super feretrum apparuit, depositóq; ante altare sacro corpore, visio illa tamquam locum sepulturæ eius designatura, ad australem Ecclesiæ plagam iuxta altare divertit, sícque ab oculis intuentium subducta est. Denique demerso in mari, dum in Galliam traiiceret, Petro [ff] primo Abbate monasterij Dorovernensis, & ab incolis loci ignobili sepulturæ tradito; Deus, ut qualis meriti vir fuisset demonstraret, omni nocte supra sepulchrum eius lucem cælestem apparere fecit; donec animadvertentes vicini abstulerunt corpus, & honorificè in ecclesiâ posuerunt. Quemadmodùm & defuncto in mari Iordano [g] tertio Ordinis Prædicatorum Magistro Generali, dum ad visitanda loca & fratres in Terram Sanctam navigaret; & corpus eius ac sociorum tempestate ad littus allisa fuissent: quamdiù illa inhumata iacuêre, luminaria de cælo super illa singulis noctibus effulgere visa sunt, & cruces multæ: quibus detecta à fratribus Acconensibus, ad ipsorum monasterium translata sunt ad sepulturam, & venerationem. Feruntque [h] de Gregorio Sexto Romano Pontifice; cùm quidam conarentur impedire ne sepeliretur in basilicâ S. Petri, posito eius cadavere ante portas seris clausis, mox divinitùs turbinem emissum omnia repagulorum obstacula dirumpentem, valvas etiam ipsas vehementi patefactas impetu ad parietem impulisse, omnésque miraculo stupefactos magnâ reverentiâ Pontificis corpus sepulturæ tradidisse. Nec huiusmodi exemplorum finis.

f Vita eius ap. Sur. 15. Octob.

ff Bed. 1. hist. ult.

g Vinc. lib. 30. Spec. hist. cap. 137.

h Malmesbur. lib. 2. Vinc. Spec. hist. l. 25. cap. 25. Anton. par. 2. tit. 16. cap. 1. § 19.

CAPVT VIII.

Sepulchrorum VIOLATORES *divinitùs puniti.*

I.

FUISSE verò etiam ſepulchrorum violatores ſæpiſſimè divinitùs punitos, plurima extant omnium temporum & ætatum teſtimonia atque exempla. Præclarum eſt in Rebus[i] geſtis admirabilis illius Symeonis Stylitæ, cuiuſdam hominis, qui ob violatum ſepulchrum feminæ quam adamaverat, ſtatim obmutuit, & ſurdus factus eſt. Necnon & quod legitur in Prato[k] Spirituali Ioannis Moſchi, quod nomine Sophronij Patriarchæ Ieroſolymitani (cui ab auctore inſcriptum fuit, quique magna pars eius exiſtit) à S. Synodo Oecumenicâ Nicenâ II. & à S. Ioanne Damaſceno antiquitùs citatum reperitur; de quodam homine, qui mortuum in monumento ſpolians, ab ipſo mortuo tentus, & excæcatus eſt. Itémque de alio[l], qui cùm virginem quamdam pretioſis veſtibus, cum quibus ſepulta fuerat, denudâſſet, ab illâ firmiter detentus, nullâ arte, nullis precibus, niſi iuramento promiſsâ ſæculi renunciatione, dimiſſionem impetrare valuit. Nec abſimile quod habet Gregorius[m] Turonenſis de ſepulchro S. Helij Lugdunenſis Epiſcopi tempore Gentilium: quòd cùm ſequenti die ab eius ſepulturâ, paganus quidam revoluto lapide ſuperpoſito, ſpoliare aggrederetur; extenſis Helius lacertis conſtrictum hominem fortiter amplexus, uſque manè populis aſpectantibus tamquam devinctum loris miſerum detinuit: ſed ultionem pietate permiſcens, cùm vellet Iudex violatorem ſepulchri legalis pœnæ ſententiâ damnare; non priùs ſanctus laxavit hominem, quàm fecit Iudex de vitâ promiſſionem. Nartátque idem auctor[n] de quodam paupere homine provinciæ Turonicæ, cuius filius diem obierat; quòd cùm non haberet lapidem, quo filij ſarcophagum operiret; ac propter eà de quodam antiquo ſepulchro, quod inter vepres & rubos iacebat, operculum

[i] *Vit. Patr. lib. 1. in Sym. Styl. cap. 20.*

[k] *Cap. 77.*

[l] *Cap. 78.*

[m] *De glor. Confeſſ. cap. 62.*

[n] *Ibid. cap. 17.*

abstulisset; hoc peracto confestim surdus, mutus, cæcus, ac debilis factus fuerit, manseritque in eo supplicio integrum ferè annum: quousque apparente ei per visum Benigno Episcopo, cuius erat sepulchrum violatum, & se eiusmodi vindictam ob perpetratum sacrilegium immisisse narrante, atque etiam mortem nisi lapidem referret minante; ille paruit, & illicò sanus factus est. Gregorio verò Magno referente [o] legimus, cùm super sepulchrum Equitij Abbatis rusticus quidam arcam cum frumento posuisset, repentè turbinem cælitus factum, rebus illic omnibus in suâ stabilitate manentibus, arcam extulisse longéque proiecisse. Mauritij quoque Imperio (ut alij [p] observârunt) cùm Chaianus Rex Avarum excursione in Pannoniam factâ sepulchrum Alexandri martyris incendisset, mox divinam sentiens vindictam, septem uno die filios amisit. Et in Vitâ S. Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani narratur [q] à Nicetâ cognomento Davide; cùm post eius obitum Photius impius eius sedis invasor Lydum quemdam sacellarium impulisset prope sactum Ignatij sepulchrum terram altè effodere, ut contumeliam irrogaret venerandis illis Reliquiis; confestim iram Dei impium illum adortam esse, ut horrendè vociferans ac si interficeretur, proprio sanguine ex ore manante totus cruentatus intra quatriduum miseram animam efflaverit. Súntque elegantissima Epigrammata S. Gregorij Nazianzeni in sepulchrorum effossores, quæ denotent quàm id grave sit scelus: Itémque canonica coërcitio S. Gregorij Nysseni, & aliorum: [r] præter constitutiones illas Ecclesiasticas, & Imperiales, quibus id severissimè interdictum iam anteà occasione similium Gentilitiarum prohibitionum vidimus. Quibus & addas; inter alia quæ crimini data fuêre S. Ioanni Chrysostomo in Synodo ad Quercum, quâ & depositus est, hoc fuisse, (ut scribit Photius [s]) quòd quemdam Antonium, qui convictus esset violator sepulchrorum, Episcopum ordinâsset.

[o] 1. Dialog. 4. ad fi.

[p] Miscel. lib. 17. Niceph. lib. 18. cap. 18.

[q] Ap. Baron. tom. X. an. 878.

[r] Ep. ad Letoi Mityl. & abs Balsam.

[s] In Biblioth.

II. IMPRECA-

Ac denique consuevisse etiam Christianos imprecationes sepulchris suis inscribere, ut violatores absterre-

rent, multis inscriptionibus constat. Putà cum Theodinus [t] Subdiaconus sic apposuit: *Si quis præsumpserit hunc tumulum violare, erit anathematis vinculis innodatus.* Anastasius [u] verò Lector sic: *Si quis hinc abstulerit sepulchrum, sit excommunicatus, & damnatus in infernum, & habeat partem cum Cain & Iudâ proditore.* Alius in Cœmeterio S. Nicomedis viâ Numentanâ: *Malè pereat, insepultus iaceat, non resurgat, cum Iudâ partem habeat, si quis sepulchrum hunc* (ita enim omninò legitur) *violaverit.* Aliúsque alibi [y]: *Si quis præsumpserit hunc tumulum meum violare, habeat inde inquisitionem ante tribunal Domini nostri.* Et alia eiusmodi. Habentúrque pariter apud Gregorium [y] Turonensem, aliósque antiquos, exempla plurima de curâ, quam ipsimet sancti habuerunt, ne sua ipsorum sepulchra ullo pacto læderentur, vel ut sarta & tecta haberentur: déque aliis [z] divinitùs custoditis illæsis: à quibus temperamus, ne singularum rerum singula testimonia enumerare velle videamur; qui in omnibus non nisi exempli causâ proferimus, quæ ubique latissimè patent.

TIONES CONTRA VIOLATORES, SEPULCHRIS APPOSITÆ.

[t] *Ap. Baron. tom. XI. an. 1097.*
[u] *Ibid.*
[x] *Ap. Gruter. 1062. 1.*
[y] *Cap. 18. 21. 31. 36. 92. 105.*
[z] *Gregorij Thaumat. ap. Theod. Lect. Collect. lib. 1. Cerbonij. ap. Greg. PP. III. Dial. 11. Servatij, ap. Greg. Turon. de glor. Confess. cap. 71. &c.*

III.

Sed qui hâc disputatione tacebimus memorandissimam Rotharis Regis Longobardorum historiam [a]? qui cùm iuxta quamdam basilicam S. Ioannis Baptistæ fuisset humatus, ac pòst aliquod tempus quidam iniquâ cupiditate succensus, eius sepulchrum noctu aperuisset, atque ornamenta corporis abstulisset: huic S. Ioannes per visionem apparens, graviter illum increpavit, quòd ausus esset corpus Rotharis contingere, qui licèt fuisset hæreticus Arrianus, tamen se ipsi Ioanni commendaverat: ac propterea numquam ipsum in prædictam Ecclesiam ingressum habiturum prædixit. Quod & adeò impletum est, ut quotiescumque violator ille eam Ecclesiam ingredi vellet, subitò velut à validissimo pugili repulsus retrò ruere cogeretur. Si enim hæc in pœnam contigerunt violati sepulchri Regis hæretici, quòd se Sancti precibus commendâsset; (neque enim semper impiorum preces despiciunt Sancti, vel irremuneratas relinquunt præmiis saltem aliquibus temporalibus: siquidem & creator omnium Deus solem [b] suum oriri facit super bo-

[a] *Ap. Paul. Diac. 4. de Gest. Longob. 48.*

S. IO. BAPT. ULCISCITUR VIOLATOREM SEPULCHRI.

[b] *Matth. 5.*

[e] Aimoin. 4. Hist. Franc. 41. cum Append. cap. 44. Baron. tom. 8. ann. 660.

nos & malos:) quis adeò mirabitur, si scripserint aliqui [e], ex eo quòd Iunior Clodoveus Francorum Rex argentum, quo pater eius Dagobertus apsidem sepulchri S. Dionysij ac sociorum Martyrum, præcipuorum Regni Francorum Patronorum operuerat, auferri, vigente licèt gravissimâ fame, & egenis distribui, propria auctoritate sacra attingens mandavit: collabi cœpisse regnum familiæ Merovingorum? Quis & miretur, si capta per Gallos Gerundâ Hispaniæ civitate, ex sepulchro S. Narcissi [d] antiquissimi martyris, atque eius urbis præcipuâ religionis opinione tutelaris, à militibus disturbato, muscarum examen egressum, in exercitum infesto agmine irruens, ingentem cladem intulisse dicatur?

[d] Ap. Baron. in Not. ad Martyrol. 18. Mart. ex hist. Hisp.

IV. POENÆ CÆLESTES IN GENTILES, PRIVANTES SEPULTURA CHRISTIANOS.

At manum abstineo à patriis calamitatibus; nec in alienas ulteriùs iniicio. Sicut nec immorari cupiens recensendis suppliciis cælitùs in eos immissis qui corpora Christianorum privârunt sepulturâ, quòd istud longioris sermonis foret: unicum tantùm antiquius ex Africâ, & alterum recentius ex Boëmicæ gentis historiâ, plurimorum omnis sæculi & gentis instar, in medium ponam. Illud quidem, quo Tertullianus [e] Scapulam monens Africæ Præsidem in Christianos grassantem, ut exemplis præteritarum divinitùs immissarum in persecutores vindictarum, sævitiam deponeret, inter alia hæc habet de re sepulchrali: *Sub Hilariano Præside, cùm de areis sepulturarum nostrarum acclamâssent, Areæ non sint; areæ ipsorum non fuerunt: messes enim suas non egerunt.* Intelligens priore loco *Areas*, Cœmeteria Christianorum; sicuti & vocat Pontius ad finem vitæ Sancti Cypriani: posteriori, loca serendis, terendisque, & arescendis granis: utrumque à loci naturâ [f], puri & vacui ædificiis. Unde videas, quàm iustè egerit Deus cum terrâ Africanâ, ut ei inferret sterilitatem, quæ suis negaret sepulturam. Aliud autem de Drahomirâ [g] Boëmiæ Ducissâ Ethnicâ; quæ cùm post extinctum S. VVenceslaum Regem, diram cum Boleslao filio suo in novellos eius provinciæ Christianos persecutionem exerceret; atque inter alia, qui fidei causâ necabantur, eos terræ mandari prohiberet: quâdam die,

[e] Cap. 3.

[f] Var. de l. L. l. 4. Fest. verb. Area: l. fundi. 211. D. de verb. sig.

[g] Dubrav. hist. Boem. lib. 5.

quò

quò manifestior graviórque pœna appareret, quæ meritò de crudelissimâ atque impiissimâ muliere exigenda fuerat; eo loci quo adhuc insepulta iacebant occisorum Sacerdotum ossa, terra suâ sponte dehiscens vivam Drahomiram, unà cum curru, & qui simul vehebantur, absorbuit, terrâ confestim in statum pristinum cohærente: solo aurigâ Christiano incolumi, qui ad aram iuxtà sitam equo desiliens accurrerat, cùm fortè tintinnabulum tinnire audîsset, ut corpus Domini adoraret.

CAPUT IX.

Cura rei Sepulchralis CLERICIS *tributa: gratisque exercenda.*

SED ut diligentiùs religionem, ac sanctitatem Sepulturæ tractemus; à ministris ordientes, *Clericorum* (quibus res sacræ committebantur) fuisse olim munus, ut Christianorum corpora curarent, ac terræ mandarent; apertè significat Hieronymus [a] in Epistolâ de muliere septies ictâ. In Actibus [b] verò Apostolorum fit mentio *Iuvenum*, qui Ananiam & Sapphiram ad increpationem S. Petri extinctos, efferentes sepelierunt: qui fortè iam tunc ab Apostolis ad hunc usum instituti. Sanè enim Ignatius [c], qui cum Apostolis vixit, inter ministros Ecclesiæ Κοπιῶντας recenset, hoc est *Laborantes:* quos Epiphanius [d] Κοπιατὰς eâdem significatione appellat; nempè, ut ait, qui corpora eorum qui obdormierant obvolverent, ac terrâ cooperirent. Meminítque eorumdem Iustinianus in suis Novellis [e] de Exequiis Defunctorum, ubi etiam vocantur *Decani & Lecticarij*. Auctor autem Epistolæ ad Rusticum Narbonensem de Ordinibus Ecclesiæ apud Hieronymum [f], *Fossarios* appellat; ac Clericis adnumerans, (non quidem ut fuerit eorum officium ex Ordinibus quibus Clerici initiantur; sed quòd eius exercitium competeret Clericis) tales illos esse debere monet, qualis Tobias fuit; *eiusdem fidei, eiusdem sanctitatis,*

Margin: I. — VARIÆ NUNCUPATIONES MINISTRORUM FUNERUM. — QUALES ESSE DEBEANT.

[a] Ep. 49. ad Innoc.
[b] Act. 5.
[c] Ep. ad Antioch.
[d] In Comp. doctr. sive in expos. fid.
[e] Novel. 43. & 59.
[f] Tom. 9.

eiusdem scientiæ, atque virtutis: ut, sicut ille, *exhibentes visibilium rerum curam, ad invisibilium festinent; & resurrectionem carnis credentes in Domino, totum quod faciunt, Deo se præstare, non mortuis cognoscant.*

II. Constantinus Magnus, qui primus Romanorum Principum repudiatis profanarum religionum erroribus, verum Dei cultum apertè professus, CHRISTI nomine Imperij coronam splendidiorem & augustiorem reddidit, ac trepidam Ecclesiam debitæ libertati restituens in excelso throno maiestatis suæ collocavit; ex ipsâ ratione, & naturali indole, animis ac visceribus omnium hominum impressâ, probè gnarus pretij & existimationis Sepulturæ; cùm reperisset eamdem eò magis Christianis commendari, quò quæ homines naturâ duce sequuntur, hæc Christi disciplina perfectiùs consummare consuevit: ut & ipse suum pietatis & misericordiæ conferret symbolum, auctor [g] fuit, ut ad corpora defunctorum curanda, efferenda, atque humanda, Constantinopoli à se conditæ, nongentæ ac quinquaginta essent diversorum collegiorum & artium officinæ, ab omnibus publicis muneribus & vectigalibus immunes, quæ lecticarios & copiatas ad hoc suppeditarent. Idque ipsum Honorius & Theodosius Iunior religiosissimi Augusti suâ constitutione [h] ratum habuerunt. Anastasius verò, cetera ferè omnia impius, in hâc re pius æquè ac prudens, quò populi Constantinopolitani, adversus eum ob hæresim Eutychianam & Acephalorum quam sectabatur commoti, gratiam sibi conciliaret; hoc maximè placituro usus est remedio, ut præter augmentum [i] prædictarum officinarum usque ad centum supra mille, etiam reditum constituerit septuaginta librarum auri, eam ob causam ut exequiæ sine sumptu eorum quorum funera curarentur, & gratis fierent. Eáque omnia denuò confirmans Iustinianus [k], voluit, ut illarum officinarum aliæ decanos, seu lecticarios, & laboratores funeribus curandis præstarent, qui subiecti essent Ecclesiæ; aliæ pecunias: ita ut omninò funerum elationes sumptibus Ecclesiæ, ex designatis huiusmodi reditibus, absq; ullâ defunctorum

[g] *Vid. Novel. Iustin. 43. & 59. Leo. Novel. 12.*

INGENS NUMERUS OFFICINARUM SEPULCHRALIUM CONSTANTINOPOLI.

[h] *L. non plures. C. de sacros. Eccl.*

[i] *d. Novel. 43. & 59. l. magna. C. de sacros. Eccl.*

[k] *d. Novel. 43. & 59.*

expensâ fierent. Ac demùm Leo cognomento Philosophus hoc omne ratum [l] habuit, & omninò observari voluit, veluti *ministerium* (ut ait:) *ad Numinis cultum pertinens*.

[l] *Novel.* 12.

III.

Cuiusmodi pium ac religiosum opus, successu temporis abolitum & antiquatum, superiori sæculo Romæ [m] sanctioribus institutis ac legibus instauratum est, & in diversas Orbis Ecclesias feliciter propagatum, sub nuncupatione *Confraternitatis mortis*, Christianæ pietatis dignum exemplar. Cui similis, si non & maioris charitatis, alia itidem Romæ instituta *Sodalitas Misericordiæ*; quæ curam habet cadaverum eorum quibus crimina mortis causa fuêre: eáque sive suspensa sint, sive iaceant, suscipit, & feretris imposita ad sacrum locum processionaliter devehit, ac sacrificiis & orationibus honestè sepelit. Quæ verò *Mortis* dicitur, multis Galliarum locis aptiori (ut videtur) nomine *Confraternitatis*, sive *Sodalitatis Charitatis* frequentatur: suasore, ut perhibent [n], per visionem Sancto Eligio olim Noviomensi Episcopo & Flandrorum Apostolo: quam Græcè non ineptè νεκροφορεῖαν ab exportandis cadaveribus, sive funeribus efferendis, nuncupare possis: quâ fit, ut nemo cuicuimodi sit cōditionis, vel quocumque morbi genere, etiam pestilenti, (modò in Sodalitatem nomen dederit) sublatus, supremo funeris & sepulchri honore careat. Et annis iam ampliùs quadringentis quotidiano usu, & longinqui temporis periclitatione, compertum est, nihil umquam contagionis ex adfectis corporibus contraxisse eos, qui tam pium Christianæ Charitatis munus exercuerint. Quorum sanè institutum haud multùm est absimile ab antiquis *Parabolanis* [o] Ecclesiæ Alexandrinæ, quos Iunior Theodosius Imp. ad sexcentorum numerum auxit, ad curanda omnis generis ægrotantium, pestis quoque tempore, corpora: sic dictis à voce παράβολος, quâ significatur homo ad subeunda pericula præceps: erántque ex minoris ordinis clericis, per omnia subiecti Patriarchæ. Et quod expresè defunctos eiusdem urbis Alexandrinæ respicit, narrat Epiphanius [p] de perfidissimo illo Sedis

CONFRATERNITATES MORTIS, MISERICORDIÆ, ET CHARITATIS.

PARABOLANI QUI.

[m] *Baron. Annal. tom. 3. an. 366. in fi.*

[n] *Aub. Mire. in Not. ad Auctar. Aquicinct. Chron. Gemblac. Ubi ipse agit tantùm de huiusmodi Sodalitate oppidi Bethunia in Artesiâ. Verùm illa & aliis etiam locis exercetur, atque imprimis summâ fide & diligentiâ in Normanniâ Gallicâ.*

[o] *L. 42. & 43. C. Th. de Epis. & cler. Baron. tom. 4. an. 416. in fi.*

[p] *Har. ... in pr.*

Magni Athanasij occupatore, Georgio Ariano; fuisse illum adeò sordidè avarum, ut certum lecticarum numerum introduxerit, sine quibus absque periculo non liceret mortuorum corpora, maximè peregrinorum, efferre; non propter hospitalitatem, sed quæstûs gratiâ, quòd à singulis qui efferebantur lucri aliquid acciperet. Quod & in memoriam reducit aliam etiam longè immaniorem consuetudinem; quam non solùm apud quosdam Gentiles (ut vidimus) sed etiam aliquando inter Christianos obtinuisse memorat, ac festivâ elegantiâ detestatur S. Ambrosius [q]: nimirùm ut à fœneratoribus tenerentur defunctorum corpora pro pignore summæ creditæ, & negaretur tumulus dum fœnus exposceretur: atque ita, ut ait, *nihil interesset inter funus & fœnus, nihil inter mortem distaret & sortem.* Meminerúntque [r] Iustinus senior, atque eius nepos Iustinianus Aug. eiusmodi improbitatis suis temporibus Constantinopoli committi solitæ: cui & remedium adhibere, & tam securitati sepulturæ, quàm exequiarum honestati ac pompæ, ac denique libertati funera curantium aut ducentium, omninò providere voluerunt, variis ac severis iis de rebus editis sanctionibus, quarum aliàs mentionem fecimus, cùm egimus de antiquis Romanis legibus ad hæc pertinentibus. *Qui enim* (inquit Iustinianus, post pœnas pecuniarias & infamiæ huic sceleri statutas) *hominis naturam non erubuit, dignus est & pecuniis & gloriâ, & omnibus aliis condemnari.* Debuisset addere absolutam pœnam talionis; ut qui sepulturam alicuius impedisset, ipse omni sepulturâ careret: quemadmodùm leges [s] Ecclesiasticæ providè statuerunt, ut fœneratores & usurarij, de quibus modò agebamus, Christianâ careant sepulturâ, nisi pœnitentiam egerint, & accepta restituerint.

[q] *Lib. de Tob. cap. 10.*

A FOENERATORIBUS DETINERI CORPORA PROHIBITUM.

[r] *L. ult. C. de sep. viol. Noval. 60.*

[s] *Cap quia ex. de usur. cap. quamquam. in 6. eod.*

IV.

NIHIL EXIGENDUM PRO EXHIBITIONE SEPULTURÆ.

Ceterùm pro sepulchro & sepulturâ corporis humani aliquid accipere, nefas esse decernens Gregorius Magnus Pontifex Romanus, pravam eiusmodi ex clericorum avaritiâ ortam consuetudinem à suâ Ecclesiâ omninò eliminavit; & ab aliis usurpari prohibuit, scribens [t] ad Bonum Episcopum Messanensem, & Ianuarium Caralita-

[t] *... et. 4 Ind. 1. & 6. Ind. 2.*

num. *Nam si Gentiles*, inquit, *Abraha pro Sarâ mortuâ, atque in loco proprio humandâ sepulturam gratis obtulerunt, & vix magnâ eius importunitate coacti sunt, ut pretium de loco sepulturæ perciperent; nos qui Episcopi dicimur, de humandis fidelium corporibus quid facere debemus?* Sanè & longè anteà Hieronymus [u] de hoc facto Abrahæ & Ephronis, qui pretium sepulchri invitus accepit, agens; *Sciant igitur,* (inquit) *qui sepulchra venditant, nec coguntur ut accipiant pretium, sed à nolentibus quoque extorquent, perire quid de merito eorum; cùm etiam ille reprehendatur occultè, qui invitus acceperit.* At quid de hoc peculiari facto sentiendum, iam dictum superiùs in Lege Naturæ. De prohibitione venditionis sepulturæ graviter Patres Concilij [x] Triburiensis: *Abhorrendus, & Christianis omnibus devitandus mos antiquus subrepsit, sepulturam mortuis debitam sub pretio vendere, & gratiam Dei venalem facere: cùm hoc nusquam sub Evangelicâ gratiâ meminimus nos invenisse, vel legisse,* &c. *Quid terra terram vendis?* &c. *Recordare quoniam non hominis est terra, sed Domini. Si terram vendis, invasione alienæ rei reus teneberis. Gratis accepisti à Deo, gratis da pro eo. Quare interdictum sit omnibus omninò Christianis terram mortuis vendere, & debitam sepulturam denegare.* Fuitque id ipsum aliis sæpè Ecclesiasticis [y] sanctionibus ubique renovandum, cùm auri sacra fames mortalia sacerdotum pectora cogeret fas omne abrumpere, & ex alieno luctu occasionem lætitiæ aucupari.

[u] *De quæst. Hebr. in Gen.* 3.

[x] *Cap.* 16.

[y] *Concil. Nannet. c.* 6. *Concil. Later. sub Innoc. III. c.* 66. *&c.*

V.

Sicut autem prohibuerunt canones aliquid petere, aut exigere sepulturæ causâ; ita siquid parentes, aut proximi, vel heredes defunctorum spontè offerre voluerint, accipere permiserunt [z]: nec abrogatas decernunt laudabiles consuetudines, quibus pro tuendis sartis tectis sepulchrorum, ac cœmeteriorum, aut Ecclesiarum, ad quas defuncti inhumandi deferuntur; vel pro stipendio ministrorum Ecclesiæ, more, modo, & ratione, aliquid exigitur: ac præsertim quando quis propriam sepulturam pro se suisque, vel extra locum consuetum petit, aut magnificentioribus exequiis, & extraordinario clericorum labore efferri cupit. Pro ipsâ ve-

[z] *Greg. d. ep.* 58. *Conc. Tribur. c.* 16. *Nannet. c.* 6. *&c.*

QUANDO COMMITTATUR SIMONIA IN SEPULTURIS.

rò terrâ benedictâ, sacrísque ceremoniis fidelium sepulturæ communiter destinatis, & pro ipso officio Ecclesiastico, iísque omnibus quæ fieri solent per modum suffragij & spiritualis auxilij, pretium exigere; simoniacum censendum esse, Canones[a] Ecclesiastici decernunt: non autem (ut diximus) pro possessione alicuius certi loci, ubi alius non possit sepeliri; quia hoc onerosum est, nec ad simplicem sepulturam pertinet: nec item pro laboribus extrinsecùs sacro funeri adiunctis, quia illi sunt quid temporale per se pretio æstimabile. Sicut nec simoniam committere dicetur, qui sepulchrum suis sumptibus ædificatum pro se vel suis, vendiderit quoad proprietatem, iuxta valorem fundi, & respectu dumtaxat habito ad expensas pro eodem ædificando factas: quamvis talis venditio, nisi ob gravem causam, vix careat crimine avaritiæ ac turpis lucri: cùm & ipsas marmoreas arcas recondendis cadaveribus excavatas, unde crescebat mercantibus de humanâ morte compendium, providerit Cassiodorus[b] auctoritate Theoderici Regis, si non nullo, saltem levi pretio distrahi; *ne*, ut ait, *cogerentur miseri, inter acerba luctuum, gravia plorare dispendia facultatum; & nefandâ devotione constricti, aut urgerentur patrimonia pro mortuis prodere, aut dilecta corpora vilissimis foveis potiùs dolentes abiicere.* Sed ut hæc diffusiùs tractanda Theologis relinquamus, quæ vel obiter series propositi attingere fecit: sanè Ambrosius[c], non minùs *ad laxanda spatia humandis fidelium reliquiis*, (quia, ut ait, *in sepulchris Christianorum requies defunctorum est*) quàm ad templum Dei ædificandum, & ad pauperes alendos, ac captivos redimendos, *vasa Ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licere*, disertim scripsit. Quod tamen accipiendum, dummodò ratione benedictionis, aut consecrationis, maiori pretio non distrahantur, quàm sine eâ distraherentur: nec ad profanos usus vendantur; nisi priùs confringantur, ita ut amittatur forma, seu artificialis figura, quam benedictio seu consecratio in subiecto cui accidit, requirit tamquam necessariam dispositionem.

[a] Cap. abolenda. ex. de sepult. cap. non satis, cap. cùm in Eccles. cap. suam. ex. de Simon. &c.

[b] 3. Var. 19.

[c] 2. Offic. 28.



LIBRI I. PARS III.

DE RITIBUS ANTIQUIS SEPULTURÆ, ET FUNERUM CHRISTIANORUM.

CAPVT I.

Ex Ceremoniis Funerum, palàm colligi eorum sanctitatem: quas omnes antiquissimas esse, probare decernimus contra Hæreticos.

SED næ ego abundo otio, & Lectorum abutor patientiâ, qui variis hinc inde, nec sine labore, conquisitis rationibus & argumentis, probare contendam religionem ac sanctitatem sepulturæ Christianorum; quæ oculis omnium quotidie & ubique etiam nolentibus sese offert? Quis enim receptos eorum ritus in curatione corporum, & sacrâ pompâ Funerum; quis venerabilem Cleri & populi, salutifero Crucis signo prævio, processionem & comitatum; quis Psalmorum & hymnorum cantum, Cereorum ac luminarium delationem, Preces ac sacrificia Eucharistica, Eleemosynarum largitatem, & Agaparum celebritatem; quis Cœmeteriorum ad Ecclesias collocationem, eorumdémque benedictionem & consecrationem, ac corporum in iis, sive etiam intra Ecclesias ipsas depositionem, Crucium ad corporum loca designanda appositionem, luminúmque ad sepulchra accensionem; & alia eiusmodi funerum solemnia, & sepulturæ celebritates inspexerit, atque attentè consideraverit; & non protinùs hoc ex præcipuis Religionis mysteriis, opus I.

sacrosanctum, Angelis hominibúsque venerandum esse adnuerit? Adnuerit sanè omnis Christianus, cui sensus fuerit in capite. Sed quid agas cum istis vesanis, qui imagine reformationis omnia turbantes, & specie Christianæ antiquitatis nihil non novantes, etiam funebres huiusmodi ceremonias, ut impias damnare, ac penitùs abolere conati sunt? Anne aliquâ magis re perspicuũ universo Christianismo facere potuerunt, quàm sint alieni à spe resurrectionis, quæ illis ceremoniis designatur; quámque pro nihilo ducant æternam beatitudinem, ad quam consequendam eædem diriguntur? Quos sanè prævidisse Dionysium Areopagitam virum Apostolicum dixeris, cùm eadem ipsa mysteria describens [a], quæ iam tum fieri consueverant in funeribus Christianorum; *Hæc quidem*, inquit, *si aspexerint, aut auditione acceperint à sacris nostris abhorrentes homines, à nobis perfici, magno risu, ut opinor, ea excipient, eósque erroris nostri miserebit. Sed hoc nobis mirum videri non debet. Si enim non crediderint, ut scripta divina loquuntur, non intelligent.* Immò verò eo solo quòd isti ea reiiciant, gravissimo & firmissimo argumento concludi possit, ea sancta esse, & verè Christiana: cùm nihil non egerint, quo omnem sanctitudinem & Christianitatem funditùs everterent.

[a] De Ecclesi. hier. cap. 7.

II. AGENDUM CONTRA HÆRETICOS EAS REIICIENTES.

Sed ne sinamus ceteros quoque ita desipere, eia sanè, quando ita volunt, priora illa sæcula percurrentes, quæ fuerit in illis harum rerum praxis inquiramus; quò iidem Novatores, dum canescentem iam Ecclesiam ad incunabula sua retrahendam clamitant, vel instruantur, qui imprudenter aut inscienter falluntur; vel confundantur, qui malitiosè atque consultò fallere contendunt. Erit enim simul, ut & illi Catholici, quibus antiquæ consuetudines minùs sunt notæ, quandocumque harum usus venerit, colligendi laborem sibi ademptum gaudeant; & cum voluptate videant, eadem illa quæ hodie vulgò fieri cernunt, fuisse in usu iis ipsis temporibus, quibus adversarij puritatem doctrinæ, & morum sanctitatem viguisse, ore & calamo fateri, & ad eorum nos imitationem & observationem revocare consueverunt. Quæ res cùm infi-

niti

niti sit propemodùm operis, & immensi, ut siquis hoc dilatare atque exequi plenissimè velit, tanta illi rerum copia exuberet, ut nec libri modum, nec finem reperiat oratio: Nos ad vitandum ex unâ parte Lectorum tædium, & ad explendum ex alterâ eorum desiderium, sic rem temperabimus, ut pauca testimonia de singulis quibusque rebus delibaturi, paucitatem gravitate compensemus. Idque adeò religiosè, ut nullum prolaturi simus auctorem recentiorem Gregorio Magno, quem ante ipsos mille & triginta annos vivere desiisse compertum est: quémque & Novatorum coryphæus Calvinus [b] *ultimum* vocat *Romanum Episcopum hoc nomine dignum*: ac versatilis Melancthon [c] *pereuntis Theologiæ præsultorem, qui infelicissimi sæculi casum, quoad potuit, scribendo docendóque sustinuit.* Cùm alioqui & idem Calvinus [d] ingenuè agnoscat, tempore *Sancti Augustini*, qui quinto post Christum sæculo vixit, *nihil à principio usque ad illam ætatem mutatum fuisse in doctrinâ*: & scribens ad Cardinalem Sadoletum, *veterem illam Ecclesiæ faciem, qualem Hilarij, Ambrosij, Chrysostomi, Basilij, Augustini, Cyrilli monimenta exprimunt*, comparat *Ecclesiæ quæ sub Davide floruit.* Ita impudentissimi nebulones præscribunt pro imperio, in controversiis de religione tractandis, seu ad praxim illæ, seu ad doctrinam spectent, non nisi ex primis quingentis aut sexcentis post Christum annis petenda testimonia, depromenda exempla, adhibenda causæ patrocinia. Quorum insaniæ confutatio cùm non sit huius loci; immò cùm nullâ confutatione digna sit tanta vesania, quam manifestum est directò Christum ipsum impetere, qui promisit Ecclesiæ in personâ Apostolorum, (qui sanè non hic futuri erant usque ad consummationem sæculi) *se* [e] *futurum cum eis omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*: & *mansurum* [f] *cum eis Spiritum veritatis in æternum*: & *portas* [g] *inferi non prævalituras adversùs Ecclesiam*: hoc unum modò in eos conclamabo, quod olim Augustinus [h] (quem ipsi totum suum esse, tam falsò quàm iniuriosè concrepare solent) in Donatistas, qui æquè Ecclesiam per doctrinæ perversionem periisse nugabantur: *Ecclesia, quæ fuit om-*

PROBATIONIBUS MILLE ANNIS ANTIQUIORIBUS.

[b] 4. *Inst.* 17. §. 43.

[c] *Orat. de corrig. stud.*

[d] *lib.* 4. *cap.* 2. §. 3.

PROTERVIA HÆRETICORUM CONTRA DOMINUM ET ECCLESIAM.

[e] *Matth.* 28. *Aug. enar. in Psal.* 47.

[f] *Ioan.* 14.

[g] *Matth.* 16.

[h] *Conc.* 2. *in Psalm.* 101.

Ec

niti ſit propemodùm operis, & immenſi, ut ſiquis hæc dilatare atque exequi pleniſſimè velit, tanta illi rerum copia exuberet, ut nec libri modum, nec finem reperiat oratio: Nos ad vitandum ex unâ parte Lectorum tædium, & ad explendum ex alterâ eorum deſiderium, ſic rem temperabimus, ut pauca teſtimonia de ſingulis quibuſque rebus delibaturi, paucitatem gravitate compenſemus. Idque adeò religioſè, ut nullum prolaturi ſimus auctorem recentiorem Gregorio Magno, quem ante ipſos mille & triginta annos vivere deſiiſſe compertum eſt: quémque & Novatorum coryphæus Calvinus [b] *ultimum* vocat *Romanum Epiſcopum hoc nomine dignum*: ac verſatilis Melancthon [c] *pereuntis Theologiæ præſultorem, qui infeliciſſimi ſæculi caſum, quoad potuit, ſcribendo docendóque ſuſtinuit.* Cùm alioqui & idem Calvinus [d] ingenuè agnoſcat, tempore *Sancti Auguſtini*, qui quinto poſt Chriſtum ſæculo vixit, *nihil à principio uſque ad illam ætatem mutatum fuiſſe in doctrinâ*: & ſcribens ad Cardinalem Sadoletum, *veterem illam Eccleſiæ faciem, qualem Hilarij, Ambroſij, Chryſoſtomi, Baſilij, Auguſtini, Cyrilli monimenta exprimunt*, comparat *Eccleſiæ quæ ſub Davide floruit.* Ita impudentiſſimi nebulones præſcribunt pro imperio, in controverſiis de religione tractandis, ſeu ad praxim illæ, ſeu ad doctrinam ſpectent, non niſi ex primis quingentis aut ſexcentis poſt Chriſtum annis petenda teſtimonia, depromenda exempla, adhibenda cauſæ patrocinia. Quorum inſaniæ confutatio cùm non ſit huius loci; immo cùm nullâ confutatione digna ſit tanta veſania, quam manifeſtum eſt directò Chriſtum ipſum impetere, qui promiſit Eccleſiæ in perſonâ Apoſtolorum, (qui ſanè non hic futuri erant uſque ad conſummationem ſæculi) *ſe* [e] *futurum cum eis omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*: & *manſurum* [f] *cum eis Spiritum veritatis in æternum*: & *portas* [g] *inferi non prævalituras adversùs Eccleſiam*: hoc unum modò in eos conclamabo, quod olim Auguſtinus [h] (quem ipſi totum ſuum eſſe, tam falsò quàm iniurioſè concrepare ſolent) in Donatiſtas, qui æquè Eccleſiam per doctrinæ perverſionem periiſſe nugabantur: *Eccleſia, quæ fuit om-*

PROBATIONIBUS MILLE ANNIS ANTIQUIORIBUS.

[b] 4. *Inſt.* 17. §. 45.

[c] *Orat. de corrig. ſtud.*

[d] *lib.* 4. *cap.* 2. §. 3.

PROTERVIA HÆRETICORUM CONTRA DOMINUM ET ECCLESIAM.

[e] *Matth.* 28. *Aug. enar. in Pſal.* 47.

[f] *Ioan.* 14.

[g] *Matth.* 16.

[h] *Conc.* 2. *in Pſalm.* 101.

nium gentium, iam non est, periit. Hoc dicunt qui in illâ non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es? Vide ne tu ideò non sis: nam illa erit, etsi tu non sis. Hanc vocem abominabilem & detestabilem, præsumptionis & falsitatis plenam, nullâ veritate suffultam, nullâ sapientiâ illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, perniciosam, prævidit Spiritus Dei, & tamquam contra illos, cùm annunciaret unitatem: In conveniendo populos in unum, & regna ut serviant Domino, &c. Audite, quia dicat Ecclesia. Quæ Ecclesia? quæ congregavit popolos in unum. Quæ Ecclesia? quæ congregavit Regna ut serviant Domino. Mota vocibus vestris, & falsis opinionibus vestris, quærit à Deo, ut exiguitatem dierum suorum annunciet sibi: & invenit Dominum dixisse, Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Quæ equidem proferimus, non quòd nos recusemus Patrum priorum sæculorum insistere vestigiis, (quinimmò id adeò confidenter faciunt, & fecerunt semper Catholici Scriptores, ut econtrà consueverint omnes ad eorumdem sæculorum doctrinam, & formam Ecclesiæ Novatores revocare:) sed ut demonstremus quàm sit iniusta huiusmodi præscriptio; etiamsi illi acquiescamus ad omnem tollendam Novatoribus cavillandi speciem.

III. QUÒ QUID UNIVERSALIUS, EÒ ACCEPTIUS.

Quòd autem, & quæ nos de re sepulchrali, tam sacræ Scripturæ auctoritate, quàm prædictorum Patrum testimoniis probanda suscepimus, ad cultum Religionis omninò pertinere, negare nemo possit; ne subinde ogganniat iidem Novatores, fuisse eadem Ethnicis quoque & Iudæis in usu, nec proinde à Christianis suscipienda: occludam hic semel linguam eis, asserendo eò plus suscipienda ea fuisse, quò & Ethnicis & Iudæis fuerunt communia: quippe quòd nullo magis argumento probari possit naturalis sanctitas alicuius rei, quàm cùm omnibus usquequaque Religionibus æquè accepta, & sanctè culta ostenditur: ut non ab errore, sed à naturâ; non à superstitione, sed à ratione; non à corruptione humanâ, sed à divino semine; non denique ab hominum electione, sed à Deo ipso id provenire censeri possit, qui hanc vim & na-

turalem cognitionem pectoribus omnium infuderit. Quare non hæc ideò Christiana religio observat, & sancta prædicat, quod ea Gentilibus atq; Iudæis observatu sancta essent, sed quod sint naturaliter sancta. Aut si quædam ex Iudæorum usu ad illam derivârunt, contigit illud absque ullo erroris scrupulo; cùm ex eorum gente ac religione acceperint Christiani suum Dominum ac Legislatorem, suósque directores & fundatores, qui optimè noverunt discernere, quæ retinenda, quæve reiicienda essent. *Apostolica* enim *institutio* (inquit S. Leo [i]) *quæ Dominum Iesum Christum ad hoc venisse in hunc mundum noverat, ut legem non solveret, sed impleret; ita veteris Testamenti decreta distinxit, ut quædam ex eis, sicut erant condita, Evangelicæ eruditioni profutura decerperet; & quæ dudum fuerant consuetudinis Iudaicæ, fierent observantiæ Christianæ. Quamvis enim varietates hostiarum, differentiæ baptismatum, & otia sabbathorum, cum ipsâ carnis circumcisione cessaverint: manent tamen ex ipsis voluminibus etiam apud nos plurima præcepta moralia.* Sicuti & de Festivitatum ac Ieiuniorum observatione præclarè distinguunt Hieronymus [k], & Augustinus [l]. Quippe ex Iudæorum ceremoniis illæ dumtaxat per adventum Christi abolitæ fuerunt, quæ vel à Mose sunt institutæ, ut servarentur quamdiù duraret status Religionis quam ipse ordinavit, vel Christum venturum significabant: non autem quæ ad cultum Dei ordinata erant, fundantúrque in ratione naturali, omnique hominum generi, & omni Religioni communes extiterunt; ut sunt flectere genua ad orandum, cælum aspicere, tundere pectus, & similes: quas etsi Iudæi adhibuerunt, non fuerunt tamen eorum propriæ. Porrò sepulturæ sanctitas, ac sepulchrorum religio, funerúmque ceremoniæ, non cœperunt à Mose, sed longè ante ipsum fuerunt in Statu Naturæ à Patriarchis, atque etiam à Gentilibus observatæ; neque ad Christi adventum significandum institutæ sunt: & rationes earum institutionis adeò sunt naturæ consentaneæ, quinimmò & supernaturalem ho-

MULTA A IUDÆIS IN CHRISTIANOS RITE DERIVATA.

[i] *Serm. 7. de Ieiun. sept. mens.*

[k] *In Gal. 4.*

[l] *Cont. Adim. cap. 16.*

minum statum respiciunt; ut non solùm non aliunde profluxisse, nec ad aliud introductæ dici valeant; sed nec proinde ullo umquam tempore abrogari imposterum possint: quas post Christi adventum, póstque abrogatas sacrificiorum leges, sanctissimi atque doctissimi viri laudârunt & observârunt; quorum testimonia in præcedentibus protulimus, & in subsequentibus proferemus.

IV.
GENTILES MULTA A FIDELIBUS HAUSERUNT.

Quibus etiam satisfactum erit obiectioni de Gentilium observatione: quam ipsi à naturâ, & à veritate acceperunt; quamquam, ut aliàs diximus, tam ista, quàm cetera quæ ad verum Dei cultum pertinent, miserè perturbârint atque corruperint. Siquidem (ut scribit Tertullianus [m]) *omnia adversùs veritatem de ipsâ veritate constructa sunt; operantibus æmulationem istam spiritibus erroris. Ab iis adulteria huiusmodi salutaris disciplinæ subornata; ab his quædam etiam fabulæ immissæ, quæ de similitudine fidem infirmarent veritatis, vel etiam si possent evincerent, ut quis ideo non putet Christianis credendum, quia nec poëtis, & philosophis.* Adeò ut & dicat Scriptura [n], *Gentes de libris Legis scrutatas fuisse similitudines simulacrorum suorum*: hæreticorum videlicèt more, qui è divinis libris quælibet impia sua dogmata fulcire nituntur. Estque insuper tam eiusdem Tertulliani [o], quàm aliorum Patrum frequens de his querela: nempè multa quæ sunt Lege divinâ statuta, à diabolo in superstitionis cultum esse transfusa: quæ cùm dæmoniis exhibentur, noxiæ sunt superstitiones; cùm Deo, salutaris religio.

[m] *Apol. c. 47.*
[n] *1. Machab. 3.*
[o] *Ibid. & de præscr. cap. 40. & lib. 1. ad uxor. Iustin. mart. apol. 1. Hier. cont. Virgil. & lib. 1. cont. Iovin. Aug. ep. 49. & 10. de civit. 19. & 20. cont Faust. 21. &c.*

V.
ECCLESIA POTEST IN SUUM USUM TRANSFERRE, QUÆ AB ALIIS OBSERVANTUR.

Cùm & alioqui extra dubium sit, potuisse Ecclesiam Christianam, etiam illa quæ Gentiles in suâ Religione observarent, transferre in suum usum; sive quæ superstitioso cultu agerentur, eadem expiata sacro ritu ad pietatem convertendo, ut maiori diaboli contumeliâ, quibus ipse coli voluisset, Christus ab omnibus honoraretur: (quemadmodùm de festis diebus, ut cetera modò taceam, fecisse constat Magnum illum Gregorium Thaumaturgum: dum sicut in eius Vitâ scribit Nyssenus, animadvertens propter corporis voluptates, simplex &

imperitum vulgus in errore simulacrorum permanere; quò maximè id quod præcipuum erat interim in iis assequeretur, nempè ut vanis superstitionibus relictis ad Deum converterentur; permisit eis, ut in memoriam Sanctorum Martyrum sese exhilararent & oblectarent:) sive quæ ritè apud illos fierent, quæque ex genere suo & secundùm se spectata, bona ac salutaria essent, ab iniustis possessoribus sibi vendicando. Sicuti & monet sapientissimè Augustinus p, cùm agens alicubi de rebus musicis, & Varronis opinione circa numerum Musarum: *Sive ita se habeat*, inquit, *quod Varro retulit, sive non ita; nos tamen non propter superstitionem profanorum debemus musicam fugere, siquid inde utile ad intelligendas sanctas Scripturas rapere potuerimus: nec ad illorum theatricas nugas converti, si aliquid de citharis & organis, quod ad spiritualia capienda valeat, disputemus. Neque enim & literas discere non debuimus, quia earum repertorem dicunt esse Mercurium: aut quia Iustitiæ, Virtutíque templa dicárunt, propterea nobis iustitia virtúsque fugienda est: immò verò quisquis bonus verúsque Christianus est, Domini sui esse intelligat ubicumque invenerit veritatem; quam confitens & agnoscens, etiam in literis sacris superstitiosa figmenta repudiet: doleátque homines atque caveat, qui cognoscentes Deum, non ut Deum glorificaverunt.* Et pergens prolixiùs disputare de generibus doctrinarum, quæ in Gentibus etiam moribus exercebantur, & quæ in illis superstitiosa, quæve non essent; demùm addit q: *Philosophi autem qui vocantur, siqua fortè vera, & fidei nostræ accommoda dixerunt, non solùm formidanda non sunt, sed ab eis etiam tamquam iniustis possessoribus in usum nostrum vendicanda. Sicut enim Ægyptij non solùm idola habebant, & onera gravia, quæ populus Israël detestaretur & fugeret; sed etiam vasa atque ornamenta de auro & argento, & vestem, quæ ille populus exiens de Ægypto sibi potiùs tamquam ad usum meliorem clanculò vendicavit, non authoritate propriâ, sed præcepto Dei, ipsis Ægyptiis nescienter commodantibus ea quibus non benè utebantur: sic doctrinæ omnes Gentilium, non solùm simulata & superstitiosa figmenta, gravésque sarcinas supervacanei laboris habent, quæ unus-*

p 2. De doctr. Christ. 18.

q Cap. 40.

quisque noſtrûm duce Chriſto de ſocietate Gentilium exiens debet abominari atque devitare: ſed etiam liberales diſciplinas uſui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta utiliſſima continent; déque ipſo uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos, quod eorum tamquam aurum & argentum, quod non ipſi inſtituerunt, ſed de quibuſdam quaſi metallis divinæ providentiæ, quæ ubique infuſa eſt, eruerunt, & quo perversè atque iniurioſè ad obſequia dæmonum abutuntur; cùm ab eorum miſerâ ſocietate ſeſe animo ſeparat, debet ab eis auferre Chriſtianis ad uſum iuſtum prædicandi Evangelij. Veſtem quoque illorum, id eſt hominum quidem inſtituta, ſed tamen accommodata humanæ ſocietati, quâ in hâc vitâ carere non poſſumus, accipere atque habere licuerit in uſum convertenda Chriſtianum. Hæc ille egregiè; & ſimilia alij.

VI. NON POTUIT ECCLESIA, QUÆ ERRORES OPPUGNAVIT, EOS RETINERE.

Et quod ſpeciatim ad rem noſtram pertinet, nullâ omninò veri ſimilitudine ab hominibus ratione ac iudicio naturali præditis dici poſſe videtur, ut qui ſuperſtitiones Iudæorum atque Gentilium, & impia Philoſophorum dogmata, tanto zelo, tantóque animi ardore, tótque ſcriptionibus, non tam oppugnârunt quàm expugnârunt, ſanctiſſimi atque doctiſſimi Eccleſiæ Chriſtianæ Doctores & Paſtores; quique ne vel Iudaiſmus in Eccleſiam inveheretur, vel Ethnicorum ſuperſtitionibus ullâ ex parte contaminaretur, aliquot ſæculorum perpetuas cruces & perſecutiones pertulerunt: doctrinam de rebus ad ſepulturam corporum, & ſuffragia animarum ſpectantibus, quæ etiam communis fuit Iudæis ac Gentilibus, admittere aliquando cogitaverint, ſi quæ admiſerunt contraria in aliquo fuiſſent vero cultui Dei, & fidei per Chriſtum & Apoſtolos prædicatæ. Denique cùm ea omnia quæ de his prolaturi ſumus, non ſolùm Iudæis & Gentilibus uſurpata fuiſſe, verùm etiam ex ipsâ ſacrâ Scripturâ auctoritatem accipere, ac Patribus primitivæ Chriſti Eccleſiæ acceptiſſima fuiſſe probaverimus; nullus remanebit dubitandi locus, quin fuerit omninò cauſa contra adverſarios expugnata; quandoquidem & ipſi obtrudant ac profiteantur, Scripturæ, ac Patrum antiquiorum doctrinam & conſuetudines imitari ſe velle.

His igitur necessariò præmissis, rem modò acturi, & à quibusdam levioribus abstinentes, de quibus nulla est controversia, (qualia sunt oscula [r] morientibus ac mortuis, à propinquis & carissimis in signum amoris & doloris insigi solita: & oculorum [s] clausura, vel mysticè ad significandum, mortem non ferè nisi somnum, aut sanè somno quamsimillimam esse; vel simpliciùs ac naturaliùs, ad rectam compositionem corporis, & avertendum horrorem ex apertis mortuorum oculis facilem circumstantibus oboriri: aliáque eiusmodi, quæ omittere belluarum magis sit quàm hominum: necnon quædam minoris momenti, quorum ferè facta est obiter ex occasione mentio inter ritus Gentilium:) iis potissimùm insistemus, quæ religionem propiùs tangunt, omnibus semper & ubique communia: nec tamen penitus illa omittemus, quæ licèt non omnibus, pluribus tamen & locis & personis, etiam cum sacro mysterio usurpata leguntur. Ut in utrisque locum habere intelligatur regula Augustini [t] dicentis: *Illa quæ non scripta in libris canonicis, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dari intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesiâ saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri. Alia verò quæ per loca terrarum regionésque variantur, liberas habere observationes; nec disciplinam ullam esse in his meliorem gravi prudentíque Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quamcumque fortè devenerit. Si quid verò tota per orbem frequentaverit Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ esse.* Quinimmò & certissimè illa ab Apostolis derivâsse, non solùm quæ singulatim post hæc dicentur testimonio auctorum, qui suis scriptis Ecclesiam Catholicam, notiorésque eius gentes illustrárunt, intelligitur: verùm etiam absque ullo dubio demonstrat, quòd qui in Cranganore, & aliis Orientalis Indiæ regnis, quæ S. Thomas Apostolus fide Christianâ primùm imbuit, reperti sunt à Lusitanis Christiani, ut Osorius in eorum Historiâ tradit, acceptâ per manus primævâ traditione, circa sepulturam defunctorum eosdem ritus servant, quos Ecclesia Catho-

VII.

[r] *Exempla habes Gen. 50. in pr. Philo lib. de Ioseph. Dionys. de Eccl. hier. cap. 7. Senec. de brevit. vit. Sue. in Octav. cap. 99. Auson in Parental. epigr. 21. & alia infinita.*

[s] *De iis actum suprà, & sunt exempla passim ap. Christ. auct.*

[t] *Epist. 118.*

AUCTORITAS TESTIMONIORUM.

lica Romana: memoriam quoque mortuorum celebrantes, & pro illorum salute orantes.

CAPVT II.

De LOTIONE *corporum.*

I. QUÆ igitur distinctiùs explicanda primò occurrit, *Lotio* est corporis: quam & Græcis pariter ac Latinis Gentilibus communem fuisse alij adnotârunt; prostántque exempla apud antiquissimos eorũ Scriptores[u]. Nec difficile erit persuadere, fuisse æquè in usu abusque eo tempore quo mors cœpit in homines duro imperio sævire: siquidem videtur hæc sordium externarum abstersio munditiam animæ significare, quâ cælo adsciſci sperârunt homines, qui futuram effusionem sanguinis Agni immaculati noverunt: à quibus hæc consuetudo etiam in alios transiit, qui tantum beneficium ignorârunt. Cùm tamen non defuerint apud istos aliæ etiam probabiles huius moris naturales causæ: nimirùm, ut corpora unctioni aromatum mox secuturæ eò aptiora forent, quò mundiora: & quam refert Servius[x] ex Plinio, quòd soleat plerumque vitalis spiritus exclusus putari, & homines fallere: adeò ut reperti fuerint, qui cùm efferrentur, spiritum resumpserint, & relati sint domum: indéque servari consuevisse cadavera octo diebus, & calidâ ablui, (calidam[y] enim esse oportuit, ut si quid vitalitatis inesset, expulsâ appareret frigiditate) ac per intervalla conclamari. quod ter nomine proprio singulis intervallis fiebat: fortassis quoniam ad nihil æquè atque ad proprium nomen citiùs expergiſcamur: ad quod si vitalis aliquis adhuc calor inclusus lateret, vitæ signum aliquod ederetur. Si verò ne tum quidem proderet sese spiritus vitalis, de eo *Conclamatum* dicebant: & inde *Conclamati*, quos certò mortuos esse constabat.

[u] *Homer Il. ψ. & Od. ω. de corp. Patrocl. & Achil. Eurip. in Phœniss. de Polynic. & in Hecub. de Polyxen. & in Alcest. de Alcestid. Plat. in Phædon. de Socr. Æl. 4. Var. 1. de Dardan. Enn. de Tarquin. Virg. Æn. 6. de Misen. Apul. lib. 8. Metamorph. de Charit. &c.*

[x] *In Æn. 6. Plin. lib. 17. cap. 12.*

[y] *Hom. & Virg. ibid. & alij.*

II. Ceterùm Lotionem mortuorum fuisse quoque Iudæis usitatam, ex Philone[z] satis intelligitur, dum ritus funerum

[z] *Lib. de Joseph.*

funerum describens in lamentatione Iacobi de mortuo Ioſepho abſque ſepulturâ, nec hunc omittit: Et expreſſiùs ex hiſtoriâ ſuſcitatæ à mortuis Petri Apoſtoli miniſterio Tabithæ[a] Ioppenſis: *quam* (inquit Lucas) *cùm lavissent, posuerunt eam in cœnaculo.* Et corpus CHRISTI exanime de cruce depoſitum, antequàm ungeretur, lotum aquâ fuiſſe, ut rem ſuis etiam temporibus conſuetiſſimam, abſque ulla dubitatione aſſerunt Epiphanius[b], & Chryſoſtomus[c]. Húncque Iudæorum morem, unà cum nonnullis aliis funerum ritibus, explicans Rabbi[d] Iacob in Thurim Iora Degha, ex Rabbi Moyſe Ægyptio, ait viros virorum, feminas feminarum curam habere conſueviſſe; atque imprimis oculos claudere defuncto, & ora ſtringere faſciâ, tondere capillos, corpus lavare, unguentis ungere, cadaver delibutum obvolvere linteis, ſicque curatum ponere in ſepulchro. Quos ferè eoſdem in uſu fuiſſe Chriſtianis antiquiſſimis, apprimè docet Dionyſius[e] Alexandrinus, dum agit de pio ac ſedulo officio Chriſtianorum in eos quos peſtis tunc in eâ civitate ingruens abſumpſerat: *Quinetiam*, inquit, *sanctorum corpora manibus erectis supinísque excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare; gestare humeris cadavera, decenter ornare, illis adhærescere, amicè complecti, Lavare accuratè, & linteo funebri involvere non gravati sunt: ipsíque qui supererant, paulò pòst similia officia in se collata propterea adepti, quòd eamdem mortis viam instarent, quam qui præiverant institissent.* Et Chryſoſtomus[f] de curâ parentum in filios defunctos: *Cùm reddiderit puer animam, parentes eum componunt, manus extendunt, oculos claudunt, caput directò statuunt, pedes exporrigunt, Lavant, dignis ornamentis funeralibus amiciunt.* Et ad eumdem morem reſpiciens Sidonius[g] Apollinaris, ait Gothos, poſt quamdam in Galliâ acceptam cladem, cæſa ſuorum corpora tam præcipiti feſtinatione terrâ obruiſſe, ut nec oſſa tumultuarij ceſpitis mole tumularent: *quibus nec Elutis vestimenta, nec vestitis sepulchra tribuebant, iustè sic mortuis talia iusta solventes.* In Actis[h] S. Martiani traditur, maximum ab eo adhibitum eſſe ſtudium in perquirendis

[a] Act. 9.

[b] Orat. de ſepul. Chr.

[c] Hom. 84. in Ioan.

[d] Ap. Baron. an. 34.

[e] Ap. Euſeb. 7. hiſt. 17.

[f] Homil. 1. de pat. Iob.

[g] 3. Ep. 3.

[h] Ap Sur. 6. Ianuar.

pauperum mortuorum corporibus, quorum nemo curam gereret, eáque diligenter *Lavisse, induisse, sepulturaque mandâsse.* Apud Gregorium [i] Turonensem Theodobertus filius Chilperici Regis prælio cæsus, *Ablutus, ac dignis vestibus indutus*, ad sepulturam ductus est. Ipsúmque Chilpericum [k] Regem interemptum Mallulphus Silvanectensis Episcopus *Ablutum vestimentis melioribus induit.* Servatius [l] Tungrorum Episcopus, post obitum *Ablutus à fidelibus*, sepultus est. Gallus Episcopus Arvernensis, cùm ab hoc mundo migrâsset, *Ablutus atque vestitus in Ecclesiam deportatus est.* Salvij Episcopi Albigensis corpus, post eius decessum, *monachi aquâ Abluunt, vestimentis induunt, & feretro superponunt:* cúmque paulò pòst idem divinitùs ad vitam revocatus, pluribus pòst annis revelante Domino tempus suæ vocationis agnovisset, *ipse sibi sarcophagum composuit, corpus Abluit, vestem induit, & sic intentum semper cælo beatum spiritum exhalavit.* Marianum [m] Reclusum mortuum viri qui advenerant, *Ablutum, dignísque indutum vestibus* sepelierunt. Paritérque Lupicinum [n] alium Reclusum defunctum, *quædam matrona Ablutum dignis induit vestimentis.* Et alius insuper Leobardus [o] Reclusus, *Ablutus, ac vestimentis dignis indutus, in sepulchro reconditus est.* Patroclus [p] quoque Abbas mortuus in senectute bonâ, *aquis Ablutus, feretróque impositus*, delatus est ad locum sepulturæ. Sicut & Martius [q] alius Abbas, post sanctum obitum *cum summo honore Ablutus, dignísque vestimentis indutus est*, ac sepulturæ traditus. Poppula [r] virgo defuncta, ab aliis mulieribus *Abluta, & sepulta est.* Uxor [s] Hilarij Senatoris Divionensis *obiit, atque Abluta est.* Ac denique Pelagia [t] Lemovicina, postquàm emisit spiritum, *Abluta iuxta morem, collocatur in feretro.* Paritérque apud Gregorium Magnum Romanum Pontificem in Sacramentario, post preces & psalmos recitari solitos in obitu cuiusquam, subiungitur: *Posteà Lavetur, & ponatur in feretrum.* Et alibi apud eumdem [u], Theophanij Centumcellensis Comitis defuncti *corpus ex more ad Lavandum est detectum:*

i 4. hist. Fr. 45
k Id. lib. 6. cap. ult.
l Id. lib. 2. cap. 5. lib. 4. cap. 5. & lib. 7. cap. 1.
m Id. de glor. Confess. cap. 81.
n Id. de Vit. Patr.
o Ibid.
p Ibid.
q Ibid.
r De glor. Confess. cap. 16.
s Ibid. cap. 42.
t Ibid. cap. 104.
u Homil. 36. in Evang. & 4. Dial. 17.

& Tarsillæ [x] ipsius Gregorij amitæ *corpus ex more mortuorum ad Lavandum est nudatum:* & pauperculæ mulieris [y] maritus defunctus, *ex more Lotus, vestimentis indutus, & sabano constrictus est*, ut sepeliretur. Ex recepti͏ssimo ubique more hæc fieri vides. Cuius & testis antiquissimus Tertullianus [z], dum scribit, *Rigere & pallere post Lavacrum mortuus possum.* Quod verò & pluribus allatis exemplis *Vestes* additas legis; dicetur de iis, postquàm expedierimus UNCTURAM, quæ Lotionem subsequi consuevit.

[x] Id. homil. 38. & 4. Dial. 16.

[y] 3. Dial. 17.

[z] Tert. Apol. cap. 42.

CAPVT III.

De VNCTIONE *Cadaverum.*

I.

FUISSE eam in usu antiquissimis Patriarchis sub lege Naturæ, Gentilibúsque, atque inde Iudæis; suis locis ostendimus: nec verò solùm iis qui cadaverum conservationi omni studio incumbebant, vel qui aliàs ea terræ mandabant; sed etiam qui comburebant, Græcis atque Romanis; (rogis namque unguenta, & odores acervatim coniiciebant; & lecta ossa, vino, & lacte perfusa, siccatáque aromatibus & odoribus commixta, in urnam reponebant:) plurima sunt illorum testimonia [a], quæ demonstrent: adeò ut Lactantius [b] observet, *pari ratione illos defunctorum corpora odoribus ac pretiosis vestibus illita & convoluta humi condidisse, quia Deos honorarent:* causámque huius moris præcipuam atque antiquissimam indicavimus, spem futuræ universalis corporum resurrectionis; in Fidelibus quidem semper vivam, (unde & tot alia sepulturæ officia, quæ profectò supervacanea censeri possent, nisi corpora quibus ea præstantur resurrectura scirentur:) in Infidelibus autem paulatim extinctam; qui demùm non aliam communiter agnoverunt huius consuetudinis causam, quàm amorem & honorem erga defunctos; & ut quæ plusculis diebus, antequàm efferrentur, asservari solebant cor-

[a] Hom. Il. ψ. & Od. ω. Lucian. de luct. Stob. ser. 120. Plut. in Syll. Valer. lib. 5. cap. 1. Virg. Æn. 6. & 9. Plin. Sen. lib. 12. cap. 18. & lib. 13. cap. 1. Plin. Iun. 5. ep. 16. Pers. sat. 3. & 6. Stat. Silv. lib. 2. & in epiced. Piler. Mart. 3. epigr. 12. & lib. 1. epigr. 55. Iuven. sat. 4. Propert. 4. eleg. 7. Tibul. 3. eleg. 2. Apul. Apol. 1. & 4. Flor. Macer. l. funeris sumptus. 37. D. de relig. Ulp. l. & ideo. 7. §. 3. de in rem vers. &c.

[b] Lib. 2. cap. 4.

pora, minùs fœtoris, dum terrâ conderentur, aut igne cremarentur, exhalarent; & qui in secretiora adyta penetrârunt, quia sepulturæ iura sacra ipsis essent. Quinimmò & qui CHRISTUM Dominum Iudæorum more cum aromatibus sepelierunt, quorum oculis tristis mors obversabatur, vix tunc de illius Resurrectione mox futurâ cogitâsse, sed tantùm ex ardenti amore, & singulari in eum observantiâ, ob virtutum & sanctitatis merita, id fecisse; antiqui Interpretes [c] existimârunt, & ex Historiâ Evangelicâ satis intelligitur. Fuisséque divino consilio factum, ut honorificentissimâ sepulturâ funeraretur, qui ignominiosissimâ morte occiderat, iam superiùs demonstravimus, cùm de insigni, & omnibus sæculis laudatissimâ pietate Iosephi ab Arimathæâ, Nicodemi, & Mariæ Magdalenæ, in eius funus exhibitâ, pluribus egimus: cùm non sit cogitandum, hunc tam operosum condiendi & sepeliendi modum, semper & cum quovis cadavere observâsse Hebræos; sed cum viris tantummodò insignioribus, vel alioquin charissimis; nec etiam istud lege, aut more inviolabili, sed consuetudine cuivis libera. Quamobrem de conditurâ Lazari, licèt nobilis ac divitis viri nihil Ioannes [d] scribit; immò fuisse aromatibus condîtum, negare videtur Historia Evangelica, cùm ait iam quarto die fœtuisse. Cuius tamen sorori Mariæ Magdalenæ amantissimæ Christi discipulæ, non satis fuit unctum semel corpus IESU vidisse: sed ut iterùm ungeretur, unà cum aliis sanctis mulieribus accessit ad sepulchrum cum paratis aromatibus, ut hoc supremo pietatis officio simul omnes suam in eum benevolentiam testatam facerent: unde & primæ meruerunt [e] illum post resurrectionem videre.

[c] Chrys. hom. 84. in Ioan. & alij.

[d] Ioan. 11.

[e] Matth. 28. Mar. 16. Luc. 24. Ioan. 11.

II. Quòd autem (ut diximus) fieret hoc in testimonium immortalitatis animarum, & resurrectionis corporum; libentiùs eumdem morem posteà usurpârunt Christiani, quibus hæc sacratissima mysteria longè clariùs in luce Evangelij, quàm olim Iudæis sub nube figurarum manifesta fuerunt. Nam & quod sacra Apostolorum historia [f] ait, lapidato Stephano à Iudæis ob fidem Christi,

[f] Act. 8.

viros timoratos ipsum curâsse, & fecisse planctum magnum super eum; utique ad hunc morem referas necesse est, si Hieronymum [g] audieris: qui scribens ad Paulam super obitu Blesillæ filiæ, *Planctum* hunc *magnum non in plangentium exanimatione, sed in pompâ funeris, & exequiarum frequentiâ intelligendum esse* docet: confirmátque maximè ex eo quòd Iacob Patriarcha dicatur [h] delatus ad sepulturam à filio suo Ioseph, cum ingenti comitatu seniorum domûs Pharaonis, quadrigarum, & equitum, & castrorum grandium, ac factum esse *planctum magnum & fortem nimis:* planctum autem istum solemnem non longas Ægyptiis imperâsse lachrymas, sed funeris monstrâsse ornatum: ac iuxta hunc modum, Aaronem [i] quoque & Mosen fletos esse. Cuiusmodi interpretationi consonat apprimè relatio Gamalielis apud Lucianum presbyterum, in eâ quam totus Christianus orbis recepit Epistolâ [k] de Inventione corporis eiusdem Protomartyris: quâ idem Gamaliel testatur, se corpus eius proiectum à Iudæis insepultum, clàm per ceteros Christianos surreptum, deferendum curâsse ad villam suam, & ibi *fecisse illi planctum fieri diebus septuaginta,* subministrante illo *quacumque necessaria essent pro eius planctu.* Quæ sanè non de alio Planctu accipias, quàm qui condiendis viris insignibus more Ægyptiorum & Iudæorum, magnis sumptibus, & pluribus continuatis diebus, exhiberi consueverat.

g *Ep. 25.*

PLANCTUS QUIS INTELLIGATUR IN FUNERIBUS ANTIQUORUM.

h *Gen. 50.*

i *Num. 20. & Deuter. 34.*

k *Ext. ap. Aug. in Append. ad to. X. & ap. Sur. tom. 4.*

III.

Cuius & locupletissimus testis Tertullianus [l], dum in Apologetico adversùs Gentiles non dubitavit asserere, Arabum ac Sabæorum merces (nempè thus, myrrham, aliáque omnis generis aromata & odoramenta; quæ Statius [m] enumerat in funere Priscillæ;

Ver Arabum Ciliciúmque fluit, floréssque Sabæi,
Indorúmque arsura seges, præreptáque templis
Thura, Palæstini simul, Hebraíque liquores,
Coryciaque coma, Cyranciáque germina.)

pluris, & cariùs Christianis sepeliendis profligari, quàm diis Gentilium fumigandis. Sicuti & iam olim de ipsis Gentilibus questus fuerat Plinius [n], cùm de odoribus & aromatibus Arabicis agens; *Felix* (inquit) *appellatur Arabia,*

l *Apolog. c. 42.*

PROFUSIO AROMATUM IN FUNERIBUS ANTIQUIS.

m *Silvar. lib. 5.*

n *Lib. 12. c. 18.*

falsa & ingrata cognominis, quæ hoc acceptum superis ferat, cùm plus ex eo inferis debeat. Beatam illam fecit hominum etiam in morte luxuria, quæ diis intellexerat genita, adhibens urendis defunctis. Periti rerum asseverant, non ferre tantum annuo fœtu, quantum Nero Princeps novissimo Poppeæ suæ die concremaverit. Æstimentur posteà toto orbe singulis annis tot funera, adservatímque congesta honori cadaverum, quæ diis per singulas micas dantur. Quod verò Tertulliani de Christianis testimonium confirmat, etiam apud Minutium [o] Felicem Ethnicus iis obiicit, quòd *floribus capita non necterent, nec corpora odoribus honestarent, sed unguenta funeribus reservarent.* Et Christianus Pædagogus [p] concedens feminis moderatum unguentorum usum, quę virum minimè torpefaciant; *Nimiæ enim,* inquit, *unguentorum unctiones, iusta quæ fiunt mortuis, potiùs quàm familiarem vitæ redolent consuetudinem.* Et Prudentius poëta Christianus hymno de exequiis defunctorum:

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est,
Aspersáque myrrha Sabæo
Corpus medicamine servat.

Itémque Orientius alius poëta Christianus Episcopúsque Illiberitanus, in suo Commonitorio agens de animę immortalitate, & fide resurrectionis; post hanc vitam iterùm animas recepturas eadem corpora ait,

Non modò quæ tumulis benè condita saxa reservant,
Aut Arabum solidans pulvis, odórque tenet:

(uti corrigendum monuit doctissimus Sirmondus, ad mentem planè auctoris, & confirmationem ritûs funerei; longè feliciori acumine, quàm vel Lipsius, *ad carnem;* vel Delrius, *ad arvum:*)

Sed dicto citiùs firmanda in membra redibit.
Portio de tumulis, portio de fluviis,
Quod ventus flatu minuit, quod bestia morsu,
Flamma quod exussit, quódque ruina premit, &c.

Memineruntque eiusdem ritûs Ambrosius [q], Gregorius [r], alij. Cúmque iis honor, quamvis omnibus communis, præcipuè tamen Martyribus & Confessoribus ex-

[o] In Octav.
[p] Clem. Alex. 2. Pædag. 8.
[q] Lib. de Nabut. cap. 1.
[r] In cap. 1. Cant.

hiberetur, quò eorum corpora atque reliquiæ diutiùs ad venerationem fidelium conſervarentur: (non quidem quòd omnium ita curarentur corpora, nec quæ curarentur continuò incorrupta manſiſſe aſſeramus; ſicut econtrà plurima aliorum, quibus nulla naturalis ars adhibita, ſolâ divini numinis ope & operâ, incorruptiſſima ad multa ſæcula perdurâſſe, & hactenùs perdurare, infinitis propemodùm cùm antiquis tum recentibus indubitatæ penitùs fidei exemplis exploratum redditur:) inde in Actis[r] Proconſularibus Tarſenſium Martyrum in Perſecutione Diocletiani, Maximus Præſes ita unum ex illis Tharacum nomine, in medio tormentorum, quæ ab ipſo pro nihilo duci videret, alloquitur: *Noli putare te ſemel damnari, ſed particulatim te exterminabo, & reliquias tuas beſtiis dabo. Putas quia mulierculæ corpus tuum habent aromatibus vel unguentis condire, iniquiſſime? nam de hoc eſt cogitatio, ut reliquias tuas perdam.* Et paulò pòſt: *Nonne ſic te perdam, & ſicut anteà prædixi, & reliquias tuas? ne mulierculæ in linteamine corpus tuum involvant, & unguentis & odoribus adornent. Sed ſceleſte, iubebo te comburi, & cineres tuos in ventum diſpergam.* Inde & Eunapius[ſ] Sardianus, virulentiſſimus Chriſtianorum hoſtis, & ob deiecta Alexandriæ dæmonum templa amariſſimâ indignatione turbatus, de Martyrum reliquiis in idolorum locum ſubſtitutis, ac de cultu iis delato, hæc blaſphemo ore: *Ii condita & ſalita eorum capita, qui ob ſcelerum multitudinem à Iudicibus extremo ſupplicio fuerant affecti, pro divis oſtentabant: iis genua ſubmittebant, eos in deorum numerum receptabant, ad illorum ſepulchra pulvere, ſordibúſque conſpurcati: in iis nonnulli Martyres, Diaconi alÿ, & legati, arbitríque precum petitionúmque apud eos nominabantur; cùm fuerint ſervitia infida, & flagris peſſimè ſubacta, & quæ cicatrices ſcelerum ac nequitiæ veſtigia corporibus circumferrent.*

[r] Ap. Baron. to. 2. an. 290.

[ſ] De Vit. Philoſ. in Ædeſ. ad fi.

II. EXEMPLA UNCTIONIS IN ANTIQUA ECCLESIA.

Quæ quidem omnia ſicut univerſim dicta ſunt, ita ut pauca nonnullorum exempla eo modo curatorum particulatim adducamus, ex germanis eorumdem martyrij Actis: Corpora[t] SS. Epicteti & Aſtionis martyrum Orientalium in Perſecutione Diocletiani, à reliquis Chriſtianis occultè ſublata, *perfuſaque myrrhâ & aromati-*

[t] Vit. Patr. lib. I.

bus pretiosissimis, in loco congrûo cum hymnis & psalmis sepulta sunt. Primi & Feliciani eâdem Persecutione passorum corpora nocte Christiani rapuerunt; & *involventes ea in sindones cum aromatibus, iuxta Arenarium posuerunt, atque in hymnis & psalmis per triginta dies ac noctes perdurârunt.* Bonifacium [u] Tharsi martyrium consecutum, redemptum quingentis aureis, & *odoriferis aromatibus & unguentis unctum, ac candidis linteis involutum,* Romam eius socij retulerunt. Gregorij [x] presbyteri & martyris Spoletani, sub Maximiano dirissimè torti, & occisi corpus auro redemptum, *conditum balsamo, nardo, & aromatibus pretiosis,* sepulturæ fuit traditum. Petri [y] Patriarchæ Alexandrini sub Maximino passi, honorificentissimè *ex more delibutum unguentis* sepulturæ mandatum. Et Abibum [z] insignem martyrem Edessenum in Persecutione Licinianâ igne extinctum, nec tamen consumptum, ab aliis fidelibus *pretioso linteo circumdatum, & unguentis unctum in monumento collocatum esse.* Nec id solùm in Martyribus, sed etiam in aliis piis viris. Siquidem Cæsarium Gregorij Nazianzeni fratrem, post obitum myrrhâ unctum, testatur idem Gregorius ipsius germanus Epistolâ [a] ad Sophronium Præfectum scriptâ. Quídque consuetum fuisset eiusmodi virorum funeribus impendi, significat idem in Oratione [b] de eius laudibus: nempè sericas ac circumfluentes telas, lini pellucidi texturas, pretiosorum unguentorum infusiones. Quæ licèt honestamenta ei parùm grata extitisse, præ summâ eius animi demissione, significet; exhibita tamen etiam fuisse Meletio insigni Patriarchæ Antiocheno, (videlicèt *sindones mundas, pannos sericos, unguentorum & aromatum largitatem & abundantiam*) scribit Gregorius Nyssenus oratione in eius funere habitâ coram amplissimo Patrum Senatu in sacrosanctâ Synodo Constantinopolitanâ Primâ. Ac pariter Constantius [c] ait, Germanum Autissiodorensem Episcopum Ravennæ defunctum, *ab Acholio aromatum constrictione solidatum,* à Reginâ (nempè Placidiâ Aug. Valentiniani Tertij matre) *vestitum.* Gregoriúsque [d] Turonensis, *corpus Radegundis* olim Reginæ, in monasterio Pictaviensi defunctę, ab

[u] *Ap. Sur. 5. Iunij.*
[x] *Ap. Sur. 14. Dec.*
[y] *Ap. Baron. to. 3. an. 310.*
[z] *Ap. Baron. to. 3. an. 316.*
[a] *Ep. 18.*
[b] *Orat. 10.*
[c] *In Vit. Ger. lib. 2.*
[d] *De glor. Confess. c. 106.*

ab Abbatiſsâ *aromatibus conditum*; & alia eiuſmodi innita. Quæ tamen condimenta, quòd (ut diximus) præſertim vitæ ſanctimoniâ illuſtribus viris deferri ſolerent, Chriſtianâ ſummiſſione ſuis corporibus poſt obitum deferri vetuerunt Magni illi Antonius Monachorum pater, & Ephræm Diaconus Edeſſenus, huius alioqui & ipſi receptiſſimi ritûs egregij teſtes. Ille [f] quidem, dum maluit exemplo Chriſti terrâ condi, quàm more Ægyptiorum Ægyptius ipſe condîtus domi ſervari: iſte [g] verò, dum diſcipulos ſuos rogavit, ut *loco ſuavis aromatum odoris*, ſuis ipſum adiuvarent orationibus. Quemadmodùm & poſteà S. Monica [h] Auguſtini mater, imminente die reſolutionis ſuæ, *non cogitavit ſuum corpus ſumptuosè contegi, aut condiri aromatibus; ſed tantummodò memoriam ſuî ad altare fieri deſideravit.* Suppetunt & affatim Principum in ſæculo morientium exempla: ſed quia inventu & creditu faciliora, unicum modò afferam illuſtre Iuſtiniani Imp. cuius Corippus [i] Africanus Grammaticus exequias, pompámque funeris verſibus deſcribens, hæc inter alia de huiuſmodi more:

Thura Sabæa cremant: fragrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balſama ſucco:
Centum aliæ ſpecies, unguentáque mira feruntur,
Tempus in æternum ſacrum ſervantia corpus.

V.

Quid verò quòd & Phœnix avis, celeberrimus [k] Reſurrectionis typus, non aliter quàm per funus aromatum vitæ ſibi perennitatem comparat? *Illum dico alitem* (ut verbis Tertulliani [l] utar) *Orientis peculiarem, de ſingularitate famoſum, de poſteritate monſtruoſum; qui ſemetipſum libenter funerans renovat, natali fine decedens atque ſuccedens iterùm Phœnix.* Ille (vt loquitur Claudianus [m] in eius deſcriptione)

Par volucer Superis, ſtellas qui vividus æquat
Durando, membríſque terit redeuntibus ævum:
Qui neque concepto fœtu, nec ſemine ſurgit:
Sed pater eſt, proléſque ſuî, nullóque creante
Emeritos artus fecunda morte reformat,
Et petit alternam totidem per funera vitam.

PHOENICIS AVIS, RESURRECTIONIS TYPI, DESCRIPTIO.

[f] *Athanaſ. in Vit. Anton.*

[g] *Ephræm in Teſtam.*

[h] *Auguſtin. 9. Confeſſ. 13.*

[i] *Lib. 3.*

[k] *Hoc enim argumento ad probandam reſurrectionem uſos reperimus antiquiſſ. Patres, Clem. Ro. 1. Conſt. 6. Tertul. de reſur. car. c. 13. Cyril. Ieroſol. catech. 18. Ambroſ. 5. Hexam. 23. & de fid. reſur. Epiph. in Ancor. &c.*

[l] *d. cap. 13.*

[m] *Epigr. 1.*

Cuius diutinæ vitæ, ſplendidiſſimi funeris, & mirabilis renovationis, cùm & meminerint plerique alij tam profani [n] quàm Eccleſiaſtici [o] ſcriptores: ex unius tantùm Poëtæ prolixiori huius alitis hiſtoriâ [p] proferemus de ipſius aromatico ſepulchro, & odorifero funere, (quam rem modò tractamus) elegantiores verſus: ſive is auctor fuerit Lactantius, (ut vulgò creditum) ſeu, ut potiùs videtur, aliquis Ethnicus. Ubi igitur Phœnix avis (ut ait) tempus ſuæ innovationis agnovit, in Phœnicen regionem evolans, in ſublimi Phœnice arbore (nempè palmâ)

Conſtruit inde ſibi, ſeu nidum, ſive ſepulchrum:
Nam perit ut vivat, ſe tamen ipſa creat.
Colligit hinc ſuccos, & odores divite ſilvâ,
Quos legit Aſſyrius, quos opulentus Arabs:
Quos aut Pygmææ gentes, aut India carpit,
Aut molli generat terra Sabæa ſinu.
Cinnama dehinc, aurámque procul ſpirantis amomi
Congerit, & miſto balſama cum folio.
Non caſiæ mitis, nec olentis vimen acanthi,
Nec thuris lachrymæ, guttáque pinguis abeſt.
His addit teneras nardi pubentis ariſtas;
Et ſociat myrrhæ paſcua grata nimis.
Protinùs in ſtrato corpus mutabile nido,
Vitalíque thoro membra quietà locat.
Ore dehinc ſuccos membris circúmque ſupráque
Iniicit, exequiis immoritura ſuis.
Tunc inter varios animam commendat odores,
Depoſiti tanti nec timet illa fidem.
Intereà corpus genitali morte peremptum
Aeſtuat, & flammas parturit ipſe calor:
Aërióque procul de lumine concipit ignem,
Flagrat, & ambuſtum ſolvitur in cinerem.
Hos velut in maſſam cineres in morte coactos
Conflat, & effectum ſeminis inſtar habet.

Subdit quomodò renovetur, & cetera eius hiſtoriæ: ac demùm ſic poëma concludit:

Ipſa ſibi proles, ſuus eſt pater, & ſuus hæres;

[n] Herod. lib. 2. Ovid. metamor. 15. Tac. Annal. 6. Plin. lib. 10. cap. 2. Philoſtr. lib. 1. de Vit. Apoll. Ælian. 6. de animal. 58. Mela lib. 3. cap. 4. Solin. cap. 35. &c.
[o] Citati ſup. in K. Itémque Ruffin. in Symb. Iſid. 12. Orig. 7. & alij.
[p] Ap. Lactant. in ſi Oper

Nutrix ipsa sui, semper alumna sibi.
Ipsa quidem, sed non eadem; quin & ipsa, nec ipsa est,
Æternam vitam mortis adepta bono.

CAPVT IV.

De VESTITIONE corporum.

I. VESTITIO DUPLEX.

ABLUTA, & uncta corpora, *vestiri* consuevisse, adtextum vidimus pluribus exemplis, quibus Ablutionem & Unctionem probavimus. Fuisséque eas Vestes duplicis generis, ex iisdem apparet; nempè aut simplex linteum, quo cadavera involvebantur; aut viventibus commune vestimentum, quo induebantur. Uterque etiamnum variis orbis Christiani provinciis mos obtinet: atque insuper utriusque sunt alia quamplurima priscæ vetustatis exempla. Omitto Paganos [q] tam Græcos quàm Latinos: (ut & Ægyptios [r], aliásque gentes quarum ritus seposuimus, cùm fuerint ferè ubique iidem) quibus mortuorum vestitio utriusque illius generis solemnis; nudúmque iacere cadaver pro flagitio fuit. Eáque [s] diversi coloris, aut pretij, pro diversis gentium ritibus, vel personarum, ætatúmve, & sexuum conditione ac distinctione. Nec in Iudæis immoror, quos non cum propriis vestibus quibus vivi utebantur sepeliri consuevisse, sed sindone, sive linteo corpora involui, disertè docet Historia Euangelica [t], dum narrat CHRISTUM Dominum *involutum fuisse in sindone mundâ, sicut mos erat Iudæis sepelire*: præter [u] *institas*, seu fascias, quibus pedes & manus, totúmque corpus ligabant; ac *sudarium*, quo faciem tegebant. De quibus etiam Rabbi Iacob, non ita pridem in testimonium huiusmodi rituum adductus. * Ceterùm mortuorum qualemlibet vestitionem, corporúmque nuditatis contectionem ab ipsâ naturâ processisse, nemo cui sit humanitas in corde, & pudor in fronte, negaverit: ut

[q] *Herod. lib. 5. Lucian. de luct. Enn. in Ctesiphon. ap. Macrob. 6. Satur. 2. Iuven. sat. 3. Apul. Metamor. 2. & 10. & Flor. 1. l. plures. 19. de in rem vers. &c.*

[r] *Herod. lib. 3.*

[s] *Homer. Il. σ. Plut. q. Ro. 26. & in Lycurg. Polyb. lib. 6. Liv. lib. 34. Quintil. declam. 373. Suet. in Neron. c. 50. Æl. 6. Var. 6. Stat. 5. Silv. 1. Claud. lib. 2. in Ruff. Arnob. lib. 5. Lact. l. 2. cap. 4. Hier. ep. 27. in epitaph. Paulæ. &c. Vid. Kirchm. 1. de Funer. 10. & diximus sup. ubi de Gentil. lib. egimus. Unde & huius consuetudinis superfluam amitionem, non autem legit muin usum prohibitum intelligas Rom. legibus. l. 14. §. 5. D. de relig. l. 113. D. de leg. 1. l. ult. D. de aur. &c.*

[t] *Matth. 27. Ioan. 19.*

[u] *Ioan. 11. 19. 20.*

* VESTITIO A NATURA.

iam omittam morales & mysticos sensus huius ritûs, quos alij pro suo quique iudicio referunt. Ut autem & splendidè id fiat, amor facit erga defunctos, studiúmque eorum memoriam honorandi: & inter fideles, reverentia membrorum Christi, olim ad gloriosam vitam revocandorum. Habet enim & hic locum, quod de universâ funeris curâ ait Augustinus [x]: *Corpori humando quicquid impenditur, humanitatis est officium, secundùm affectum quo nemo umquam carnem suam odio habet. Unde oportet, ut quam potest pro carne proximi curam gerat, cùm ille inde recesserit qui regebat. Et si hæc faciunt qui carnis resurrectionem non credunt, quantò magis debent facere qui credunt; ut corpori mortuo, sed tamen resurrecturo, & in æternitate mansuro, impensum eiusmodi officium sit etiam quodammodò eiusdem fidei testimonium?*

[x] *De cur. pro mort. cap. ult.*

II. Scimus eumdem Augustinum alibi [y] sugillare eos, qui malè viuentibus pompam funeris, sepulchrum pretiosum, pretiosas vestes, unguenta & aromata adhibent: pariterque Hieronymum [z] & Chrysostomum [a] invehi in sumptuosas nimis sepulturas, & superfluum pretiosarum vestium dispendium. Nec sanè immeritò: quandoquidem nec malè viventes hæc merentur, quæ in spem æternæ vitæ conferuntur: & præter vitium luxuriæ & ambitionis, quo plerumque inter luctus lacrymásque feruntur qui ea præstant; sumptuosa sæpè sepultura (ut iidem auctores [b] testantur, & multis exemplis probatur) causam præbet furibus, cadavera effodiendi, & nuda atque insepulta proiiciendi. Unde & passim reperiuntur querelæ, sanctionésque adversus sepulchrorum violatores, apud omnis gentis & religionis homines; cùm violarentur ut plurimùm sepulchra animo furandi quæ in iis pretiosa reconderentur. Quare & multos fuisse ait Chrysostomus, qui ne id accideret tenuia scindebant linteamina, & multis implebant aromatibus, ut duplici nomine inutilia furibus redderentur. Cuius moris & meminit auctor Commentarij in Iob Origeni tributi; cùm inter rationes, quibus motus Iob auditâ liberorum morte dicitur vestimenta sua conscidisse; hanc etiam adfert, quòd cùm eius

[y] *In Psal. 48.*
[z] *In Vit. Paul. Erem. in fi.*
[a] *Homil. 84. in Ioan. & hom. 5. de Annâ.*

QUO SENSU DAMNETUR A NONNULLIS PATRIBUS SUMPTUOSA VESTITIO.

[b] *Chrys. ibid. Hieron. in cap. 8. Ierem.*

adversarij molirentur eum velut iam mortuum sepelire, voluerit anticipare in pretiosam suam sepulturam conscindere pretiosas atque regales suas vestes, ut nec post mortem possent illi iis frui. Indéque ortum esse idem auctor putavit, ut consuescerent homines, cùm pretiosam vestem alicui defuncto adhiberent, conscindere eam, ne furibus occasio daretur, si integra esset, spoliandi corpus, & insepultum abiiciendi. Hoc verò insanientium erat, ut ait Chrysostomus, ambitionem præ se ferre, & rursùs tollere. Qui sicut luxuriam eâ in re tolli voluit, sic necessaria non denegari; *modúmque servari, ut tegatur corpus, non nudum mandetur terræ.* Idémque ipse, ut in eius Vitâ refert Palladius, sciens se brevi moriturum, vitæ suæ digna candida vestimenta sibi induit, omnibus usque ad calceamenta mutatis. Unde intelligas, quemadmodùm optimè monet Augustinus [c], *in omnibus huiusmodi rebus non usum rerum, sed libidinem utentis in culpâ esse: neque ex earum rerum naturâ quibus utimur, sed ex causâ utendi, vel probandum esse, vel improbandum quod facimus. Et quod in aliis personis plerumque flagitium est, in divinâ vel propheticâ personâ magnæ cuiusdam rei signum esse.*

[c] *3. De doctr. Christ. 12.*

III. VESTIS PRETIOSA COMPROBATA IN FUNERIBUS.

Quare & viris pietate atque virtute insignibus (ut modò taceam de claritate sanguinis, & terreni dominatûs) splendidam sepulturam etiam in tegumento corporum, piè ac laudabiliter exhiberi, ipso Christianitatis initio insigniter docuit ipsummet divinissimum Christianorum caput, sanctissimus & immaculatissimus CHRISTUS IESUS; dum per Ioseph ab Arimathæâ *involvi* [d] voluit *sindone mundâ.* Est enim *Sindon*, pannus lineus, ex lino Ægyptiaco, subtiliori illo delicatiorique textus: sic, ut putatur, dicta, quòd primùm in Sidone insigni urbe Phœniciæ prope Iudæam fieri cœperit: unde & *Tyria Sindon* dicta [e] reperitur; quippe Tyrus & Sidon erant vicinæ urbes, eiusmodi pretiosarum texturarum artificio claræ: & *Sidonium ostrum*, quo [f] etiam illustrium virorum cadavera in funeribus contegi consueverant. Sicut autem Ioseph maximi faciebat IESUM, ita pretiosissimum linteum eius corpori sepeliendo ad-

SINDON, QUID.

[d] *Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23.*

[e] *Mart. 4. epigr. 19.*

[f] *Stat. 5. Silv. 1. Claud. lib. 2. in Rufin.*

hibuit. Eumdémque morem esse postmodùm in Ecclesiâ servatum, præter exempla Christianorum Alexandrinorum, & Martyrum Tarsensium, atque etiam Primi & Feliciani, Bonifacij, Abibíque Martyrum, & Meletij ac Germani Confessorum; necnon Gregorij Nazianzeni, atque Prudentij testimonia, de quibus suprà; scribit quoque S. Athanasius [ff], morem tunc fuisse Ægyptiis, *nobilium, ac præcipuè beatorum Martyrum corpora linteamine obvolvere:* sicut & *involutum* fuisse Antonium ait. Et apud Hieronymum [g] mulieris septies ictæ *cadaver* clerici *linteo obvolverunt*. Vari [h] quoque martyris sub Maximino passi in Ægypto, corpus Cleopatra matrona *pretiosis unxit aromatibus, & splendidis induit vestibus*. Nec in re hodiéque universæ Galliæ nostræ, atque Germaniæ, aliísque plerisque gentibus acceptissimâ ampliùs insisto.

[ff] *In Vit. S. Anton.*
[g] *Epist. 49.*
[h] *Ap. Metaph. & Sur. 19. Oct.*

IV.

DE USU VESTIUM COMMUNIUM, AUT DIGNITATIS, IN FUNERIBUS.

De induendis quoque mortuis iisdem vestibus quibus uterentur vivi, vel quæ statûs ipsorum indices essent, iisque dignis & pretiosis (quem morem etiamnum pleraque Italia, aliæque gentes usurpant) plurima omnis hominum generis exempla iam vidimus in Lotione, ex Gregoriis, & Sidonio. Sed addimus & Petrum Martyrem Patriarcham Alexandrinum: quem ut habent eius Acta [i], fideles *indutum vestibus sacerdotalibus albi coloris, colobio, & omophorio, triumphali pompâ ad cœmeterium detulerunt*. Cùm iam anteà Eutychianus [k] Papa constituisset, *ut quicumque fidelium Martyrem sepeliret, sine dalmaticâ, aut colobio purpurato nullâ ratione sepeliret*. (Fuerunt *Colobium*, & *Dalmatica*, tunicæ sine manicis; de quibus alij [l]. *Omophorium* autem ad verbum interpreteris *humerale*: quæ vox in Græcorum Ecclesiasticis monumentis frequenter occurrit.) Ceterùm quoniam religionis prætextu prætergressus est posteà Eutychiani decreti usus fines suos; ut non tantùm sanctorum Martyrum corpora dalmaticis tegerentur, sed Romanorum etiam Pontificum, aliorúmque sacrorum ministrorum; quas plerumque post sepulturam populus concisas reverentiæ causâ servare solebat, ut ex Gregorio [m] Papâ constat: propterea idem ipse Gregorius, Christianæ humilitatis cultor exi-

[i] *Ap. Baron. tom. 3. an. 310.*
[k] *Lib. de Rom. Pontiff.*
[l] *Vid. Annot. in Cassian. verb.* Colob. *& Baron. Not. ad Martyrol. 31. May. b.*
[m] *4. Ep. 44. & 4 Dial. 40.*

mius, in Concilio [n] Romano & ipsis quoque Pontificibus id prohibitum voluit; ne honor, qui olim solis Martyribus impendi consuevisset, cuiusque vitæ meriti hominibus impertiretur. Sicuti & anteà variis Conciliis Gallicanis [o] æquè prohibitum fuerat, ne corpora defunctorum, dum ad sepulturam deferrentur, obtegerentur velis, aut pallis: videlicèt sacris, usui altaris destinatis; uti etiam intelligitur ex epistolâ secundâ Clementis [p] Papæ Primi: cùm alioqui vestibus sacris sacerdotalibus indutos clericos efferri consuevisse, aliquot exemplis superiùs ostenderimus; fierique legitimè, alij [q] probârint: Cùm & Deus ipse, Nadabum [r] & Abiu filios Aaronis, quamvis igne plexos quòd ignem alienum offerre præsumpsissent, probârit nihilominùs vestitos lineis tunicis Sacerdotalibus, sicut iacebant, efferri.

[n] *d. ep.* 44.

[o] *Arvernen. c.* 3. *& 5. Autissiod. c.* 12.

[p] *Ep.* 2. *& ap. Grat. de consecrat. dist.* 1. *c. nemo.* 40.

[q] *Vid. Suar. tom.* 3. *in S. Th. dist.* 81. *sect.* 8.

[r] *Levit.* 10.

V.

VESTES AUREÆ, AC PRETIOSA SUPELLEX, IN SEPULCHRIS REPERTÆ.

Sed quod rursùm ad vestiendos defunctos attinet; ut rem in monumentis antiquis frequentem paucis absolvamus; de Principibus bina proferemus ex Urbe Româ, unum ex Constantinopolitanâ, quæ plurimorum instar esse possint. Et primum quidem ex Schedis Nicolai Viterbiensis, eiúsque Diariis [s] Romanis Ms. ubi traditur, anno Domini 1458. Romæ in basilicâ Vaticanâ S. Petri cùm sopeliendo cuidam sacerdoti pœnitentiario sepultura in sacello S. Petronillæ quæreretur, repertam esse arcam marmoream candidissimam, continentem in se duas capsas ligneas cupressinas, alteram grandiorem, alteram pueruli capacem, utramque laminis argenteis coopertam, signóque Crucis signatam, ut Christiani fuisse intelligerentur. In maiore repertum esse cadaver, ut vulgus iactabat, Constantini Imp. in minore eius filij (fuerint quidem aliorum; horum enim non potuerunt) utrumque vestibus aureis indutum. Laminas argenteas fuisse pondo librarum octingentarum triginta duarum argenti depurati: ex vestimentis conflatis superfuisse libras sedecim auri purissimi. Alterum Romanum exemplum habemus ex Marliano [ss] de Mariâ Aug. uxore Honorij Imp. cuius corpus in eâdem basilica S. Petri sub Paulo III. repertum est in marmoreâ arcâ, çum *veste*,

[s] *Ap. Bzov. Annal. to.* 17. *an.* 1458. *num.* XLI.

[ss] *In Topogr. Urb. lib.* 5. *cap.* 21. *& ex eo Gruter in Inscript.* 287. 4. *distinctiúsque Bos. in Rom. Subter. lib.* 2. *cap.* 7. *ex Luc. Faunoqui vidit.*

& pallio, quibus tantum auri intextum fuerat, ut ex iis combustis auri pondo circiter quadraginta collecta sint: præter vascula multa ex crystallo & achate, aureos anulos variis gemmis ornatos, inaures, monilia, omnis generis muliebria ornamenta, gemmas, ac res pretiosas. Constantinopolitanum suggerit Nicetas [t] Choniates; dum ait Alexium Imp. ut ingens ab Henrico (quem Ammerigum vocat) Alemannorum Rege (fuit is Henricus dictus Sextus) imperatum auri tributum colligeret, cùm non aliunde daretur, veterum Imperatorum monumenta effodisse, nec ullis Romanorum Imperatoribus, quantumvis ob res gestas claris, quicquam præter saxeas tunicas reliquisse, *omni pretioso ornatu spoliatis*: ac ne Magni quidem Constantini loculum intactum, & inviolatum mansurum fuisse, nisi fures Imperatoris decretum antevertissent, & *aurea illius ornamenta* abstulissent: conflari autem eam rapinam, tamquam materiam profanam iussisse: sed eius muneris ministros duos paulò pòst infeliciter obiisse, alterum ardenti febre, aquâ intercute alterum. De ceteris Optimatibus illustre est exemplum clarissimorum ac piissimorum coniugum Romanorum Probi ac Probæ: in quorum monumento [tt], unà cum ossibus, inventa est auri copia ex *aureis vestibus*, aliísque sepulchralibus ornamentis. De aliis promiscuè testimonium est Athanasij [u] Magni, cùm ait, in grassatione Arianorum in Ecclesiam Alexandrinam, *sepulchra aperta* fuisse eo prætextu, quasi ipsum Athanasium quærerent, cùm nihil nisi *rapere & spoliare* studerent. Itémque Gregorij Nazianzeni in Iambicis adversus sepulchrorum effossores. Et Basilij [x], cùm in Ditescentes invehens, qui pauperibus eleemosynam impartiri post mortem differunt; *Ob rem relictam* (inquit) *nihilo plus te servi honorabunt, sed sepulchrum fortassè funerísque sumptus negligent, heredi placere studentes, & novâ quâdam philosophiâ dictitabunt: Quid cadaver nihil sentiens multis impensis honestare contendis? Nónne meliùs vestem hanc pretiosam superstitibus usui necessario servare, quàm frustrà humi cum cadavere tabescere sinere? Monumento item quid opus sumptuoso, aut quæ utilitas inanis sumptûs?*

[t] *Annal. lib. 1. de reb. gest. Alex. Ang. in fi.*

[tt] *Baron. an. 395. ex Vegio.*

[u] *Ep. ad Solit.*

[x] *Hom. 7.*

sumptus? Ubi *novam philosophiam* appellat, quæ contra receptos mores splendidi ornatûs, ac pretiosarum vestium essent. Quinimmò & inter monachos idem viguisse, apparet ex auctore Vitæ [y] Pachomij Abbatis Tabennensis in Ægypto; dum ait Monachos qui ibi decederent, solitos ad sepulturam deferri *indutos splendidis vestimentis*. Itémque ex Gregorio Nysseno, testante se in funere Macrinæ sororis suæ, quæ in monasterio Virginum obierat, eam *pretiosis vestibus induisse*: sed quòd non videretur decere corpus Virginis, quæ vili semper habitu usa fuerat, iam exanime ad sponsæ similitudinem ornatum ante reliquarum Virginum oculos poni, superiniectum ei fuisse nigrum pallium. Et apud Hieronymum in funere Blesillæ, quæ in humilitate vestium nihil dum viveret differebat ab ancillis, in exequiis, *nobilium præeunte ordine, aureum feretro velamen obtenditur.* Ac denique apud Eusebium [z] legimus, Asterium Senatorem Romanum, Marini Centurionis, simul atque martyrium pro fide Christi apud Cæsaream Palęstinę sub Imperio Galieni subiisset, corpus tollentem, *splendidâ & pretiosâ obtexisse veste*, atque propriis humeris impositum inde deportâsse, ac *magnifico & sumptuoso linteo involutum* decenti sepulchro cōdidisse. Ubi utrumque tegendi cadavera morem, nempè aut sindone, aut vestimento, simul in uno observatum vides.

[y] *Vit. Patr. lib. 1. cap. 34.*

[z] *7. Hist. 14.*

CAPUT V.

De Subsidiis animarum, ORATIONE, ELEEMOSYNA, SACRIFICIO, *in Funeribus adhiberi solitis.*

I. TRANSITIO AD SUBSIDIA ANIMARUM.

ATQUE hæc quidem de Lotione, Unctione, ac Vestitione Defunctorum (quarum etiam omnium meminit Epiphanius oratione de Christi Sepulturâ) tamquam parerga: nunc ad potiora veniendum, & quæ non solùm corpus, sed maximè animam spectent: subsidia (inquam) & officia spiritualia, mortuis ad salutem animarū exhibita. Cùm enim animas immortales creatas esse, ac post corporis dissolutionem, bonas ad præmium, malas

& pallio, quibus tantum auri intextum fuerat, ut ex iis combustis auri pondo circiter quadraginta collecta sint: præter vascula multa ex crystallo & achate, aureos anulos variis gemmis ornatos, inaures, monilia, omnis generis muliebria ornamenta, gemmas, ac res pretiosas. Constantinopolitanum suggerit Nicetas [t] Choniates; dum ait Alexium Imp. ut ingens ab Henrico (quem Ammerigum vocat) Alemannorum Rege (fuit is Henricus dictus Sextus) imperatum auri tributum colligeret, cùm non aliunde daretur, veterum Imperatorum monumenta effodisse, nec ullis Romanorum Imperatoribus, quantumvis ob res gestas claris, quicquam præter saxeas tunicas reliquisse, *omni pretioso ornatu spoliatis*: ac ne Magni quidem Constantini loculum intactum, & inviolatum mansurum fuisse, nisi fures Imperatoris decretum antevertissent, & *aurea illius ornamenta* abstulissent: conflari autem eam rapinam, tamquam materiam profanam iussisse: sed eius muneris ministros duos paulò pòst infeliciter obiisse, alterum ardenti febre, aquâ intercute alterum. De ceteris Optimatibus illustre est exemplum clarissimorum ac piissimorum coniugum Romanorum Probi ac Probæ: in quorum monumento [tt], unà cum ossibus, inventa est auri copia ex *aureis vestibus*, aliisque sepulchralibus ornamentis. De aliis promiscuè testimonium est Athanasij [u] Magni, cùm ait, in grassatione Arianorum in Ecclesiam Alexandrinam, *sepulchra aperta* fuisse eo prætextu, quasi ipsum Athanasium quærerent, cùm nihil nisi *rapere & spoliare* studerent. Itémque Gregorij Nazianzeni in Iambicis adversus sepulchrorum effossores. Et Basilij [x], cùm in Ditescentes invehens, qui pauperibus eleemosynam impartiri post mortem differunt; *Ob rem relictam* (inquit) *nihilo plus te servi honorabunt, sed sepulchrum fortassè funerísque sumptus negligent, heredi placere studentes, & novâ quâdam philosophiâ dictitabunt: Quid cadaver nihil sentiens multis impensis honestare contendis? Nónne meliùs vestem hanc pretiosam superstitibus usui necessario servare, quàm frustrà humi cum cadavere tabescere sinere? Monumento item quid opus sumptuoso, aut quæ utilitas inanis sumptûs?*

[t] *Annal. lib. 1. de reb. gest. Alex. Ang. in fi.*

[tt] Baron. an. 395. ex Vegio.

[u] Ep. ad Solit.

[x] Hom. 7.

sumptus? Ubi *novam philosophiam* appellat, quæ contra receptos mores splendidi ornatûs, ac pretiosarum vestium essent. Quinimmò & inter monachos idem viguisse, apparet ex auctore Vitæ [y] Pachomij Abbatis Tabennensis in Ægypto; dum ait Monachos qui ibi decederent, solitos ad sepulturam deferri *indutos splendidis vestimentis*. Itémque ex Gregorio Nysseno, testante se in funere Macrinæ sororis suæ, quæ in monasterio Virginum obierat, eam *pretiosis vestibus induisse*: sed quòd non videretur decere corpus Virginis, quæ vili semper habitu usa fuerat, iam exanime ad sponsæ similitudinem ornatum ante reliquarum Virginum oculos poni, superiniectum ei fuisse nigrum pallium. Et apud Hieronymum in funere Blesillæ, quæ in humilitate vestium nihil dum viveret differebat ab ancillis, in exequiis, *nobilium præeunte ordine, aureum feretro velamen obtenditur.* Ac denique apud Eusebium [z] legimus, Asterium Senatorem Romanum, Marini Centurionis, simul atque martyrium pro fide Christi apud Cæsaream Palęstinę sub Imperio Galieni subiisset, corpus tollentem, *splendidâ & pretiosâ obtexisse veste*, atque propriis humeris impositum inde deportâsse, ac *magnifico & sumptuoso linteo involutum* decenti sepulchro cōdidisse. Ubi utrumque tegendi cadavera morem, nempè aut sindone, aut vestimento, simul in uno observatum vides.

[y] Vit. Pat. lib. 1. cap. 14.

[z] 7. Hist. 14.

CAPUT V.

De Subsidiis animarum, ORATIONE, ELEEMOSYNA, SACRIFICIO, *in Funeribus adhiberi solitis.*

I. TRANSITIO AD SUBSIDIA ANIMARUM.

ATQUE hæc quidem de Lotione, Unctione, ac Vestitione Defunctorum (quarum etiam omnium meminit Epiphanius oratione de Christi Sepulturâ) tamquam parerga: nunc ad potiora veniendum, & quæ non solùm corpus, sed maximè animam spectent: subsidia (inquam) & officia spiritualia, mortuis ad salutem animarū exhibita. Cùm enim animas immortales creatas esse, ac post corporis dissolutionem, bonas ad præmium, malas

ad pœnam evocari; omnium gentium, omnium ætatum, omniumque Philoſophorum atque Religionum conſenſu, (quæ naturæ vox à Deo hominibus inſita, credenda eſt) perſuaſum ſemper fuerit: & ex fide Catholicâ certum ſit, illas quæ in Dei quidem gratiâ ex hâc vitâ decedunt, ſed tamen habent reatum aliquem vel culpæ venialis, vel pœnæ temporalis peccato mortali debitæ, ac propterea neque rectà aſcendunt in cælum, quò nihil coinquinatum aut immundum ingreditur; neque ad infernum, unde nullus umquam regreſſus conceditur, delabuntur, cùm non mereantur pœnam æternam: ad quemdam medium locum deferri, ubi ſecundùm divinæ iuſtitiæ rationem tantiſper purgentur, dum penitùs à maculis expiatæ cæleſtem beatitudinem æternùm conſequantur: útque eam conſequantur, à viventibus iuvari poſſe, cùm aliis multis pietatis officiis, tum maximè *Oratione*, *Eleemoſyna*, & *Sacrificio*: ac demùm qui adverſus hanc fidem inſurgere præſumpſerunt hæretici, à Catholicis omniũ ſæculorum tractatoribus graviſſimo rationũ & auctoritatum pondere depreſſi iaceant: Nos ex inſtituto, hæc in Defunctorum Sepulturis, non ſolùm noviſſimis iſtis temporibus, ſed etiam vetutiſſimis illis ante Gregorij Magni tempora, ubiq; uſu continuo obſervata fuiſſe, luculentiſſimis probatiſſimorum auctorum teſtimoniis probaturi imus: ſi priùs unicam obiectiunculam diluerimus, quâ paſſim qui huiuſmodi ſuffragiorum uſum auferre moliuntur, aiunt, ſæpè dum putantur eſſe in Purgatorio illi pro quibus ea fiunt, eſſe in inferno, vel etiã in cælo, ac propterea vel fruſtrà, vel ſupervacaneè, ſuffragia fieri, cùm non proſint damnatis, nec ſint neceſſaria beatis.

II. SUBSIDIIS ILLIS QUOMODÒ ADIUVENTUR ANIMÆ DEFUNCTORUM.

[a] *Enchir. cap. 109. & 110.*

Sed potiùs diluat illam Magnus Auguſtinus[a], cui Novatores præ cunctis Patribus, libentiùs ſed adhærere dictitare ſolent: *Non negandum eſt*, inquit, *defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari, cùm pro illis* SACRIFICIUM *Mediatoris offertur, vel* ELEEMOSYNÆ *in Eccleſiâ fiunt. Sed hæc eis proſunt, qui cùm viverent, ut hæc ſibi poſteà prodeſſe poſſent, meruerunt. Eſt enim quidam vivendi modus, nec tam bonus, ut non requirat iſta poſt mortem;*

nec tam malus, ut ei non prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, ut ista non requirat; & est rursus talis in malo, ut nec his valeat cùm ex hàc vitâ transierit adiuvari. Cùm ergo sacrificia sive Altaris, sive quarumcumque Elcemosynarum, pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur; pro valde bonis, gratiarum actiones sunt; pro non valdè malis, propitiationes sunt; pro valdè malis, etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualiscumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt ut sit plena remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio. Et alibi [b]: *Non existimemus, ad mortuos, pro quibus curam gerimus, pervenire, nisi quod pro eis sive* ALTARIS, *sive* ORATIONUM, *sive* ELEEMOSYNARUM *sacrificiis solemniter supplicamus: quamvis non pro quibus fiunt omnibus prosint, sed iis tantùm quibus dum vivunt comparatur ut prosint.* (hoc est iis, qui gratiâ quidem divinâ præditi, sed tamen levioribus peccatorum maculis obstricti, vel pœnæ alicui temporali persolvendæ adhuc obnoxij, hinc emigrant.) *Sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere; ut nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint & debeant pervenire. Melius enim supererunt ista eis, quibus nec obsunt nec prosunt; quàm eis deerunt quibus prosunt.* Et quod dicebamus de prædictis suffragiis in re funerali, ita idem sanctus alibi [c]: *Pompæ funeris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio; vivorum sunt qualiacumque solatia, non adiutoria mortuorum.* ORATIONIBUS *verò sanctæ Ecclesiæ, &* SACRIFICIO *salutari, &* ELEEMOSYNIS, *quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuvari, ut cùm eis misericordius agatur à Domino quàm eorum peccata meruerunt.* HOC ENIM À PATRIBUS TRADITUM, UNIVERSA OBSERVAT ECCLESIA. &c. *Sit pro viribus cura sepeliendi, & sepulchra construendi, quia & hæc in Scripturis sanctis inter bona opera deputata sunt. Nec solùm in corporibus Patriarcharum, aliorùmque sanctorum, & humanis cadaveribus quorumcumque iacentium; verùm etiam in ipsius Domini corpore, prædicati atque collaudati sunt qui ista fecerunt. Impleant hæc homines erga suos officia postremi muneris, & sui humani lenimenta mœroris.*

[b] *De cur. pro mort. cap. ult.*

[c] *Serm. 32. de Verb. Apost.*

Verum illa, quæ adiuvant spiritus defunctorum, OBLATIONES, ORATIONES, EROGATIONES *multò pro eis observantiùs, instantiùs, abundantiùs impendant, qui suos carne non spiritu mortuos, non solùm carnaliter sed spiritualiter amant.*

I.
EXPOSITIO DEFUNCTORUM.

[d] *Hom. Il.* τ. *Eurip. in Hecub. Plat. in Phædo. & lib. 12. de leg. Demosth. orat. in Macart. Lucian. de luct. Herodian. lib. 4. Dio lib. 58. Cic. orat. pro Milo. Virg. Æn. 11. Senec. ep. 12. Suet. in Octav. c. 100. Pers. saty. 3. &c.*

[e] *Iul. Pollux. lib. 8. cap. 7. Hygin. fab. 274.*

ARBORES FERALES.

[f] *Virg. Æn. 3. & 6. Ovid. 3. Trist. 13. Horat. epod. od. 5. Sil. lib. 10. Plin. lib. 16. cap. 10. & 33. Fest. verb. cupress. &c.*

[g] *Stat. lib. 6. Theb.*

[h] *Plut. in Vit. Timol. & 5. sympos. 3. Plin. lib. 20. cap. 11.*

[i] *Eurip. in Alcest. Iul. Pol. l. 8. c. 7. Suid. verb.* ἀρδάνιον.

CAPUT VI.

De COLLOCATIONE *corporum, ad* PLANCTUS, *&* CANTUS, *antequàm efferrentur.*

QUÒD verò exhibeantur ista subsidia, vel circa corpora Defunctorum, antè aut in ipsâ illorum elatione, vel etiam ad monumentum, & subsequentibus diebus in aliis locis sacris: ut de his ordine dicamus, imprimis invenimus, defunctos post Lotionem, Unctionem, ac Vestitionem, Exponi ac produci, & quod propriè Latini *Collocare*, Græci προτίθεσθαι dicebant, solitos in vestibulo, locóque ædium omnibus patente. Meminerúntque huius ritûs priscis etiam Gentilibus usurpati, ipsorum auctores [d] tam Græci quàm Latini: cuius causam nonnulli [e] indicant, ut cerneretur mortuus, ecqua ei vis illata: alij communiùs, & ad praxim aptiùs, ut lugerentur, & laudarentur, non solùm à domesticis, sed etiam ab amicis, aliísque eò adventantibus ad indicia funestæ domûs; quæ pro foribus ponebantur ex piceâ & cupresso, arboribus [f] lachrymis & luctibus, Ditique seu Plutoni, ac Proserpinæ diis Inferorum, consecratis, quæ semel cæsæ numquam ampliùs repullulant: quæ & inde ferales, funereæ, & atræ dictæ: quibus & ipsæ pyræ ornari consuetæ; atque etiam nonnumquam [g] feretra ex eisdem confici: quemadmodùm apud Græcos [h] apio egere proverbij specie dicebantur qui periculosiùs ægrotabant, quòd ipsi eâ herbâ uterentur in rebus feralibus & sepulchralibus: quos & insuper ad fores ædium aquam lustralem apponere, & de capillis defuncti appendere, indicia domus funestæ, consuevisse constat [i]. Porrò hanc expositionem Romanis totos ipsos septem dies durâsse,

Servius [k] notat, & nos aliàs meminimus. Quod tamen accipiendũ de personis honoratioribus, ut interim quæ ad pompam exequiarum requirebantur apparari ritè possent. Vulgaribus enim funeribus, quia sine pompâ ducebantur, haud certa dies videtur statuta: quamvis nec ipsis pauperioribus defunctis deessent lotiones, unctiones, conclamationes, lamentationes, & alia quæ sine graviori sumptu officiosè præstari poterant.

[k] *In Æn.* 5.

II. PLANCTÛS USUS IN LEGE NATURÆ.

Usus & illâ, ac proculdubio honorificentissimè, antiquissimis Legis Naturæ temporibus, Magnus ille Pater credentium, & vir præstantissimus Abraham; cùm (ut ait Scriptura [l]) mortuâ Sarâ coniuge, *venit ut plangeret & fleret eam: cúmque surrexisset ab officio funeris*, egit cum Hethæis de loco sepulturæ. Nempè lavato corpore Saræ, aromatibus condîto, decenter vestito, collocatóque aliquo honesto habitationis loco, ac ceteris ad pompam funeris, iustáque ei ritè facienda præparatis; tum & ipse funebri habitu visitationes & consolationes amicorum excipiens, solemni luctu iterùm atque iterùm *flevit* eam; hoc est, fusis lachrymis dolorem ex charissimæ coniugis decessu animo conceptum abundantiùs prodidit: & *planxit*, hoc est, lugubri oratione laudavit, virtutes eius commemorando, & egregia in ipsum lugentem, alióſque merita enarrando. Qualis posteà fuit planctus Davidis [m] Regis super Saül & Ionathan necatos prælio; (licèt non ad ipsa illorum corpora factus:) & Ieremiæ [n] Prophetæ *lamentatio* super Iosiam bello cæsum. cùm & alioqui pertinuisse quoque ad *planctum* pompam funeris, tum sub Lege Naturæ demonstratum fuerit in sepulturâ Patriarcharum; tum nuper, cùm actum est de planctu facto super Stephanum Protomartyrem occisum à Iudæis.

[l] *Gen.* 23.

[m] 2. *Reg.* 1.

[n] 2. *Paral.* 35.

III. PLANCTÛS NOMINE SUFFRAGIA COMPREHENSA IN VET. TESTAM.

Nec adeò abs re, si pariter *Planctum*, & *Officium funeris* accipiamus de operibus satisfactoriis, ac piis suffragiis, iam eo tempore in gratiam mortuorum præstari solitis: quandoquidem scimus, & multi ex nostris cumulatissimè probârunt, nec ipsi eius sacræ institutionis hostes hæretici inficiari queunt, id posteà ab omnibus ubique gentibus atque Religionibus, uno eodémque instinctu na-

turali divinitùs omnium hominum animis infuso, communi consensu, & inviolabili usu receptum fuisse. Quo
[o] Cap. 16. & respexisse dicemus apud eumdem Ieremiam [o], Dominum; cùm gravissimam prædicens Iudęorum cladem, à se immittendam ob eorum defectionem ad deos alienos, prohibet ne Ieremias vadat ad *plangendum*, aut *consolandum* eos de mortuis suis; *quia* (inquit) *abstuli pacem meam à populo isto, misericordiam & miserationes*: quasi ita deserti fuissent à Domino, ut nec vivis consolationes, nec mortuis planctus, & officia iis exhiberi solita, profutura forent. Sanè ritus omnes, quos in funere Saræ tam ab ipso Abrahamo, quàm ab eius amicis observatos diximus, æquè paucis verbis significata reperias apud divi-
[p] Eccl. 7. num Ecclesiasticum [p], cùm admonet: *Mortuo non prohibeas gratiam: non desis plorantibus in consolatione*: & posteà expressiùs: *Fili in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare: & secundùm iudicium contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius; & fac luctum secundum meritum eius*. His enim locis, verbo *Gratiæ*, & *Iudicij*, æquè ac *Planctûs* intelligimus & luctum solemnem, & pompam funeris, & suffragia quæ fiunt circa defuncti corpus antequàm efferatur, vel in ipsâ elatione & sepulturâ; de quibus solùm temporibus est nobis modò sermo. Estque eorum illustre valdè exemplum libro secundo Macha-
[q] 2. Machab. 12. in fi. bæorum [q]; ubi post devictum prælio Gorgiam, cùm vellet Machabæus suos in acie peremptos sepulturæ dare, inventâ sub eorum vestibus latente mortis ipsorum causâ, nempè furto donariorum idolorum; primò omnes *ad preces conversi Deum rogaverunt, ut id quod factum erat delictum oblivioni traderetur*: ac subinde *factâ viritim collatione, duodecim millia drachmarum miserunt Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium*. Ubi luculenter vides, quas nuper Augustinus in funeribus commendabat *Orationes, Erogationes, Oblationes*. Fuisseque hunc ritum Veteris Testamenti, intelligitur ex libro *Mahzor*, quem vertit Genebrardus, quo & ritus continentur funerum, & officium exequiarum, & preces pro defunctis fieri solitæ. Nec poterat Machabæus ignorare quæ fieri consuevis-

sent, vel facienda essent; nec contra Legem Domini peccare; tum quòd esset ipsemet summus Iudæorum Pontifex, tum quòd nonnisi pro defensione Legis militaret.

IV.

Denique & fuisse ritus Collocationis & Expositionis defunctorum, de quibus agere cœpimus, etiam apud antiquos Iudæos receptos, Evangelica [r] apertè docet historia: ubi narratur, venientem Christum in domum cuiusdam principis Synagogæ, cuius filia erat mortua, invenisse ibi *tibicines*, & turbam *flentem & ciulantem*, & ingressum esse *ubi puella erat iacens*, nimirùm (ut interpretatur Ambrosius [s]) more [t] tunc ubique recepto, ut in omnis ductione funeris adhiberentur *tibicines*, ad incendendos excitandósque luctus. Necnon & *Præficæ* [u], hoc est mulieres, quæ mercede conducebantur ad deflendum & laudandum mortuum: quas eleganter, & ad munus appositissimè Servius [x] appellat *Planctûs principes, non doloris*: quippe quæ, etsi nihil eas dolor tangeret, tamen (ut ait Horatius [y]) dicebant, & faciebant propè plura dolentibus ex animo: dabántque ceteris plangendi modum per *Næniam*; nempè inconditum [z] carmen ad laudem compositum, quod à proximioribus, vel iis qui ad id conducti essent, lamentabili voce præcinebatur ad tibias. Eadémque omnia breviter recensens Tacitus [a], ait fuisse Romæ vulgi voces in Tiberium Aug. exprobrantis omissa fuisse in Germanici funere *veterum instituta, meditata ad memoriam virtutis carmina, & laudationes, & lachrymas, vel doloris incitamenta*. Omittimus autem plurima alia de his veterum testimonia; sed non omninò discrimen inter eiusmodi *præficas*, & *funeras*, de quibus Virgilius [b]: quod idem omninò est cum eo quod inter *ostentationem doloris*, & *dolorem*, constituit Seneca [c] philosophus; eiúsque (ut puto) imitatione Plinius [d] Iunior: cùm videlicèt dolor funerarum esset, hoc est propinquarum ad quas funera pertinebant; ostentatio, præficarum. Itémque Nænias dictas quoque esse Plauto [e] *Nugas*; ut erant reverà. Ac demùm triplicem fuisse Næniam: primam in exequiarum comitatu, secundam ad rogum, ter-

Præficæ.

PRÆFICÆ MULIERES.

NÆNIA TRIPLEX.

[r] *Matth. 9. Mar. 5.*
[s] *In Luc. 8.*
[t] *De quo vid. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7. Kirchm. lib. 1. cap. 5. & 6. Guther. lib. 1. cap. 13.*
[u] *Var. l. 6. de l. l. Fest. & Non. verb.* Præficæ.
[x] *In Æn. 9.*
[y] *De art. poet.*
[z] *Fest. & Non. verb.* Næn. *Cic. lib. 2. de leg.*
[a] *Annal. lib. 3.*
[b] *Æn. 9. vers. 486. & ibid. Cerd.*
[c] *Ep. 99.*
[d] *4. Ep. 2.*
[e] *Asin. act. 4.*

tiam ad tumulum: atque hanc tertiam, quæ mortuo accinebatur ultimò, precationis formulam continuisse, quę in populi circumstantis coronâ fundebatur à præficâ, dum corpus ureretur, & humaretur: eíque stans populus usque respondebat, dum consumpto cadavere, & collectis cineribus, diceretur novissimum verbum *Ilicet*; sicut annotavit Servius [f].

[f] *In Æn.* 6.

V. LAMENTATIONES IUDÆOR. IN FUNERIB.

Sed illud haud leviter observandum; illa carmina laudatoria fuisse etiam priùs Hebræis usurpata in funeribus: ut constat ex elegantissimis Epicediis, quæ David [g] Rex composuit in laudem Saulis Regis, & Abneris ducis: quos & *Planctus* appellat, doloris, ac pietatis, & singularis cuiusdam benevolentiæ plenos. Necnon ex carmine lugubri, quo Ieremias [h] Propheta luxit Iosiam Regem; quóque Iudam [i] Machabæum planxit omnis populus. Pertinétque insuper ad Nænias quas diximus, similitudo aliàs à CHRISTO [k] allata, *Lamentavimus, & non planxistis*: & quod apud Ieremiam [l] ad futuram urbis Ierosolymæ ac templi devastationem, & veluti funus, iubentur vocari *Lamentatrices*, & mulieres huius artis peritas, quæ assumant super eam lamentum, & exciant lachrymas oculis Iudæorum, doceántque alias feminas lamentum & planctum. Itémque apud Ezechielem [m] prædicitur, in Tyri civitatis interitu, eos qui soliti fuissent eius obire nundinas, assumpturos super eam *carmen lugubre*, & *plancturos* eam. Et apud Amos [n], ad planctum calamitatis Israëlitarum vocandos fore *eos qui sciunt plangere*. Et in Historiâ [o] Machabæorum impius Iason dicitur *illamentatus* & insepultus abiectus esse. Ac denique Iosephus [p] Iudæus de seipso credito mortuo agens, ait per dies triginta numquam lamenta Ierosolymis cessâsse; magnâque mercede conductos fuisse tibicines, qui illis in lamentationibus præcinerent. Ut ex his non solùm intelligas, fuisse hanc ab antiquo, Iudæorum æquè ac reliquarum gentium consuetudinem; verùm etiam duritiem cordis eorumdem Iudæorum admireris, quòd eo ipso tempore quo & illorum hostibus miserrima gentis conditio veras miserationis lachrymas eliciebat, ipsis tibicinum

[g] 2. *Reg.* 1. & 3.
[h] 2. *Paral.* 35.
[i] 1. *Machab.* 9.
[k] *Matth.* 11. *Luc.* 7.
[l] *Ierem.* 9.
[m] *Ezech.* 27.
[n] *Amos* 5.
[o] 2. *Machab.* 5.
[p] 3. *de Bel.* 15.

num & præficarum ministerium ad qualemcumque luctum ex lapideo illorum corde & pumiceis oculis exprimendum necessarium esset. Apud quos & post immanissimas omnis generis acceptas clades, etiam ipso S. Hieronymi tempore hunc morem permansisse in Iudęâ, ut mulieres sparsis crinibus, nudatisque pectoribus, modulatâ voce omnes ad fletum concitarent; testatur ipse in commentariis ad prædictum Ieremiæ locum. Quinimmò & solemnem quamdam antiqui illius Iudæorum Planctûs formulā reserat nobis sacra Scriptura, dū apud eumdem Ieremiam [q] de impio Rege Ioakim insepulto abiiciendo dicitur: *Non plangent eum, væ frater, & væ soror: non concrepabunt ei, væ domine, & væ inclyte.* De Sedeciâ verò sepulturam consecuturo, *Væ domine, plangent te.* Et cùm in libris Regum [r] Prophetam à leone occisum sic propheta alius, sepulchro eum condens, plangit, *Heu, heu, mi frater.* Quibus locis & *Planctûs* differentia observatur; ut domesticorum, aut parium funeris, esset lamentatio illa *Væ frater, & væ soror;* Regum autem, & magnatum, *Væ domine, & væ inclyte.* In *Mahzor* autem Hebræorum, de quo superiùs, quando minister qui officio præest, iubet è feretro corpus extrahi ut terræ mandetur; tum ipse cantat, tum cantanti responsant qui funus comitantur, orantes ut anima defuncti requiescat in pace; implorantésque Angelos & Patriarchas, ut aperiant ei portas paradisi Eden. Sicut & habuerunt Christiani prædictarum næniarum loco, sacrorum hymnorum cantum, de quibus paulò pòst.

[q] Cap. 22.

[r] 3. Reg. 13.

VI.

Nunc publicam Collocationem retractaturi, insigne prodimus eius exemplum, tam Iudæis quàm Christianis commune, ex S. Lucâ [f]; ubi ait, defunctam in Ioppe urbe Palæstinæ Tabitham Apostolorum discipulam, postquàm lota fuisset, *positam esse in cœnaculo:* accersitúmque Petrum Apostolum è proximâ civitate Lyddâ, reperisse adhuc illam in cœnaculo. Quod verò attinet ad *Viduas* illas, quas ibidem invenit flentes; videntur quidem illæ convenisse ob accepta à Tabithâ beneficia: verùm & credi potest, officij quoque solvendi causâ accessisse, quod defunctis debebant ratione gradûs quem obtine-

[f] Act. 9.

VIDUÆ DIACONISSÆ PRIMITIVÆ ECCLESIÆ.

bant in Ecclesiâ. quandoquidem post remotas [t] illas per creationem Diaconorum à ministerio mensarum, scimus ex Ignatio [u], Clemente [x] Romano, & Epiphanio [y], mancipatas eas fuisse aliis Ecclesiasticis functionibus in servitium mulierum fidelium, quod à viris absque pudore, vel improborum suspicione obiri non posset: quæ & ideo *Diaconissæ* [z] vocabantur, quamvis non nisi inter laicas adnumerarentur. Inter huiusmodi porrò ministeria, fuisse quoque officium funebre, cùm lavarentur, vestirentur, ungerentur, &c. mulieres defunctæ; nec difficile erit persuadere animis Christianâ pietate & honestate imbutis; & disertè videtur idem Epiphanius asserere, cùm ait eas inter cetera inservisse aliis mulieribus, quandocumque earum corpora nudanda fuissent. Fuerint ergo etiam ad huiusmodi ministerium aliquæ viduæ in domo Tabithæ defunctæ.

[u] *Ep. ad Antioch.*
[x] *3 Const. 15. & lib. 8. c. 28.*
[y] *Hær. 79.*
[z] *Vid. Baron. Annal. to. 1. an. 34.*

VII.

HYMNI AD CORPORA ANTEQUAM EFFERRENTUR.

Sed numquid etiam ad hymnos psallendos; sicut mos fuit dum adhuc corpora insepulta remanerent, (non tantùm cùm ducerentur, de quibus posteà) religiosa illis huiusmodi officia ab excubantibus persolvi? Id sanè (utut tandem apud Tabitham gestum fuerit) subsequentibus temporibus usu receptum, ex multis veterum testimoniis constat. Sic enim in Persecutione Licinianâ Severiano [a] martyrio affecto, quidã ex iis quibus ipse vivens suã commendaverat sepulturã, simul convenientes, *super eius corpus magnificè compositum, Hymnos cecinerunt, & quæcumque solent Christiani peregerunt.* ac deinde in patriam tulerunt. Sic Pachomio Abbate Tabennensi, qui Ægyptum & Thebaidem temporibus Constantini Magni mirificè illustravit, defuncto, *eius venerabile corpusculum discipuli eius, sicut decebat pro more, curantes, totam noctem super illud duxère pervigilem, Psalmos, Hymnósque canentes; sequenti verò die sepelierunt eum:* ut traditur in eius Vitâ [b], quam è Græcâ Latinam fecit Dionysius Exiguus. Sic & Gregorius Nyssenus in Vitâ S. Macrinæ sororis suæ, scribit se, cùm ea spiritum exhalâsset, in monasterio sacrarum Virginum cui illa pręfuerat, videntem virgines tantâ iacturâ perculsas, lachrymis & lamentationibus circa eius corpus diffluere; magnâ voce monuisse, ut *lamentationis cla-*

[a] *Metaphr. & Sur. 9. Sept.*
[b] *Vit. Patr. lib. 1.*

morem piâ Psalmorum decantatione commutarent: indéq; factum, ut *virginum cantu lamentationibus commisto resonaret locus; perfectámque esse nocturnam pervigilationem canendis Psalmis, ut in Martyrum celebritate.* (Ubi & *Vigilias* observes: quas, unà cum *Ieiunio*, habent pariter Acta [c] S. Laurentij, & alia plurima.) Hieronymus [d] in Epitaphio S. Paulæ nobilissimæ Romanæ matronæ, quæ relictis mundi pompis in pauperculo ad Bethleem condito monasterio abiecta vivere & mori elegerat, ait; cùm ei morienti adessent Ierosolymarum & aliarum urbium Episcopi, & sacerdotum inferioris gradûs ac levitarum innumerabilis multitudo; omnéque monasterium, virginum & monachorum chori replêssent: postquàm illa animam emisit, *Non ululatus*, inquit, *non planctus, ut inter sæculi homines fieri solet, sed Psalmorum linguis diversis examina concrepabant.* Et in Epitaphio Fabiolæ alterius nobilis Romanæ; *Necdum spiritum exhalaverat, necdum debitam Christo reddiderat animam; Et iam fama volans tanti prænuncia luctûs, totius urbis populum ad exequias congregabat: sonabant Psalmi, & aurata tecta templorum reboans in sublime quatiebat Alleluia.* (Ubi vocem observes *Alleluia*; quæ gratulantis magis est quàm dolentis: quasi gratias agerent Deo, quòd Fabiolam è vitæ laboribus liberâsset.) *Hic iuvenum chorus, ille senum, qui carmine laudes femineas, & facta ferant.* Et defuncto Paulo Eremitâ, Antonius (inquit in eius Vitâ idem Hieronymus) *obvoluto, & prolato foras corpore*, antequàm terræ mandaret, *Hymnos & Psalmos de Christiana traditione decantavit.* Augustinus [e] agens de obitu S. Monicæ matris suæ; *Ubi efflavit extremum spiritum, puer Adeodatus exclamavit in planctum, atque à nobis omnibus coërcitus tacuit: Eóque à fletu cohibito, Psalterium arripuit Evodius, & cantare cœpit psalmum: cui respondebamus omnis domus: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Audito autem quid ageretur, convenerunt multi fratres ac religiosæ feminæ & de more illis quorum officium erat funus curantibus*, &c. Ac ne patria exempla penitùs prætermittam, scribit auctor Vitæ [f] S. Medardi Noviomensis Episcopi, assertus Fortunatus, post eius obitum *corpore composito ac*

[c] Ap. Sur. 10. Aug.
[d] Ep. 27. & 30.

ALLELUIA IN FUNERIBUS.

[e] 9. Confess. 12.

[f] Ap. Sur. 8. Iun.

delato ad ecclesiam, nocte illâ exequialem cum multâ devotione celebratam esse Vigiliam; postridiè verò sublatum esse ad sepulturam. Et in Vitâ S. Radegundis Reginæ, quę mortuo viro Dei famulatum arctiùs in monasterio amplexa fuerat, à Bandominâ eius alumnâ scriptis traditâ, narratur, quòd illâ defunctâ, dum expectabatur adventus Episcopi ad eam efferendam, *Sanctimoniales omnes apud eius thorum stabant Psallentes: si verò psallentium voces vel paululum reticerent, mox planctus audiebatur intolerabilis.* Et in quodam Arelatensi [g] Concilio severè prohibitum fuit laicis, *qui excubias funeris observarent*, profana carmina Gentilitio more cantare, & quasi de fraternâ morte exultare, *ubi luctus & planctus flebilibus vocibus deberet resonare pro amissione chari fratris: & si cantare desiderent, Kyrie eleyson cantent.* Possemus etiam Expositionem corporis Constantini Magni ex Eusebio [h]; Iustiniani Senioris, ex Corippo [i]; Tiberij, qui Iustino Iuniori successit, ex Simocattâ [k]; & exemplum producere Cereorum ac Luminarium, quæ ad eorum corpora antequàm efferrentur, immensâ copiâ collucebant: sed quoniam scimus solitum quoque fuisse olim Ignem præferri [l] Imperatoribus viventibus maiestatis ergô: libentiùs temperamus ab iis, quæ etiam defunctis eiusdem solius honoris respectu tributa, (quandoquidem iisdem honoribus defunctos Principes, antequàm sepulturæ traderentur, aliquot dierum spatio colere moris fuisse, iisdem exemplis constat: quod & apud Sinas præcipuæ Literatorum sectæ in usu esse, Trigautius [m] narrat; & magnificentissimè Francorum Regibus præ ceteris omnibus posteriorum temporum Principibus præstari scimus:) quis rituum Ecclesiasticorum cavillator imperitus obiectare gestiret. Nec tamen ita omittimus, ut non eadem Catholicis tamquam certissima, ac valdè insignia eiusmodi ritûs documenta proponamus. Quæ & divinitùs approbata legimus in funere prædicti S. Medardi Noviomensis Episcopi; cùm (ut ait auctor eius Vitæ) mox ubi decessit, cæli *aperti sunt, & divina Luminaria ferè per duarum horarum spatium ante Sancti apparuêre præsentiam, de tenebris eum transitoriis ad lucem de-*

g Post Arel. Conc. III.

h 4. de Vit. 66.

i Lib. 3.

k Lib. 1. Hist. Mauric. cap. 2.

l Herodian. lib. 1. & 2. Anton. de Vitâ suâ: Codin. de Off. Constant.

m Lib. 1. c. 7. & 10.

ſignantia pro certo transiſſe perpetuam. Sicuti & paulò antè in obitu S. Benedicti; cùm eius anima viſa eſt in cælum ire *pallio ornata pretioſiſſimo, fulgentibus circùm Lampadibus.* & alia eiuſmodi quamplurima.

CAPVT VII.

De CEREIS, *&* LAMPADIBUS *in Funeribus.*

I.

QUÒD enim in funeribus apud antiquos Chriſtianos Cerei, ſeu faces atque Lampades adhiberentur, multa alia ſuppetunt probatiſſimorum auctorum teſtimonia: quorum etiam nonnulla iam retulimus in ceterorum rituum expoſitione; ut ſunt illa ita inter ſe connexa, ut non facilè diſiungantur. Fuerunt quidem & Gentilibus in uſu [n] quotidiano, etiam in diurnis funeribus: adeò ut *funus* à *funalibus* accenſis antiqui Grammatici [o] dictum exiſtimârint: quamquam mos hic primò apud eos, quòd mortui noctu efferrentur, fortè causâ minuendi ſumptûs, vel ne ſacra divina [p], aut Pontificum oculi eorum occurſu violarentur: unde & *Veſpillones*, qui mortuos efferebant, quaſi *Veſperones* dictos volunt [q]. Quem priſcum morem, poſteà omninò deſitum, niſi fortè in pauperioribus, abrogatâ diurnâ elatione, Iulianus Apoſtata lege [r] latâ educere conatus eſt: non tam quòd (ut voluit videri) funeris occurſus infauſtus haberetur; quàm odio Chriſtianorum, quorum ſplendor rituum funebrium infeſtis eius animi & corporis oculis acerbum nimis dolorem gignebat. Quippe longè aliâ ratione, atque ſublimiori, Cereos in exequiis Chriſtianorum deferri, Chryſoſtomus [ſ] nos docet: nempè quòd mortui laboribus ritè defuncti, ſicut generoſi athletæ, ſolemni pompâ ovantes deducantur. Eſt enim Ignis, ſeu Lumen, ſymbolum lætitiæ, honoris, atque vitæ: indéque Lucernarum, & Lampadum uſus [t] apud omnes gentes ac Religiones, in feſtivitatibus, & locis ſacris, ac honore perſo-

[n] *Virg. Æn. 11. Plin. lib. 16. cap. 37. Sen. ep. 122. & de tranquill. cap. 11. Tac. Annal. 3. Apul. Flor. 4. Plut. tract. num. ſeni ger. ſit Reſp. &c.*

[o] *Serv. in Æn. 11. Donat. in Andr. Terent. Iſid. 11. Orig. 2.*

[p] *Serv. & Don. ibid. Tac. Annal. 13. Cic. lib. 2. de leg. &c.*

[q] *Feſt. verb. Veſp. Serv. ib.*

[r] *L. pergit audac. C. Th. de ſep. viol.*

[ſ] *Hom. 4. in ep. ad Hebr.*

AD QUID LUMINA.

[t] *Exod. 27. & 40. Iudith 3. 2. Machab. 4. Xenoph. lib. 8. Cic. lib. 3. de offic. Dio lib. 63. Ammian. lib. 23. Iuven. ſat. 12. Perſ. ſat. 5. Xiphil. in Avit. Can. Apoſt. 3. & 70. Tertul. de idol. cap. 15. & 2. ad uxor. 6. Hieron. cont. Vigil. Paulin. nat. 3. & 6. S. Felic. vit. Patr. lib. 3. num. 118. Balſam. de privil. Patriar. lib. 3. Iur. Gr. Rom. &c.*

[u] *Diodor. lib. 17. Iuven. sat. 3. Apul. lib. 2. metam.*

nis insignioribus exhibendo: & in luctu [u] ignis extingui solitus: quod omnibus notum. Ut rectissimè adhibeantur fidelium funeribus; tum in triumphum peracti feliciter agonis, ac testimonium immortalitatis animarum, futuræque corporum resurrectionis; necnon & fruitionis gaudij cælestis, ac participationis æterni luminis: tum etiam ad arcendas potestates tenebrarum, quæ quòd malè agant [x], oderunt lucem; ac propterea in æternum non [y] videbunt lumen: tum insuper ad demonstrandum, fuisse à defunctis impletum quòd Christus præcepit [z]; *Sint lumbi vestri præcincti, & Lucernæ ardentes in manibus vestris: & vos similes hominibus expectantibus dominum suum, ut cùm venerit & pulsaverit, confestim aperiant ei*: séque ipsos ad eumdem pari modo suscipiendum promptos & paratos esse: denique ut indicetur, ipsos obiisse in lumine fidei CHRISTI; qui est [a] lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; & Lucerna [b] sanctæ civitatis, ad quam fideles per mortem transeunt. Ut iam alias taceam multiplices Ignis ac Luminis proprietates & significationes, quæ non minùs his convenire possent. Quemadmodum & Hymnos quoque ac Psalmos eodem fine in excubiis & elationibus corporum defunctorum decantari, quo faces accendi, consuevisse, declarans Chrysostomus [c]; *Dic mihi* (inquit) *quid sibi volunt istæ fulgentes Lampades? An non Defunctos tamquam athletas deducimus? Quid etiam Hymni? An non Deum glorificamus, & gratias agimus quòd eum qui excessit iam coronaverit? quòd à laboribus liberaverit? quòd abiecto metu eum apud se habeat? Nónne ideò sunt Hymni? nónne ideò psalmodiæ? hæc omnia sunt lætantium.* Dixeris sumpsisse Chrysostomum à Magno Dionysio Areopagitâ, cuius scripta optimè novit. Is enim de Ecclesiasticâ Hierarchiâ [d] disserens, ubi ad sepulturam mortuorum pervenit: *Propinqui eius qui mortuus est*, inquit, *pro iure divinæ propinquitatis, ac morum similitudine, & eum, qualis est, beatum esse ducunt, quòd ad victoriæ finem peroptatò pervenerit, & victoriæ auctori gratias cum Cantu agunt; & prætereà se ad similem finem pervenire optant: sumptúmque eum*

[x] *Ioan. 3.*
[y] *Psal. 48.*
[z] *Luc. 12.*
[a] *Ioan. 1.*
[b] *Apocal. 21.*
ET HYMNI.
[c] *Hom. 4. in ep. ad Hebr.*
[d] *Cap. 7.*

ad Antistitem portant, quasi ad sanctarum coronarum donationem. Ille autem eum libenter accipit, eáque perficit omnia quæ ex sancto instituto fiunt in iis qui sanctè dormierunt. Et infrà: *Pro hâc diviná iustitiâ agens gratias Antistes, sanctam precationem adhibet, veneratione̊que dignam divinitatem laudat, quod & tyrannicum in nos imperium deleverit, & nos ad sua iustissima iudicia transtulerit. Divinarum autem promissionum Cantus & recitationes, tum beatissimas sedes indicant, ad quas ij qui diviná perfectâque virtute præditi fuerint, in perpetuum deducentur: tum eum qui à vitâ hâc migravit sanctè excipiunt: tum etiam eos qui in vitâ manent, ad similem absolutámque virtutem hortantur.* Hæcque omnia etiam apud Gentiles adumbrata fuisse funebribus illorum cantibus, & mortuorum coronamentis, iam ostendimus superiùs.

II. NON OMNIS, SED IMMODERATUS FLETUS DAMNANDUS.

Nec tamen ex eo quòd isti Christianorum Cantus, lætitiam significarent; (sicut & gaudentis ac gratulantis vox *Alleluia*; quam æquè in eorumdem funeribus olim usurpatam fuisse, testantem audivimus Hieronymum) ideò minùs dicendi sunt in subsidium animarum defunctorum celebrari: (videlicèt ut huiusmodi psalmorum in charorum amissione modulatu, ac veluti mœstâ lætitiâ, propitietur Deus, & inducatur ad gaudium æternum eis impertiendum:) aut putandum, non deflendos ac lugendos esse mortuos. Sed ad lætitiæ argumentum psallendi hic mos trahitur, ut non quidem omnis, sed dumtaxat immoderata lugendi eos atque plangendi consuetudo ex animis hominum eximatur: Ex disciplinâ videlicèt ab Apostolo [e] traditâ, *ut non contristemur de dormientibus, sicut & ceteri qui spem non habent:* (spem scilicèt resurrectionis, & incorruptionis æternæ; ob quam *dormientes* vocari mortuos fusè superiùs diximus) & ex monitione Dominicâ; quam Cyprianus [f] sæpè sibi factam à Deo scribit: præceptúmque esse, ut contestaretur assiduè, *Fratres nostros non esse lugendos, accersitione Dominica de sæculo liberatos; cùm sciamus non eos amitti, sed præmitti; recedentes præcedere, ut proficiscentes, ut navigantes solent: desiderari eos debere, non plangi: nec accipiendas hic esse atras vestes, quando ibi illi indumenta alba iam sumpserint: occasionem dandam non esse*

[e] 1. Thess. 4.

[f] Tract. de mortal.

Gentilibus, ut nos meritò ac iure reprehendant, quòd quos vivere apud Deum dicimus, ut extinctos ac perditos lugeamus; & fidem quam sermone & voce depromimus, cordis & pectoris testimonio non probemus. Quomodò & Chrysostomus, qui sæpè invehitur [g] in luctus istos immoderatos, id præsertim se facere testatur, tum quòd Ethnicis materiam irrisionis præberent; atque offendiculo & impedimento essent, quominùs ad Christianam religionem converterentur, dum fabulam & illusionem putarent eius fidem quæ mortis contemptum prædicaret, & resurrectionem mortuorum adstrueret: tum quòd plerumque hoc muliebri morbo (ut vocat) eiulantes, non ex compassione, sed ostentatione ac vanæ gloriæ studio, præter omne decorum cruentarent nuda brachia, evellerent capillos, laniarent genas. Quod non solùm Hebræis olim Dominus [h]; verùm etiam Atheniensibus suis Solon [i], Romanis Decemviri [k], licèt ubique frustrà, severè interdixerunt.

[g] *Hom. 61. in Ioan. hom. 3. in ep. ad Philip. hom. 4. in ep. ad Hebr. &c.*

[h] *Levit. 19. Deuter. 14.*

[i] *Plut. in Solon.*

[k] *Cic. 2. de leg.*

III. DOLOR CHARORUM AMISSORUM TOLERANDUS.

Ceterùm moderatè lugere nullus umquam humanitatis particeps prohibuit. (Feras enim potiùs quàm homines, aut veriùs cautes, populos illos vocaveris, hominésve, qui nullum omnino luctum pro mortuis agnoverunt.) Quinimmò & idem Solon sapientissimus philosophus eas ab amicis expetivit, cùm dixit [l]:

Mors mea ne careat lachrymis: linquamus amicis
Mærorem, ut celebrent funera cum gemitu.

Et Euripides [m] ait, *à naturâ hoc hominibus innatum esse, ut etiamsi ob culpam quis moriatur, cupiat tamen ut amici eum defleant.* Et inter præcipua pietatis Antonini Pij Aug. argumenta iure adnumeratur [n], quòd cùm Marcus philosophus filius ipsius adoptiuus mortuum educatorē suum fleret, revocaretúrque ab aulicis ab ostentatione pietatis, dixerit ipse: *Permittite illi ut homo sit: neque enim vel Philosophia vel Imperium tollit affectus.* Ac rursùm ex Christianis Ambrosius [o]; *sunt lachrymæ pietatis indices, non illices doloris: non omnis infidelitatis, aut infirmitatis est fletus: alius est naturæ dolor, alia est tristitia diffidentiæ.* Et Augustinus [p] exponens quod dixit Apostolus [q], non contristandum esse

[l] *Ap. Cic. Tuscul. 1. in fi.*

[m] *In Phryx. ap. Stob. ser. 121.*

[n] *Ap. Capitol. in eius Vit.*

[o] *Orat. de ob. fratr. sui Satyr.*

[p] *Serm. 32. de verb. Apost.*

[q] *1. Thess. 4.*

esse de dormientibus: *Est* (inquit) *de mortuis eis qui diliguntur, quædam tristitia quodammodò naturalis. Mortem quippe horret, non opinio, sed natura. Nec mors homini accideret, nisi ex pœnâ, quam præcesserat culpa. Quapropter si animalia, quæ ita creata sunt ut suo quoque tempore moriantur, mortem fugiunt, diligunt vitam; quantò magis homo, qui sic fuerat creatus, ut si vivere sine peccato voluisset, sine termino viveret? Hinc itaque necesse est, ut tristes simus, quando nos moriendo deserunt quos amamus: quia etsi novimus eos non in æternum relinquere nos mansuros, sed aliquantum præcedere secuturos; tamen mors ipsa quam natura refugit, cùm occupat dilectum, contristat in nobis ipsius dilectionis affectum. Ideò non admonuit Apostolus, ut non contristemur, sed non sicut ceteri qui spem non habent. Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus, necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi: inde angimur, hinc consolamur; inde infirmitas afficit, hinc fides reficit; inde dolet humana conditio, hinc sanat divina promissio.* Et Hieronymus eâdem Epistolâ [r], quâ Paulæ luctum super obitu Blesillæ filiæ arguit, etsi inter alia dicat; *Lugeatur mortuus, sed ille quem gehenna suscipit, quem tartarus devorat, in cuius pœnam æternus ignis æstuat: nos quorum exitum Angelorum turba comitatur, quibus obviam Christus occurrit, gravemur magis, si diutiùs in tabernaculo isto mortis habitemus*: prudenter tamen addit: *Ignoscimus matris lachrymis; sed modum quærimus in dolore: si parentem cogito, non reprehendo quòd plangis: si Christianam & monacham, iis nominibus mater excluditur.* Nempè verus severúsque morum censor, quemadmodùm Chrysostomus, sic & ipse, ut nimium in omnibus luctum culpandum censet, ita maximè in iis qui sæculo valedixerunt. Denique quamvis etiam speremus defunctis benè esse post hanc vitam; quia tamen acerbitas illa, quæ est in separatione animæ à corpore, non potest nos non commovere: inde apprimè Gregorius [s] Nazianzenus dixit, *corporis elationem, coniunctam cum mœrore Lætitiam afferre.* Et Severus [t] Sulpitius, *Fidem flere prohibere, gemitum extorquere affectum.* Nec sine causâ indulget Spiritus [u] sanctus, ut *modicùm ploremus super mortuum, & in eum producamus lachrymas*; at paucis, quos enumerat, diebus. Est enim modus in

[r] Ep. 25.

[s] Orat. 2. in Iulian.

[t] Ep. 3. ad Basſul. de obit. S. Mart.

[u] Ecclis. 22. & 38.

rebus; quem hâc in parte sanctos quoque viros ac Deum timentes, omni sæculo ab orbis conditu hactenùs observâsse legimus. Et sicut scimus CHRISTUM[x] Dominum dixisse viduæ Naimiticæ funus filij deducenti, *Noli flere:* (flere enim prohibebat eum, quē mox excitaturus erat:) ita legimus ipsummet lachrymatum esse in morte Lazari: sicque moderatam super charos mortuos lachrymandi mensuram tradidisse. Quam & commendans alias[y] Chrysostomus: *Non ego* (inquit) *lugere, sed impudenter lugere veto. Non sum immanis, atque crudelis. Video naturam dolere, & id quotidianam requirere consuetudinem. Non licet nullo affectu moveri, quod & Christus ostendit: lachrymatus est super Lazaro: eius sequere exemplum: lachrymare, sed leniter, & prudenter, & cum Dei timore. Si hâc ratione lachrymas fundes, non resurrectionis diffidentiæ redargueris, sed ægrè ferre charissimi seiunctionem videberis. Nam & peregrè proficiscentes lachrymis prosequimur, non tamen ut mortuos: ita & tu lugeas, tamquam præmiseris peregrinum.* Déque hâc omni re agens pari pietate ac elegantiâ Paulinus epistolâ[z] ad Pammachium de obitu Paulinę eius coniugis; primùm eum laudat, quòd eam *non vacuam fletibus prosecutus, charo funeri iusta persolverit, piisque lachrymis perfusus exequias honoraverit.* Deinde *id quoque Deo placitum* monstrat divinæ Scripturę auctoritate, & exemplis Patriarcharum: ac demùm concludit, *Quare bona religio sepulturæ: bonæ lachrymæ charitatis, in quibus pater fidei Abraham matrem repromissionis eduxit: bonæ lachrymæ pietatis, quas Ioseph iustus impendit patri: bonæ & lachrymæ orationis, quibus & David stratum suum per singulas noctes rigabat. Sed quid Sanctorum mortalium prædicem fletus? Flevit & IESUS amicum; hanc etiam passionem de nostrâ infelicitate dignatus, ut mortuo infunderet lachrymas, & quem resuscitaturus erat virtute divinâ, infirmitate lugeret humanâ. Licèt in illo uno totam simul conditionem generis humani misericors & miserator Dominus deploraverit, & illis lachrymis peccata nostra fleverit & laverit. Idcircò & tuæ lachrymæ sanctæ & piæ, quia simili affectione manârunt; & dignam casti cubilis flevêre consortem, non diffidentiâ resurrectionis, sed desiderio charitatis.* Post quæ haud plus æquo luctui in-

[x] Luc. 7.

QUOMODÒ ET FLEVIT CHRISTUS, ET FLERE PROHIBUERIT.

[y] Hom. 61. in Ioan.

[z] Ep. 37.

dulgendum esse, rationibus & auctoritatibus e Scripturà petitis demonstrans, Pammachium hortatur; ut sicut ad ostensionem pietatis lachrymis usus esset, ita ad demonstrationem fidei resurrectionis eis modum afferret.

IV. Cùm autem soleant etiam lachrymæ [a] levare animi dolores iis qui eas profundunt; (quippè ut etiam scribit Cicero de iis agens, dolor speciem ignis gerit, qui dum plus tegitur, plus ignescit:) quantum in subsidium defunctorum effusæ adiumenti illis adferant, satis intelligere possumus ex singulari illarum virtute; quam cùm plerique omnes Patres eximiè prædicent, tum his verbis egregiè Ambrosius [b]: *Lavat lachryma delictum, quod voce pudor est confiteri. Lachrymæ ergo verecundiæ consulunt pariter & saluti; nec erubescunt in petendo, & impetrant in rogando. Lachrymæ, inquam, tacitæ quodammodo preces sunt: veniam non postulant, & merentur: causam non dicunt, & misericordiam consequuntur: nisi quòd utiliores lachrymarum preces sunt, quàm sermonum; quia sermo in precando fortè fallit, lachryma omninò non fallit: sermo enim interdum non totum profert negotium, lachryma semper totum prodit affectum.* Et expressiùs Ioannes [c] Climachus: *Maior ac potentior baptismate post baptisma (etsi audax dictu id videatur) fons lachrymarum est: Illud enim præcedentia nostra delicta purgavit, hoc verò posteriora. Atque illud quidem omnes ab infantiâ acceptum inquinamus, per hoc autem & illud repurgamus. Quod nisi divino munere datum esset omnibus, rarissimi omnino qui salvarentur inveniri potuissent.*

VIS LACHRYMARUM.

[a] Eurip. in Troad. & in Oenom. & alij ap. Stob. ser. 121. Cic. 1. Tuscul. Sen. ep. 99. &c.

[b] Serm. 48 de temp. & lib 10. in Luc. 13.

[c] In Scal. parad. grad. 7.

CAPVT VIII.

De CANTU, & LUMINE, in deductione Funeris.

V. SED ut tandem, qui à cantu excubiali pro defunctis, ad planctum excubantium & efferentium digressi sumus; rursùm à lachrymis funebribus, ad psalmodiam exequialem redeamus: *Honor mortuo* (inquit Chrysostomus [d], eodem quo suprà sensu) *non fletus est, non eiulatus; sed Hym-*

[d] d. hom. 61.

e Hom. 4. ad Hebra.

ni, & Psalmi, & vita optima. Et rursùm[e]: *Quânam de causâ, dic quæso, vocas presbyteros, & eos qui psallunt? Nónne ut consoleris? nónne ut eum honores qui excessit?* Quámque apposité psallatur in funeribus defunctorum, vel illud Augustini[f] declarat, quo inter alia plurima Psalmorum elogia ait, *Psalmum Dæmones fugare, Angelos ad adiutorium invitare: esse in nocturnis terroribus scutum, diurnorum requiem laborum; Angelorum opus, Spirituum cælestium thymiama spiritale.* Ut videas huius consuetudinis utilitatem, quâ videlicèt ille serpens veterator versutissimus, qui in omnem semper occasionem erectus est, ut à suo conditore avertat abripiátque animas, longè expellatur; cæleſtésque spiritus, veluti cognato carmine allecti, prompti ac faciles advolent, in regiam suam eos qui moriuntur in Domino, vel deducturi, vel comitaturi; ubi simul omnes divinas laudes Omnipotenti canant in æternum. Ceterùm de Psalmorum & Hymnorum funebrium, ac simul Luminum (de quorum etiam virtute iam actum) antiquo usu, testis etiam imprimis locuples est Epiphanius oratione de Christi sepulturâ; cùm facta ad Iosephum ab Arimathæâ, qui funus Domini sedulè curavit, apostrophe; *Quales*, inquit, *Lampades incendes luci inaccessæ, illuminanti omnem hominem? quales cantabis funebres Hymnos, qui indesinenter laudatur ab omni cælesti exercitu? num verò Lachrymas fundis, ut super mortuum, qui lachrymavit mortuum Lazarum, cúmque suscitavit? num verò & Planctum facis qui omnibus gaudium largitus est, ac tristitiam Evæ dissolvit?* Etut pluscula adiungamus exempla, (alia scilicèt quàm quæ domi adhiberentur in obitu defunctorum, antequam efferrentur; cuiusmodi multa superiùs retulimus:) eadem quæ suprà nobilissima Paula, *translata est* (inquit Hieronymus[g], qui eius laudes luculentâ oratione tractavit) *Episcoporum manibus, & cervicem feretro subiicientibus, cùm alij Pontifices Lampadas Cereósque præferrent, alij choros Psallentium ducerent.* Et longè antè Petro Episcopo Alexandrino, in Persecutione Diocletiani nobilissimum martyrium adepto, confluentes[h] undique Christiani, satagentésque singuli suprema pietatis officia ei cumulatè per-

f Prol. in Psal.

CANTUS UTILITAS.

g Ep. 27.

h Act. Ap. Baron. tom. 3. an. 310.

ſolvere; illum ſacerdotalibus veſtibus indutum, ſublatúmque humeris, triumphali pompâ, *habentes in manibus victrices palmas, ardentéſque Cereos, ac thuribula odoribus incenſis fumantia, ſacróſque victoriæ Hymnos concinentes*, detulerunt ad locum ubi cœmeterium ab eo conſtructum fuerat. Et in libro de Rom. Pontificibus, Marcellinus Papa & ſocij martyres eâdem Perſecutione Diocletiani, Marcelli in ſomnis à S. Petro admoniti miniſterio, *presbyteris, diaconis, Hymnis, ac Luminibus adhibitis*, ſepulti fuêre. Et qui etiam anteà in Perſecutione Valeriani glorioſiſſimum ſubiit abſciſſione capitis martyrium Cyprianus Carthaginienſis, (ut habent Acta [i] Paſſionis eius tunc ſcripta) *cum Cereis, & Scholaribus* (hoc eſt, diverſarum claſſium atque Scholarum clericis, haud dubium hymnos, & pſalmos de more canentibus: quamquam ſunt qui legant ex Iſidoro [k], *Scolacibus*, hoc eſt facibus:) *in areâ Candidi cuiuſdam Procuratoris cum magno triumpho ſepultus eſt*. Gregorius Nyſſenus in funere Macrinæ ſororis, *confluentem* (ut ait) *populum in genera diſtribuens, mulierúmque multitudinem admiſcens virginum choro, virorum autem turbam adſcribens Monachorum cœtui, unum quemdam ex utriſque ſtuduit aptum concinnúmque tamquam in pſalmos canentium congreſſu, ex communi omnium concentu aptè coniunctum ordinem inſtituere*: feretrúmque ipſemet unà cum alio Epiſcopo, & duobus de clero inſignibus viris ſubiit; *& ex utráque parte præcedebat non exiguus Diaconorum miniſtrorúmque numerus, qui omnes ordine progredientes accenſos Cereos manibus geſtabant: eáque pompa non carebat myſterio, cùm à principio ad finem uſque decantatio Pſalmorum eâdem voce, triplicíque canentium ordine, ſicut ille trium puerorum cantus abſolveretur*. Et oratione habitâ coram ampliſſimo Patrum Oecumenicæ Conſtantinopolitanæ Primæ Synodi Senatu in funere Meletij Patriarchæ Antiocheni (ut hinc probè intelligas, id profeſſum eſſe, quod univerſum Concilium, & cum eo Catholica Eccleſia piè crederet:) *Maris in modum condenſati innumerorum hominum populus unum continuum corpus univerſi erant, tamquam aquæ quædam circa tabernaculi pompam æſtuantes: & præclarus David mul-*

[i] Ext. ante Oper. Cypr.

[k] 10. Orig. 10.

IS RITUS COMPROBATIS IN SYNODO OECUM. CONSTANTINOPOL.

tifariam, multísque modis in innumeros ordines sese distribuens, inter diversæ simul & eiusdem linguæ homines, & circa tabernaculum tripudiabat: (intelligit psalmos Davidis linguis diversis decantatos fuisse: quemadmodùm Hieronymus ait, in exequiis S. Paulæ *psalmos in ordine personâsse Hebræo, Græco, Latino, Syróque sermone:*) *atque utrimque quasi ignei amnes continentibus facibus, tractu continuo perpetuóque fluentes, quoad oculi longissimè prospicere possent, porrigebantur.* Et Panegyri ibidem Constantinopoli habitâ in funere Pulcheriæ virgunculæ Theodosij Magni filiæ; *Lumen ignis multum & copiosum ex transverso utrimque continentibus cereis lampadibus prætendebatur: & magnus David suos Hymnos & laudum decantationes lamentationibus accommodavit; ac pro hilari choro, sumpto invicem tristi ac lugubri, cantilenis ad lamentationes invitavit.*

II. DE FUNERE CONSTANTII IMP.

Gregorius Nazianzenus oratione secundâ in Iulianum agens de funere Constantij Imp. (quem hic sanctus Pater sæpè laudâsse reperitur, non tam ex propriis ipsius meritis, quàm ex comparatione cum Iuliano perfidissimo apostatâ, qui ab eodem Constantio imprudenter evectus fuerat in Imperium) *Ille igitur publicis præconiis, faustísque omnibus, ac celebri pompâ deducitur, religiosísque etiam his nostris officiis, hoc est nocturnis cantionibus, ac Cereorum ignibus,* QUIBUS NOS CHRISTIANI PIUM E VITA DISCESSUM ORNANDUM EXISTIMAMUS. Quinimmò (ut addit) *multorum auribus disseminatum fuit, quòd cùm corpus Taurum montem superaret,* (obiit enim Mopsuestię Ciliciæ, eiúsque corpus continuâ pompâ Constantinopolim delatum est) *vox è summis locis à nonnullis exaudiebatur, velut psallentium & prosequentium,* (*Angelicarum, opinor, virtutum:*) *quod pietatis illi præmium erat, ac funebris remuneratio.* Quod quidem haud abhorreret à fide, si verè Constantius (prout Gregorius existimâsse videtur) pœnitens decessisse probaretur; cùm gaudium [l] fiat in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente. Nam & legimus in Vita [m] mirifici illius S. Symeonis, qui propter Christum *Salus*, hoc est stultus videri & appellari voluit, à Leontio Episcopo Cyprio scriptâ,

[l] *Luc.* 15.

[m] *Ap. Metaphr. & Sur.* 1. *Iul.*

necnon in Menologio Græcorum ubi de eo agitur, cùm post obitum à duobus pauperculis hominibus deferretur ad sepulchrum peregrinorum, *sine ulla funebri curâ, illotus, ac sine psalmodiâ, sine cereis, sine thuris suffumigationibus;* (vides sacros ritus in exequiis Christianorum servari solitos) auditos esse *choros Angelorum cum divinâ psalmorum harmonia* funus comitari. Ut iam taceam de quàplurimis omni certitudine constantibus exemplis, quibus sanctorum virorum animas cantibus cælestibus, & divinis luminibus ad paradisum delatas Historia Ecclesiastica nonnusquam attestatur: nos enim dumtaxat de iis quæ ad corporis sepulturam pertinent, modò agimus. Idem verò Gregorius oratione funebri in laudem fratris sui Cæsarij, ait eum ad Martyrum sacraria cum pompâ ductum, sanctisque parentum manibus honoratum, (vivebat adhuc Gregorius senior ipsius pater, Nazianzenæ civitatis Episcopus) *maternâ Cereorum gestatione* (λαμπαδηφορία: quæ vox ut candidam vestem significare potest, ita & pro luminum & facium gestatione usurpavit ipse Gregorius oratione secundâ de Paschate: ubi etiam Nicetas illam exponit δᾳδουχίαν) *pietatem mœrori subrogante, lachrymis à philosophiâ superatis, psalmodiis luctum sedantibus.* Symeon quoque Stylites, miraculum illud Orbis, postquàm obdormivit in Domino, à columnâ suâ (ut scribit [n] Antonius eius discipulus) *ductus est* ab Episcopis *cum Psalmis & Hymnis Antiochiam:* & exeuntes omnes de civitate in occursum eius, *cum Psalmis & Hymnis, & cum multis Lampadibus, portaverunt corpus ad ecclesiam.* Cuius sanctissimo imitatore Daniele [o], æquè Stylite dicto, mortuo, qui eius funus curàrunt, *statuerunt ex utrâque parte homines, qui Faces ferrent, & Lampades tenerent in manibus, & ea canerent quæ cani solent in decessu.* Ac denique ne ulli omninò quantumvis pauperum personarum funeri, psalmodia deesset, aut faces, providens Iustinianus Imp. Novellâ [p] Constitutione *de Exequiis defunctorum*, sancivit, non minùs quàm *octo Ascetrias, sive Canonicas,* quæ psallerent, & *tres Acolythos* qui cereos deferrent, cuivis funeri gratis assistere: libero ditioribus relicto, ut quotcumque vellent, suis

CANTUS CÆLESTES IN EXEQUIIS SANCTORUM.

[n] *Vit. Sym. Styl. cap. 19. & 21.*

[o] *Vit. ap. Sur. 11. Dec.*

[p] *Novel. 59.*

IUSTINIANI IMP. SANCTIO DE CANTU ET LUMINE.

sumptibus, pro labore & viæ longitudine constituto pretio, assumere possent. In cuius ipsius Iustiniani funere, quod descripsit Corippus [q],

[q] Lib. 3.

——Tota populus processit ab aulâ;
Mœstáque funereas accendunt agmina ceras.
Omnis in exequias sexus convenit, & ætas.
Hinc levitarum mirabilis ordo canentum,
Virgineus tonat inde chorus: vox æthera pulsat.

III. De Psalmodiâ item habes antiquissimum testimonium Clementis [r] Romani discipuli Petri & Pauli Apostolorum; dum è sublimi Petri Cathedrâ dictata Ecclesiasticę disciplinæ ceteris Episcopis & Sacerdotibus tradens; *Fratres vestros* (inquit) *cùm excedunt è vitâ, prosequimini cantu psalmorum.* Meminítque Dionysius [s] Areopagita Hymnorum in dormitione Beatissimæ Virginis Deiparæ decantatorum. De quibus Iuvenalis [t] Episcopus Ierosolymitanus, *ex priscâ ac verissimâ* (ut ait) *traditione,* asserit corpus B. Virginis *Angelico & Apostolico cantu funere elatum fuisse.* Quem ritum, præter exempla proposita observatum quoque Ierosolymis ab Apostolis, etiam vigente in ipsos à Iudæis persecutione, legimus in oratione [u] Nicetæ antiqui philosophi Christiani de martyrio & Inventione S. Stephani protomartyris, cùm ait, Apostolos *unà cum multitudine fidelium in psalmis & hymnis* tulisse corpus eius ad sepulturam. Paritérque Romæ in ipsis mediis persecutionibus Gentilium: dum in Actis Pudentis Senatoris Apostolorum discipuli traditur [x], *exequias eius celebratas esse in Hymnis & Canticis, iuxta traditionem ecclesiasticam.* Et in Actis [y] Stephani Primi Romani Pontificis, qui sub Valeriano martyrium consecutus est, dicitur, corpora nonnullorum Martyrum *a Clericis noctu sublata, cum Hymnis ex more* ab ipso Stephano Papâ *sepulta fuisse.* Itémque in Oriente: ubi Parthenius [z] Episcopus Lampsacenus, qui vixit sub Constantino Magno, comitantibus Episcopis, *cum Psalmis, & Hymnis, ac spiritualibus canticis depositus est in Oratorio quod ipse ædificaverat.* Et alibi [a] martyris Edesseni in Persecutione Licinianâ, corpus à Christianis, *cum Psalmis & Hymnis, ut par*

[r] Const. ult.
[s] De divin. nomin. cap. 3.
[t] Ap. Damasc. orat. de Assumpt. B. Mar. ex antiq. Hist. Euthym.
[u] Ap. Lipom. to. 6.
[x] Membrit. to. 2. Cod. Vatic.
[y] Ap. Baron. to. 2. an. 259. in fi.
[z] Ap. Metaphr. 7. Febr.
[a] Ap. Baron. to. 3. an. 316.

par erat, ſepultus eſt. Et ut alia Perſecutionum omittam, in pace Eccleſiæ, in monaſterio Tabennenſi Thebaidis, cùm aliquis è fratribus decederet, conſuetum fuiſſe *funus proſequi honorificè, pſalmos ſolitos concinentes*, legitur in Abbatis Pachomij Vitâ [b], quam è Græcâ Latinam fecit Dionyſius Exiguus. Narrátque pariter Palladius in Hiſtoriâ [c] Lauſiacâ, morem fuiſſe in monaſterio mulierum Tabennenſiotarum, ut cùm aliqua ex illis obiret, reliquæ eam ad ſepulturam concinnatam efferrent, ac ponerent ad ripam Nili proximè decurrentis; & monachi qui ex adverſo fluminis in alio cœnobio degebant, traicientes *cum palmis & ramis olivæ, & pſalmodiâ* ad ſua monumenta ſepeliendam ducerent. Sabâ quoque Abbate Palæſtinæ *mortuo* (inquit Cyrillus [d] in eius Rebus geſtis) *cucurrit ad ſacrum illius corpus multitudo innumerabilis; & univerſus ordo monachorum, & quicumque erant Epiſcopi: qui cùm quo par erat ornatu corpus compoſuiſſent, Hymnos & cantica ei de more canentes, piè admodùm & ſanctè inter duas eccleſias depoſuerunt.* Itémque Baſilius Magnus (ut ait Gregorius [e] Nazianzenus) *ſanctorum virorum manibus elatus eſt; pſalmodiæque a luctu vincebantur.* Ac mortuo Abraame Carrarum in Meſopotamiâ Epiſcopo, dum efferretur, (ut ſcribit Theodoretus [f]) *licebat alios audire pſallentes, alios lamentantes; & cum laudibus & lamentationibus ſanctum illud corpus ſepulchro mandavêre.*

[b] Ext. lib. 1. Vit. Patr. cap. 34.
[c] Cap. 39
[d] Ap. Baron. tom. 7. an. 531.
[e] Orat. 20.
[f] Hiſt. Patr. cap. 17.

IV. ALIA EXEMPLA DE OCCIDENTE.

In Occidente quoque, præter illa quæ dicta ſunt, Victor Uticenſis in Hiſtoriâ [g] Perſecutionis Vvandalicæ, quâ Religio Catholica ingentem cladem ab Arianis accepit in Africâ; *Quis*, inquit, *ſuſtineat, atque poſſit ſine lacbrymis recordari, dum præciperent noſtrorum corpora defunctorum ſine ſolemnitate Hymnorum cum ſilentio ad ſepulturam perduci?* Ex quibus videas quanti religioſum hoc opus æſtimare conſueſcerent Chriſtiani, dum eo caruiſſe inter omnium luctuoſiſſima adnumerarent. Quare eâdem Perſecutione [h], ſæviente licèt atrociſſimè Hunerico Rege, tamen nequicquam officij conſueti ante ipſos eius oculos imperterriti Catholici prætermittentes, occiſorum ſeptem monachorum corpora *diligenti tradiderunt ſepul-*

[g] Lib. 1.
[h] Append. ad Victor. in fi.

turæ, præeunte Clero venerabili Carthaginiensis Ecclesiæ cum Hymnis solemnibus. Sic in Hispaniâ Patres Concilij Bracarensis [i] Primi, dum prohibent ne illorum qui sibi ipsis manus violentas intulerunt, nec item catechumenorum *cadavera cum psalmis ad sepulturam deducantur*; satis declarant id solitum fieri in fidelium exequiis. Et in Toletano [k] Tertio, *corpora eorum qui divinâ vocatione ab hâc vitâ recedunt*, iubentur *cum psalmis, & psallentium vocibus ad sepulchra deferri in spe resurrectionis. Sic enim* (inquiunt Patres) *Christianorum per omnem mundum humari oportet corpora defunctorum.* Quod verò constituunt ibi Patres, ut cum Psalmis *tantummodò* funera deducantur; non quidem ita accipiendum, ut prohibere voluerint ceteros ritus in exequiis servari solitos, uti nonnullos hæreticos accepisse reperimus; sed tantùm, ut disertè ibi traditur, ad excludenda funebria quædam carmina, quæ vulgò defunctis cantari solebant à plebe; & abolendas ridiculas pectoris tunsiones, & proximorum aut familiarum percussiones. Sicuti & mox subiungitur prohibitio irreligiosæ consuetudinis, quâ vulgus per Sanctorum solemnitates, saltationibus turpibus & pravis canticis, officia divina dehonestabant.

[i] c. 16. & 17.

[k] c. 22. & 23. q. 2. c. qui divinâ.

V. Usus in his Ecclesiæ Gallicanæ.

In nostrâ quoque Sanctorum cœtibus fecundissimâ, & rituum Ecclesiasticorum observantissimâ Galliâ, postquàm Magnus ille toto orbe conspicuus Martinus spiritum Deo reddidit, *corpus eius* (inquit in eius Vitâ Severus) *usque ad locum sepulchri, Hymnis canora cælestibus turba prosequitur. Comparetur sæcularis pompa, non dicam funeris, sed triumphi: quid simile Martini exequiis conferetur? Illos confusis plausibus populorum honores insania; Martino divinis plauditur Psalmis, Martinus Hymnis cælestibus honoratur.* Et Chrotildis Regina (cuius pietati eadem Gallia magnâ ex parte conversionem debet Magni Clodovei viri sui) cùm *plena dierum*, ut scribit Gregorius [l] Turonensis, *bonisque operibus prædita, apud urbem Turonicam obiisset, Parisios cum magno Psallentium præconio deportata, in sacrario basilicæ S. Petri ad latus Clodovei Regis sepulta est.* Nec minùs piâ Radegande Reginâ defunctâ in monasterio, quod post

[l] 4. Hist. Fr. 1

Clotarij coniugis obitum sibi construxerat Pictavis: ubi sanctum eius corpus *cum Psalmodiis* deduci cœptum est, *tota congregatio lamentans (ita ut planctus eius superaret psallentium voces) pro psalmo lachrymas, pro cantico mugitum, pro Alleluia gemitum reddebant: & inter sonos fletuum, ac collisiones palmarum, ipsi quoque Clerici quorum erat psallendi officium, vix inter singultus & lachrymas antiphonam poterant explicare*: ut narrant Bandomina eius alumna, quæ Res [m] gestas descripsit; & Gregorius [n] Turonensis, qui funus curavit. Qui idem alibi [o] scripsit, à Guntheramno Rege Clodoveum ipsius nepotem *cum clero & populo, ac innumerabilium Cereorum ornatu, ad basilicam delatum esse tumulandum*. Et in Vitâ S. Lupicini [p] Reclusi ait, ipsum è vico ubi obiit, delatum esse in alium ad sepulturam, *dispositis in itinere psallentium turmis, cum Crucibus, Cereis, atque odore fragrantis thymiamatis.* Ubi rursùm vides *Cereos* cum *Psalmis*: item & *Cruces*, quòd in formam Supplicationum, seu Processionum funera ducerentur: & ut qui funus vident, intelligant servum Christi crucifixi fuisse qui effertur: ac demùm *Incensum thymiamatis*, tamquam in re sacrâ.

m Ext. ap. Sur. 13. Aug.
n De glor. Conf. cap. 106.
o 8. hist. Fr. 10.
p Id. in Vit. Patr.

CAPVT IX.

De amplo COMITATU *Funerum.*

QUÒD enim honestiores, aut vitæ sanctitate ceteris præcellentes, magnâ hominum frequentiâ ad sepulchrum efferrentur; & satis intelligitur ex plerisque propositis pro Cereis & Psalmis exemplis; & probatur insuper extensioribus verbis Gregorij [q] Nazianzeni oratione de laudibus Basilij; ubi ait, in eius funere *plena fuisse fora, porticus, duplicia & triplicia tabulata, hominum deducentium, præeuntium, prosequentium, assectantium, multa millia hominum omnis generis & ætatis.* Et Hieronymi in Epitaphio [r] Paulæ, cùm ait, *totam ad funus eius Palæstinarum* I.

q Orat. 20.
r Ep. 27.

urbium turbam convenisse: ut sacrilegum putarent, qui non tali feminæ ultimum reddidisset officium. Necnon de Fabiolâ in eius Epitaphio [s]; ad famam eius obitûs, *totius Urbis Romæ populum ad exequias congregatum esse. Non sic Furium de Gallis, non Papirium de Samnitibus, non Scipionem de Numantiâ, non Pompeium de Ponti gentibus triumphâsse. Adfuisse præcedentium turmas, & catervatim in exequiis eius multitudinem confluentem.* Itémque Palladij [t] scribentis, mortuo S. Ioanne Chrysostomo in suo exilio, tantam multitudinem Virginum, tantúmque monachorum, & honestioris vitæ testimonio insignium in Syriâ, & Ciliciâ, & Ponto, & Armeniâ, agmen accurrisse, ut putarent plurimi ex condicto eos advenisse. Ac Sulpitij Severi [u] significantis Bassulæ, *in obsequium funeris B. Martini credi non posse, quanta hominum multitudo convenerit: totam civitatem obviam corpori ruisse, cunctos ex agris atque vicis, multósque ex vicinis etiam urbibus affuisse; monachorum etiam ad duo millia convenisse, &c.* Et Fortunati, sive alterius qui Vitam scripsit S. Medardi [x], asserentis ad eius funeris obsequium, *inæstimabilem accurrisse multitudinem nobilium, aliorumque è castellis ac civitatibus, agris, & municipiis adiacentibus.* Omittimus, quæ Eusebius [y] de funere Constantini Imp. ac Gregorius Nyssenus de [z] Pulcheriæ filiæ, & Flacillæ coniugis Theodosij Magni; aliique antiquioris illius ævi auctores, de ceterorum Regum, ac principum virorum Christianorum exequiis, & ingenti ad eas concursu hominum referunt; cùm facile fuerit ad pomparum huiusmodi ambitiones etiam absque ullo pietatis affectu gentes undique affluere: ut sunt etiam infinita exempla in Gentilium historiis, ac præcipuè apud Vitarum Scriptores. Quinimmò & in sacrâ Scripturâ illustrissima habemus eius moris testimonia; de Lege Naturæ in Iacobi [a] Patriarchæ funere: ad quod unà cum Iosepho ac fratribus eius convenerunt *omnes senes domûs Pharaonis, cunctique maiores natu Terræ Ægypti, & turba non modica.* De Lege Scriptâ, in Abneri [b] ducis exequiis; in quibus *Rex ipse David feretrum cum omni populo secutus est.* De tempore Christi Domini

[s] Ep. 30.
[t] In Dial. de Ioan. Chrys.
[u] Ep. 3.
[x] Ap. Sur. 8. Iun.
[y] Lib. 4. de Vit.
[z] Orat. de ear. funer.
[a] Gen. 50.
[b] 2. Reg. 3.

eóque comprobante, atque insigni miraculo funus illustrante; in filio [c] viduæ Naim, quem *efferebat turba civitatis multa*. Ita tamen ut in nullâ Religione turba adveniens indiscretè procederet aut confusè, sed per suas classes ordinati quique, Sacerdotes clerúsque seorsùm, seorsùm viri, itidémque feminæ: & in iis qui magistratu aut honore præcellerent, seiunctim, ut par erat, à vulgo: ut videre præcipuè est in funeribus indictivis & publicis tam Græcorum quàm Romanorum, aliarúmque politiorum gentium; quæ accuratè descripta reperiuntur ab antiquis [d] auctoribus. De Christianis autem, quæ tractamus, sunt in præcedentibus disertissima Ecclesiasticorum Scriptorum testimonia, quæ id exprimunt. Ut & aliud insigne Theodoreti [e] referentis funus Abraamis Carrarum Episcopi, quod *Imperator* (Theodosius Iunior, ut puto) *deduxit præcedens, & Reginarum Chorus consequens; omnésque & Magistratus, & qui ab iis regebatur populus, militésque, & privati.* Aliúdque eiusdem [f] de Macedonio Eremitâ; cùm ait, *eius obitum accepisse in hoc mundo dignum laboribus honorem. Omnes enim & cives, & externos, & quibus credita fuerat maiorum magistratuum dispensatio, ferentes eius sacrum lectum super humeros deportâsse in ædem sacram:* aliáque passim huiusmodi funeralium processionum exempla.

[c] Luc. 7.

[d] Plat. lib. 12. de leg. Plut. & Suet. in Vitis. Tac. in Annal. Appian. Dio. &c. in Histor. & vide Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7. & ibi Tiraq.

[e] In Hist. Patr. cap. 17.

[f] Ibid. cap. 13.

II. VIRI SANCTI HUMERIS ANTISTITUM, ET PRINCIPUM ELATI.

Quibus & observes, etsi vespillones erant & lecticarij constituti ad funera efferenda, (quod superiùs vidimus) sæpè tamen honoratissimos quosque vel ex defunctorum cognatis, vel ex magistratibus, vel etiam ex Antistitibus id muneris obisse: ut modò vidisti de corpore Macedonij, quod maiorum magistratuum humeris deportatum est: & paulò antè de Paulâ & Macrinâ, quarum feretris Episcopi colla subiecerunt: & narrat Fulgentij Ruspensis in Africâ Episcopi discipulus [g], eum *Sacerdotum manibus* delatum esse ad sepulturam: & Sidonius [h] Filimatiam matronam *non vespillonum sandapilariorúmque ministeria tumulâsse: sed cùm libitinam ipsam* (hoc est feretrum) *flentes omnes, externi quoque prensitarent, remorarentur, exoscularentur; sacerdotum, propinquorúmque manibus exceptam,*

[g] Ap. Sur. 1. Ianuar.

[h] 2. ep. 8.

[i] *Fortun. in Vit. S. Medar. Flodoar. 1. Hist. Rhem. 24.*

AMPLA GENTILIUM FUNERA.

[l] *Vid. Cerd. in Æn. 6. vers. 201.*
[m] *Ap. Plut. in Num.*
[n] *Val. Max. lib. 2. cap. 5.*
[o] *Appian. lib. 1. de Bel. civil.*
[p] *Suet. in Iul. c. 84.*
[q] *Suet. cap. 100.*
[r] *Plin. lib. 7. cap. 44. Valer. lib. 7. cap. 1.*

perpetuis sedibus illatam esse: aliique probatissimi auctores [i], Theodoricum & Clotarium Francorum Reges Christianissimos, Magni Clodovei filios *suis ipsorum humeris*, illum Theodorici Abbatis, istum Medardi Episcopi *corpora efferre*, sibi gloriæ, & honori duxisse: ut iam posteriora exempla omittamus. Idque ipsum Gentilibus in usu fuisse, docent [l] præ ceterorum numerosissimâ serie, funera Numæ [m] Regis, cuius *lectum Senatores subierunt*: Pauli [n] Æmilij, qui Macedoniam subegerat, cuius *funebri lecto principes Macedoniæ* qui tunc Romæ erant, *sponte suâ sese subiecerunt*: Syllæ [o] Dictatoris, cuius *sublatum in humeros lectum Senatores extulerunt*: Iulij [p] Cæsaris, *cuius lectum Magistratus, & honoribus functi detulerunt*: Octaviani [q] Augusti, qui *Senatorum humeris delatus est*: Ac speciosissimè Q. Metelli [r], qui raro felicitatis exemplo, *quatuor filiorum humeris, unius Prætorij, trium Consularium, duorum Triumphalium, unius Censorij, (quæ singula paucis contigêre) illatus est rogo.*

CAPUT X.

De CRUCIBUS *prælatis in Supplicationibus, & Funeribus.*

I.

QUOD verò (ut eò redeamus, unde digressi sumus) diximus Cruces funeribus prælatas, quoniam fiebant in formam supplicationum seu processionum; ne quis dubitare possit illas præferri consuevisse Processionibus, sicut hodie, ita antiquioribus illis temporibus; exemplum imprimis proferimus S. Ioannis Chrysostomi; quem tradunt [s] Socrates & Sozomenus, publicas processiones Constantinopoli instituisse adversus Arianos, cum hymnis & cãticis, *præeuntibus Crucibus argenteis, cum facibus accensis*. Inde, Porphyrij sanctissimi Episcopi Gazensis; quem Marcus [t] eius familiaris scribit processisse cum Christianis Gazensibus pluviæ impetrandæ causâ, *cum hymnis, præcedente Cruce*, ad ecclesiam: aliásque

[s] *Socr. lib. 6. cap. 8. Sozom. lib. 6. cap. 8.*
[t] *Ap. Sur. 26. Febr.*

cum clero & populo *psallendo processisse praeunte* pio viro, *qui venerandae Crucis portabat signum* ad Marnaeum purgandum. Postea, Anthemij Salaminae in Cypro Episcopi Orthodoxi; quem Alexander in Historiâ [u] Inventionis corporis S. Barnabae Apostoli ait, revelatione ipsi divinitùs de sacris illis Reliquiis factâ, toto clero ac populo convocato exiisse in eum locum, quem per revelationem didicerat, *Cruce praelatâ*. Deinde, Eleusij presbyteri auctoritatem; qui in Vitâ S. Theodori Sicaeotae, qui floruit sub Tiberio & Mauricio Augustis, meminit prodigij cuiusdam, quo contigit ut *cùm in oppidis finitimis Supplicationes fierent, Cruces quae gestari solebant per se concussae sunt & commotae*. Ac demùm, ne plura congeram, Iustiniani ipsius Imp. qui Novellâ constitutione [x] *de sanctissimis Episcopis*, omnibus laicis interdicens Litanias (seu supplicationes, aut processiones) facere sine Episcopis & clericis; prohibuit etiam *ne ipsae venerandae Cruces, cum quibus in Litaniis procedere mos erat, alibi quàm in sacris locis reponerentur: & quandocumque celebrandae Litaniae forêt, tunc ipsas sanctas Cruces acciperent dumtaxat illi qui ex more eas portare solerent*. Quas & praeferri solitas unà cum cereis in translatione sacrarum Reliquiarum, inter ceteros saepenumerò testatur Gregorius [y] noster Turonensis. Christianósque veteres in translatione Reliquiarum iisdem penè ritibus usos esse, quibus in funeribus; iam alij [z] observârunt.

[u] Ap. Sur. 11. Iun.

[x] Novel. 133. cap. 32.

[y] De mir. S. Mart. lib. 1. cap. 6. de glor. mart. lib. 1. cap. 44. de glor. confess. cap. 79. &c.

[z] Panin. de Coemet. cap. 15.

II. CRUCIS ENCOMIA.

Crucem autem iis praeferri, quàm fiat appositè, intelliget facilè, qui inter infinita, & eximia Sanctorum Patrum de illâ encomia, cōsideraverit unum S. Ioannis Damasceni [a]; quo ait, *per hanc Fideles ab Infidelibus distingui: hanc clypeum, atque armaturam, & trophaeum esse adversus diabolum: signaculum ne exterminator Angelus nos tangat: iacentium erectionem, stantium fulcimentum, baculum infirmorum, virgam ovium, resipiscentium adminiculum, proficientium perfectionem, animae & corporis conservationem, malorum omnium depulsionem, bonorum omnium conciliationem, peccati extinctionem, resurrectionis stirpem, lignum vitae aeternae*. Et alterum Cassiodori [b]; *Crucem esse invictam humi-*

[a] Lib. 4. Orthod. fid. cap. 12.

[b] In Psal. 4.

lium tuitionem, superborum deiectionem, victoriam Christi, perditionem diaboli, infernorum destructionem, cælestium confirmationem, mortem infidelium, vitam iustorum; resurrectionem mortuorum, cæcorum ducem, conversorum viam, claudorum baculum, pauperum consolationem, &c.

CAPVT XI.

De INCENSO, *&* THYMIAMATE, *in Funeribus.*

I. QUOD verò ad *Thymiama* attinet, quod æquè ac Crucem in funere S. Lupicini adhibitum vidimus ex Gregorio Turonensi: id etiam ipsum fuisse ubique à Christianis usurpatum, satis apparet ex eo quòd æquè vidimus anteà impensum in funere Petri Alexandrini, & desideratum in exequiis Simeonis Sali: & quod aliàs legimus ex Tertulliano [c], *pluris Sabæorum merces Christianis sepeliendis profligari, quàm Diis fumigandis*: quæ verba non modò accipienda de conditurà corporum, sed etiam de incensione thuris & aromatum, facilè intelligitur. Sic enim & cùm funus Iustiniani ducendum esset, Corippus [d] *thura Sabæa cremata fuisse* scribit. Idque prætermisisse grande piaculum existimatum, docet libellus Ischirionis Diaconi Alexandrini, oblatus adversus Patriarcham Dioscorum Patribus Magnæ Synodi [e] Chalcedonensis: quo inter alia datur gravissimo crimini Dioscoro, quòd eius avaritià factum esset, ut in funere Peristeriæ clarissimæ ac piissimæ feminæ, quæ moriens sua bona legaverat locis piis, *neque Incensum, quantum ad ipsum pertinuit, Deo offerretur.* Fit enim suffitus ad corpora fidelium defunctorum; quoniam qui piè moriuntur sunt (ut loquitur [f] Apostolus) *Christi bonus odor, & odor vitæ in vitam*: & ut insuper significetur, defunctos, acceptabiles obtulisse creatori suo, & reliquisse odores bonorum operum, quæ adhuc eis prosint: cuiusmodi sunt devotæ preces & orationes; quæ significantur à Davide [g] Rege per *Incensum*, seu thymiama quod adoleri solebat in templo:

AD QUID INCENSUM OFFERATUR.

[c] *Apol. cap.* 42.

[d] *Lib.* 3.

[e] *Act.* 3.

[f] 2. *Cor.* 2.

[g] *Psal.* 140.

plo: itémque ut indicetur, eosdem defunctos credidisse, se per mortem hanc temporalem ire ad veram immortalitatem, quâ futuri sint Dei participatione divini: siquidem thure [h] singulariter sempérque Deus sit honoratus; eíque thus oblatum ad eius insinuandam divinitatem & immortalitatem.

[h] *Leuit. 2. Matth. 2. & ibi Interpp.*

II. RITUS OMNES FUNERUM IN TESTAM. S. EPHRÆM.

Sed de his plus satis; déque ritibus in Elatione funeris consuetis: postquàm ultimò monuero, eosdem omnes distinctè enumerari in oratione percelebri Magni illius, & Sanctorum Basilij, Gregorij Nysseni, Chrysostomi, Hieronymi, aliorúmque clarissimorum virorum elogiis, propriisque scriptis celeberrimi Ephræm Syri; quam proximè moriturus adstantibus fratribus ac discipulis suis habuit; quæ eâ de causâ *Testamentum Ephram* est appellata: quos ut ipse pro insigni animi submissione, & humilitate Christianâ, quâ vivens præ ceteris virtutibus egregiè excelluit, in corpore suo exanimi observari magnâ contestatione prohibuit; ita eorum receptissimum usum luculentissimè confirmavit. *Nequis* (inquit) *ex vobis solemni pompâ ad ostentationem me circumferat: sed humeris tollentes me, & cursim comitantes, funúsque curantes, sepelite me tamquam opprobrium, despectum & abiectum: Ne quis vestrûm præconiis me celebret, ac laudet: vilis enim, & abiectus sum*, &c. *nam si actionum mearum odorem senseritis, omnes profectò fugam capietis; méque inhumatum relinquetis, non ferentes fœtorem peccatorum meorum. Qui verò me vestimento splendido amictum deposuerit; in tenebras exteriores proiicietur. Si quis autem Myrrhâ me condierit; huius pars in gehennæ ignem erit. Verùm in meâ me tunicâ & pallio deponite, quibus quotidie utebar atque induebar: siquidem peccatori, & vermi putredine pleno, cultus minimè convenit*, &c. *Interdico ne quisquam Cereum mihi in exitu meo accendat; ne ita æterno igne consumatur*, &c. *Oro vos, ne cum Aromatibus me sepeliatis: non enim insipienti conveniunt honores, neque gloria decet inglorium; neque alius boni odoris fumus eum, qui putredo est, & pulvis terræ. At date vaporationem fumi boni odoris in domo Domini; & me orationibus vestris potiùs comitamini, & aromata Deo offerte; me verò fletibus sepelite in doloribus conce-*

ptum: & pro suavi odore, aromatibúsque pellucentibus, vestris me orationibus adiuvate, obsecro, semper meî in ipsis memoriam facientes. Vestra porrò Incensa adolete in domo Domini, ad laudem & gloriam ipsius, &c. *Accedite ad me, & extendentes componite me; nam spiritus meus penitùs defecit: & comitamini me in Psalmis, atque Orationibus vestris: & assiduè pro meâ parvitate Oblationes facere dignemini: & quando diem trigesimum complevero, mei memoriam faciatis. Mortui enim in precationibus, & oblationibus, commemorationis sanctorum viventium beneficio afficiuntur.* Sed de Oblationibus posteà: priùs enim ordo rerum videtur requirere, ut agatur de Locis, ad quæ corpora deferri mos esset.

CAPVT XII.

De LOCIS *Sepulturæ Christianorum.*

I. DE quibus idem Ephræm solitâ sui abiectione: *Ne sinatis me in Domo Dei poni, aut sub Altari: non enim decet vermem putredine scatentem in templo ac sanctuario Domini reponi: sed neque alio in loco templi Dei permittatis me poni*, &c. *Præterea vos adhortor, obtestórque, ne me cum Sanctis ponatis: nam peccator ego sum, & minimus; & propter insipientiam ac stultitiam meam ipsis appropinquare metuo. Non autem ista dico, quòd societatem & coniunctionem illorum respuam; sed infinitam atque immensam peccatorum meorum multitudinem inspiciens, exhorresco & contremisco*, &c. *Neque in vestris monumentis me usquam deposueritis: non enim loculi vestrorum monumentorum ex captivitatibus meis me rediment. Causam verò ac rationem habeo, ut cum Deo meo habitem inter peregrinos, & advenas; quandoquidem & ego advena sum & peregrinus, sicut & illi. Cum iis ergo quiescere me faciatis; quoniam quilibet homo suo gaudet simili, atque consorte. In Cœmeterio igitur ubi contriti iacent corde, me deponite ac tumulate; ut quando filius Dei venerit, & resurgere illos fecerit atque reformârit, cum eis me sanet, resuscitétque.* Loca igitur sepulturæ vides, vel in Cœmeteriis publicis, vel in

templis & sacris ædibus. Nam & *Monumenta privata* iisdem locis honoratiores Christiani, sed à vulgo discreta, sibi suisve familiis habuerunt: quorum honorem deprecatus Ephræm, satis superque sibi delatum iri putavit, si publicè cum pauperioribus communem locum adipisceretur. Quali autem iure Gentiles, ac Iudæi in his uterentur, abundiùs ex supradictis intelligere datur, quàm ut illis ulteriùs orationem occupemus.

II.

PURITAS SEPULTURÆ CHRISTIANÆ.

Ceterùm Christiani Iudaicarum ceremoniarum onere levati, & Gentilitiarum superstitionum vanitate liberi; intelligentes unà cum S. Hieronymo [i], *Samaritanum & Iudæum esse, corpora mortuorum pro immundis habere*; ac propterea nullam pollutionem in conspectu vel contactu corporum eorum qui in Domino moriuntur arbitrantes, sed è contrà præcipuam pietatem in eorum tractatione & curatione collocantes: (quippe & Christum ipsum sciant, ut & adversus Iulianum Aug. observavit Cyrillus [k] Alexandrinus, filiæ archisynagogi mortuæ [l] manum tenuisse, & filij viduæ Naim [m] loculum tetigisse, & ad Lazari iam fœtentis sepulchrum [n] accessisse; ut vel his signis ostenderet, nullam eas res inquinationem afferre:) quamvis & ipsi primis illis temporibus, quibus Iudæorum, vel Gentilium, inter quos vivebant, civilibus ac politicis legibus tenebantur, æquè suos extra urbes sepelierint: (potuerunt tamen & tunc in eum sensum id convertere, ut eiusmodi funerum extra urbes deductione significatum vellent, defunctos iam peracto huius terrenæ civitatis incolatu, ad cælestem migrâsse, quam in perpetuum inhabitarent:) ubi tamen sacra Religionis suæ iura, ac religiosos suarum ceremoniarum cultus absque obice exercere obtinuerunt; cùm diligentem cautionem adhibuerint ne fœtor mortuorum vivos inficeret; (quæ civilis fuit [o] causa, cur pleræque omnes gentes suos extra urbes sepelirent:) iidem tamen de suorum æternâ salute magis solliciti, non solùm intra ipsas urbes, cœmeteriis ad hoc constitutis, mortuos suos sepelierunt; verùm etiam intra sanctas ecclesias, & sacra templa condiderunt: ad quæ etiam illos ipsos, qui in

[i] *Ep. [illegible]. ad Riparium cont. Vigil.*

[k] *Lib. 10.*

[l] *Mar. 5*

[m] *Luc. 7.*

[n] *Ioan. 11.*

[o] *Isidor. 15. Orig. 11. &c. Vid. Tostat. in Levit. 1c. q 9.*

cœmeteriis collocari, vel aliò tumulandi perduci debebant, deferre priùs consueverant, (sicuti & fit hodie à Catholicis) ut statæ & solemnes preces illic pro eorum animabus à sacerdotibus perficerentur. Quorum omnium antequàm aliqua, speciminis ergô, de more proferamus exempla; primùm monere visum, antiquatam iam tacitâ consuetudine legem de exterioribus sepulturis, demùm nequid ex eâ scrupuli populis remaneret, penitùs abrogatam fuisse à Leone Sapiente, seu Philosopho dicto, egregio Imperatore, editâ Constitutione [p]; quâ prædictam legem *inclementiæ* & *absurditatis* accusans, eámque *in humanæ naturæ dedecus atque opprobrium* vertere multis rationibus declarans; sanciendo prohibuit, *ne ullo modo inter civiles leges recenseretur; quin potiùs sicut iam à consuetudine rectè contemnebatur*, *sic etiam decreto* ipsius Imperatoris *prorsùs reprobata* sciretur; & ut *quicumque sive extra muros, sive intra civitatem sepelire mortuos vellet, perficiendæ voluntatis facultatem haberet.* Quod & inter Gentiles, nonnullis Romæ, aliisque locis permissum fuisse iam olim vidimus: videtúrque posteà concessum in Urbe Christianis à Maxentio; cùm volens eos à Constantini amicitiâ avellere, Christianam [q] & ipse religionem simulavit. Siquidem habet Anastasius in Vitâ Marcelli Papæ qui tunc vivebat, Marcellum *constituisse in Urbe viginti quinque titulos, propter baptismum, & pœnitentiam eorum qui converterentur ex Paganis, & propter sepulturam Martyrum.*

ABROGATA LEX DE EXTERIORIBUS SEPULTURIS.

p Leo Novel. 53.

q Euseb. 8. hist. 26.

CAPVT XIII.

De COEMETERIORUM *Christianorum antiquâ formâ, & usu.*

I.

IAM verò ut de antiquo usu COEMETERIORUM, ac subinde ECCLESIARUM, ad funera Christianorum, ex præscriptâ nobis ipsis vetustatis lege, paulò distinctiùs agamus; imprimis [r] constat (sicut iam diximus) extra urbes olim cogente lege, sicut & aliorum, ita & Christianorum fuisse loca sepulturæ; (nisi cùm aliqui clanculùm, quòd sæpiùs [f] accidit, cadavera mortuorum sustulissent, ac in ædibus propriis, hortísve domesticis, aut cryptis secretis intra mœnia sepelissent:) quæ frequentiùs *Cæmeteria*, quasi *Dormitoria*, ut abundè explicatum superiùs, à fide resurrectionis; interdùm etiam *Areæ* [ff], *Polyandria* [t], *Tumbæ*, *Catatumbæ*, sive *Catacombæ*, vel à loci naturâ *Cryptæ arenariæ*, in antiquis Ecclesiæ [u] monumentis dici consueverunt. Acceptâ, ut videtur, ab Hebræis consuetudine: quos in cryptis mortuos sepelisse, loculis in eis excavatis, docet exemplum Abrahæ [x], qui speluncam duplicem ad hoc emit: & quod Epiphanius [y] scribit, Iudæos appellâsse sepulchra *Tumbas*, nempè (ut ait) *speluncas in petris effossas ac constructas*. Unde & CHRISTI Domini monumentum, quod Iosephus ab Arimathæâ sibi paraverat, traditur ab Evangelistis [z] excisum fuisse in saxo, sive petrâ: fuisséque intra speluncam, eámque duplicem, (sicuti & fuerat illa Patriarchæ Abrahæ) intelligi datur ex eius descriptione, ab iisdem Evangelistis, & aliis antiquis [a] Scriptoribus editâ. Cuius quidem sepulchrorum modi petenda videtur ratio ex eo, quòd, ut Strabo [b] memoriæ prodidit, tota Ierosolymitana regio intra sexaginta stadia esset saxosa infernè.

[r] *Vid. Panvin. de Cœmet. cap. 11. 12. 13. Baron: to. 2. an. 226.*
[f] *Vid. Rom. Subter. lib. 3. cap. 66.*
[ff] *Tertul. ad Scap. cap. 3. Act. Pass. S. Cypr. in fi.*
[t] *Hieron. in Ierem. 1. & 19. & in Mat. 10.*
[u] *Martyrol. vetera, & lib. de Rom. Pontiff. &c.*
[x] *Gen. 23.*
[y] *Hær. 30. cont. Ebion.*
[z] *Matth. 27. Luc. 23.*
[a] *Cyril. catech. 14. Bed. de loc. Sanct. cap. 2. Burchar. de loc. Sanct. Baron. to. 1. an. 34. & to. 2. an. 226.*
[b] *Lib. 16.*

II. MODUS SEPELIENDI VETERES CHRISTIANOS.

Ad hunc igitur morem Christiani sibi Cœmeteria tum Romæ, tum alibi, in cryptis arenariis construentes; non in terrâ deorsùm corpora reponebant, sed excavatis de-

ſuper loculis in lateribus cryptarum fornices ſuſtinentibus : ut fidem faciunt quæ noſtris temporibus refoſſa ſunt ibidem Romæ ampliſſima ſubterranea Cœmeteria, multis atque diverſis viis & viculis, atque angiportibus & foris diſtincta : in quibus olim Chriſtiani non modò ſuorum corpora humabant, ſed & latebras tempore perſecutionis quærebant, & in eiſdem ſacros conventus agebant. Obſtupuitque Urbs, cùm in ſuis ſuburbiis abditas ſe novit habere civitates : ac pleniùs intellexit, quod de iis apud Hieronymum ac Prudentium legerat : cùm videlicèt ille [c] de ſeipſo Cœmeteria quolibet die Dominico viſitante hæc ſcribit : *Dum eſſem Romæ puer, & liberalibus ſtudiis erudirer, ſolebam cum ceteris eiuſdem ætatis & propoſiti, diebus Dominicis Sepulchra Apoſtolorum & Martyrum circumire : crebróque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defoſſæ, ex utrâque parte ingredientium, per parietes habent corpora ſepultorum : & ita obſcura ſunt omnia, ut propemodum illud Propheticum* [d] *compleatur : Deſcendant in infernum viventes : & raro deſuper lumen admiſſum, horrorem temperet tenebrarum, ut non tam feneſtram, quam foramen demiſſi luminis putes : rursúmque pedetentim acceditur, & cæcâ nocte circumdatis illud Virgilianum* [e] *proponitur,*

Horror ubique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent.

Et Prudentius [f] deſcribens locum, in quo repoſitum fuit corpus venerandum Hippolyti martyris; (fuit is, Cœmeterium Cyriacæ in agro Verano) ſic ait :

Haud procul extremo culta ad pomœria vallo,
Merſa latebroſis crypta patet foveis.
Huius in occultum gradibus via prona reflexis
Ire per anfractus, luce latente, docet.
Primas namque fores ſummo tenus intrat hiatu,
Illuſtrátque dies limina veſtibuli.
Inde ubi progreſſu facili nigreſcere viſa eſt
Nox obſcura, loci per ſpecus ambiguum.
Occurrunt cæſis immenſa foramina tectis,
Quæ iaciunt claros antra ſuper radios.
Quamlibet ancipites texant hinc inde receſſus
Arcta ſub umbroſis atria porticibus :

---

[c] Hieron. in Ezech. 40.

COEMETERIORUM SUBTERRANEORUM ROMÆ DESCRIPTIO.

[d] Pſalm. 54.

[e] Æn. 2.

[f] Periſteph. hym. 11. de S. Hippol.

Attamen excisi subter cava viscera montis
Crebra terebrato fornice lux penetrat.
Sic datur absentis per subterranea Solis
Cernere fulgorem, luminibúsque frui.
Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,
Propter ubi apposita est ara dicata Deo.
Illa sacramenti donatrix mensa, eadémque
Custos fida sui martyris apposita,
Servat ad æterni spem Iudicis ossa sepulchro,
Pascit item sanctis Tybricolas dapibus.

Nempè quòd (ut diximus) celebrarentur etiam iisdem locis sacræ synaxes, & supra mensam, seu tumbam, quæ corpus Martyris tegeret, offerretur Deo incruentum sacrificium, quo & fideles reficerentur. Quomodò verò sepelirentur iis locis Martyres, sic describit [g]:

[g] Ibid. ad pr.

Plurima litterulis signata sepulchra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt & muta tamen tacitas claudentia tumbas,
Marmora, quæ solum significant numerum.
Quanta virûm iaceant congesta corpora acervis
Nosse licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic defossa mole sub unâ,
Relliquias memini me didicisse hominum;
Quorum solus habet comperta vocabula CHRISTUS,
Utpotè quos propriæ iunxit amicitiæ.

Quantâ porrò frequentiâ fideles illuc accederent, sic describit [h]:

[h] Longè inferius.

FREQUENTARI SOLITA AD ORATIONEM.

Manè salutatum concurritur: omnis adorat
Pubes: eunt, redeunt, Solis ad usque obitum.
Conglobat in cuneum Latios simul, ac peregrinos
Permistim populos, relligionis amor.

Nec verò tunc tantùm cùm summa rerum ad Christianos pervenit, celebrabantur huiusmodi Cœmeteria pij populi concursu, honorandi gratiâ Martyres, quorum in eis sacræ quiescebant reliquiæ: (quæ & ideò sæpiùs ornata, ampliata, & restaurata à Summis Pontificibus reperimus [i]; quousque illa, quæ ibi sita erant Martyrum corpora, intra Urbem sunt delata, & in diversis Ecclesiis

[i] Anast. in Vit. Damas. Ioan. I. & III. Greg. III. Nicol. I. &c.

honorificentiùs recondita: quando & cessârunt fidelium studia in illis adeundis.) verùm etiam Persecutionum tempore erant Christianis veluti templa, & orationum loca, in quibus Episcopi Synodos congregabant, sacramenta administrabant, verbum Dei concionabantur: ut hæc omnia de Romanis locupletissimè demonstrãt Acta fidelissima [k] S. Stephani Papæ eius nominis Primi in Persecutione Valeriani; & singillatim Anastasius in vitis Romanorum Pontificum: ne alia testimonia hinc inde exquirendo tempus gratis terere in re compertissimâ videamur.

[k] Ap. Baron. to. 2. an. 259. 260.

III. INGENS EORUM NUMERUS.

Reperiuntur verò in iisdem, & aliis antiquis Ecclesiasticis monumentis, huiusmodi Cœmeteriorum ad Urbem Romam circiter sexaginta [l] nomina, à diversis Romanis Pontiff. aliisque piis utriusque sexûs personis, pro temporum & fidelium necessitate constructorum, eorumdémque appellationem retinentium. In quibus & multa cubicula, & multæ in eis sedes visuntur, ad functiones Episcopales & Pontificales appositæ. In iisdémque Fabianus [m] Papa, qui sub Decio passus est, *multas fabricas fieri præcepisse* traditur, (videlicèt ad commoditatem habitationis, & sacrorum mysteriorum usum:) Et Dionysius [n] *presbyteris divisisse Ecclesias, & Cœmeteria*, curanda scilicèt consignâsse. Quæ & eleganter *Concilia Martyrum* dicta [o] reperiuntur, quòd ibi multi collecti essent Martyres: sicut & Ambrosius adversus Symmachum, collegium sanctarum Virginum appellavit *Concilium Virginitatis*. Denique illud in more positum erat, ut cùm Imperatores Persecutionem in Christianos instaurare constituebant, primùm omnium edictis publicis eos à Cœmeteriis arcerent; ne facultas eis esset ritus suos inter se celebrandi, & consuetam pietatem in mortuos exequendi: ac contrà cùm pacem Ecclesiæ reddere volebant, eadem frequentare loca permitterent: quod idem erat, ac si plenissimam Religionis suæ libertatem disertim concessissent. Inde enim apud Tertullianum [p] acclamationes Gentilium Africanorum de areis sepulturarum Christianarum, *Areæ non sint*; hoc est, Cœmeteria

[l] Colleger. in unum Panvin. de Cœmet. cap. 12. Baron. Annal. to. 1. an. 226. Bos. in Rom. Subter.

[m] Anast. in eius Vitâ.

[n] Ibid. in Dionys.

[o] Martyrol. Rom. 23. Iun. Hieron. ep. 3. ad Heliod. Anast. in Vit. Damasi. &c.

IN PERSECUTIONIBUS PROHIBITA.

[p] Ad Scap. cap. 3.

ria

ria claudantur, vel evertantur. Inde in Cœmeterio [q] Callisti epitaphium Alexandri martyris: *O tempora infausta, quibus inter sacra & vota, ne in cavernis quidem salvari possimus! Quid miserius vitâ? Sed quid miserius in morte, cùm ab amicis & parentibus sepeliri nequeant?* Inde quod Cornelius Romanus Pontifex ad Lupicinum Viennensem de Persecutione Volusiani, seu Valeriani dictâ, scribens, testatur *publicè neque in Cryptis notioribus Missas agere Christianis licuisse.* Ac disertè Pontius S. Cypriani Diaconus in Actis eius Passionis tradit, ab eodem Valeriano promulgatum fuisse edictum, ut Christiani *nulla conciliabula facerent, neque Cœmeteria ingrederentur: quod qui facere comprehensus fuisset, capite plecteretur.* Quod & contigisse eâ de causâ Xysto Pontifici Romæ in eodem ipso *Cœmeterio*, in quo contra legem Imperatoris deprehensus fuerat, ex eodem Cypriano [r] constat: & contigit in Africâ ipsimet Cypriano, inde ad Proconsulem ducto. Déque eodem edicto apud Eusebium [s] Dionysius Alexandrinus, qui eius quoque vigore exulavit, scribit, sibi à Præfecto Ægypti dictum: *In hâc civitate* (Alexandriâ) *non liberum erit vobis versari; sed eritis in partes Libyæ relegati: neque usquam omninò vel vobis, vel aliis quibusque potestas erit, aut celebrandi conventus, aut in eâ quæ Cœmeteria appellantur ingrediendi.* Iisdémque vestigiis insistens Maximinus [t] Orienti imperans, cùm persecutionem in Christianos renovare statuit, imprimis *conventus in Cœmeteriis fieri solitos prohibuit.* Et anteà Gallienus [u] pacem Ecclesiæ reddens, imprimis iussit, *ut qui loca religiosâ quæ spectabant ad Christianos possiderent, ab illis confestim recederent;* & ut Episcopi *loca illa quæ Cœmeteria nominabantur, integram adeundi, occupandíque haberent potestatem.* Quæ à Gentilibus occupata Constantinus Magnus restituere iubens [x]: *Loca illa* (inquit) *quæ Martyrum corporibus honorata sunt, & monumenta gloriosæ illorum è vitâ discessionis, quis dubitet quin ad Ecclesias spectent? immò verò etiam quis non potiùs istud præciperet? quippe cùm neque munus præstantius sit, neque labor Deo gratior, vel quod plus habeat utilitatis, quàm divino spiritu adhortante, in his rebus diligentem operam & studium collocare.*

[q] Rom. S. ibid. lib. 3. cap. 23.

[r] Ep. 82. ad Success.

[s] 7. hist. 10.

[t] Ap. Euse. 9. hist. 1.

[u] Id. lib. 7. cap. 12.

IN PACE ECCLESIÆ PERMISSA.

[x] Euseb. 2. de Vit. 40.

honorificentiùs recondita: quando & cessârunt fidelium studia in illis adeundis.) verùm etiam Persecutionum tempore erant Christianis veluti templa, & orationum loca, in quibus Episcopi Synodos congregabant, sacramenta administrabant, verbum Dei concionabantur: ut hæc omnia de Romanis locupletissimè demonstrāt Acta fidelissima [k] S. Stephani Papæ eius nominis Primi in Persecutione Valeriani; & singillatim Anastasius in vitis Romanorum Pontificum: ne alia testimonia hinc inde exquirendo tempus gratis terere in re compertissimâ videamur.

[k] *Ap. Baron. to. 2. an. 259. 260.*

III. INGENS EORUM NUMERUS.

Reperiuntur verò in iisdem, & aliis antiquis Ecclesiasticis monumentis, huiusmodi Cœmeteriorum ad Urbem Romam circiter sexaginta [l] nomina, à diversis Romanis Pontiff. aliisque piis utriusque sexûs personis, pro temporum & fidelium necessitate constructorum, eorumdémque appellationem retinentium. In quibus & multa cubicula, & multæ in eis sedes visuntur, ad functiones Episcopales & Pontificales appositæ. In iisdémque Fabianus [m] Papa, qui sub Decio passus est, *multas fabricas fieri præcepisse* traditur, (videlicèt ad commoditatem habitationis, & sacrorum mysteriorum usum:) Et Dionysius [n] *presbyteris divisisse Ecclesias, & Cœmeteria*, curanda scilicèt consignâsse. Quæ & eleganter *Concilia Martyrum* dicta [o] reperiuntur, quòd ibi multi collecti essent Martyres: sicut & Ambrosius adversus Symmachum, collegium sanctarum Virginum appellavit *Concilium Virginitatis*. Denique illud in more positum erat, ut cùm Imperatores Persecutionem in Christianos instaurare constituebant, primùm omnium edictis publicis eos à Cœmeteriis arcerent; ne facultas eis esset ritus suos inter se celebrandi, & consuetam pietatem in mortuos exequendi: ac contrà cùm pacem Ecclesiæ reddere volebant, eadem frequentare loca permitterent: quod idem erat, ac si plenissimam Religionis suæ libertatem disertim concessissent. Inde enim apud Tertullianum [p] acclamationes Gentilium Africanorum de areis sepulturarum Christianarum, *Areæ non sint*; hoc est, Cœmeteria

[l] *Colleger. in unum Panvin. de Cœmet. cap. 12. Baron. Annal. to. 2. an. 226. Bos. in Rom. Subter.*

[m] *Anast. in eius Vitâ.*

[n] *Ibid. in Dionys.*

[o] *Martyrol. Rom. 23. Iun. Hieron. ep. 5. ad Heliod. Anast. in Vit. Damasi. &c.*

IN PERSECUTIONIBUS PROHIBITA.

[p] *Ad Scap. cap. 3.*

ria claudantur, vel evertantur. Inde in Cœmeterio [q] Callisti epitaphium Alexandri martyris: *O tempora infausta, quibus inter sacra & vota, ne in cavernis quidem salvari possimus! Quid miserius vitâ? Sed quid miserius in morte, cùm ab amicis & parentibus sepeliri nequeant?* Inde quod Cornelius Romanus Pontifex ad Lupicinum Viennensem de Persecutione Volusiani, seu Valeriani dictâ, scribens, testatur *publicè neque in Cryptis notioribus Missas agere Christianis licuisse.* Ac disertè Pontius S. Cypriani Diaconus in Actis eius Passionis tradit, ab eodem Valeriano promulgatum fuisse edictum, ut Christiani *nulla conciliabula facerent, neque Cœmeteria ingrederentur: quod qui facere comprehensus fuisset, capite plecteretur.* Quod & contigisse eâ de causâ Xysto Pontifici Romæ in eodem ipso *Cœmeterio*, in quo contra legem Imperatoris deprehensus fuerat, ex eodem Cypriano [r] constat: & contigit in Africâ ipsimet Cypriano, inde ad Proconsulem ducto. Déque eodem edicto apud Eusebium [f] Dionysius Alexandrinus, qui eius quoque vigore exulavit, scribit, sibi à Præfecto Ægypti dictum: *In hâc civitate* (Alexandriâ) *non liberum erit vobis versari; sederitis in partes Libyæ relegati: neque usquam omninò vel vobis, vel aliis quibusque potestas erit, aut celebrandi conventus, aut in eâ quæ Cœmeteria appellantur ingrediendi.* Iisdémque vestigiis insistens Maximinus [t] Orienti imperans, cùm persecutionem in Christianos renovare statuit, imprimis *conventus in Cœmeteriis fieri solitos prohibuit.* Et anteà Gallienus [u] pacem Ecclesiæ reddens, imprimis iussit, *ut qui loca religiosa quæ spectabant ad Christianos possiderent, ab illis confestim recederent;* & ut Episcopi *loca illa quæ Cœmeteria nominabantur, integram adeundi, occupandíque haberent potestatem.* Quæ à Gentilibus occupata Constantinus Magnus restituere iubens [x]: *Loca illa* (inquit) *quæ Martyrum corporibus honorata sunt, & monumenta gloriosæ illorum è vitâ discessionis, quis dubitet quin ad Ecclesias spectent? immò verò etiam quis non potiùs istud præciperet? quippe cùm neque munus præstantius sit, neque labor Deo gratior, vel quod plus habeat utilitatis, quàm divino spiritu adhortante, in his rebus diligentem operam & studium collocare.*

[q] Rom. Subterr. lib. 3. cap. 23.

[r] Ep. 82. ad Success.

[f] 7. hist. 10.

[t] Ap. Eus. 9. hist. 2.

[u] Id. lib. 7. cap. 12.

IN PACE ECCLESIÆ PERMISSA.

[x] Euseb. 2. de Vit. 40.

IV. SACRÆ FUNCTIONES IN IIS ADMINISTRATÆ.

Ex quibus videas, & fuisse huiusmodi Cœmeteriorum usum in universis Christiani orbis provinciis: eadémque tum extitisse sacra & religiosa, ratione sepulturæ fidelium; tum maximè quod mysteria Sacramentorum in iis celebrarentur, & quæcumque sacræ functiones ritè administrarentur, ceu in Ecclesiis divino cultui dicatis. De quibus vetustissimus Clemens in Constitutionibus [y] Apostolicis: *Convenite in Cœmeteriis ad legendum sacros libros, & psallendum hymnos pro mortuis martyribus*, (scilicèt in gratiarum actionem Deo pro gloriâ illis impertitâ) *& sanctis omnibus qui sunt à sæculo defuncti; ac pro fratribus vestris qui in Domino mortui sunt: & Eucharistiam Deo acceptam, antitypon, id est sacramentum regalis corporis vestri, offerte in Ecclesiis vestris, & in Cœmeteriis; atque etiam cùm excedunt è vitâ, prosequimini cantu psalmorum, si fuerint fideles.* Post tempora verò Gentilium, vigentibus novis hæreticorum persecutionibus, reperimus in eadem Cœmeteria se fideles recepisse, cùm ab Ecclesiis urbanis excluderentur. Sic enim in Actis Liberij Papæ traditur, ipsum iussu Constantij Imperatoris Ariani secundò exturbatum ab Urbe, *habitâsse in cœmeteriis* suburbanis, *Novellæ & Ostriano* nuncupatis; ibíque & quam plurimos ad se accedentes baptizâsse, ac cetera munia Pontificia exercuisse. Et S. Athanasius in Apologiis ad Constantium, & de fugâ suâ, testatur, Alexandriæ in hebdomade post sacram Pentecosten, populum Catholicum completis Ieiuniis, *ad orandum in Cœmeterium abiisse*, eò quòd abhorrerent à communione Georgij pseudoëpiscopi in eam sedem ab Arianis intrusi, qui ecclesias occupaverat. quod quidem fuisse Cœmeterium S. Petri Episcopi & Martyris Alexandrini, traditur in eiusdem Athanasij Vitâ. Et aliàs etiam ex quâdam oratione [z] S. Ioannis Chrysostomi intelligitur, morem fuisse Ecclesiæ Constantinopolitanæ in die Parasceves *ad Cœmeterium extra urbem* in concionem convenire, quòd simili die Christus ad mortuos descendisset.

V. FEMINÆ PROHIBITÆ IN IIS PERVIGILARE.

In Synodo autem Hispaniensi Eliberitanâ [a] providè cautum est, *ne feminæ in Cœmeterio pervigilarent; eò quòd*

[y] Lib. 6. cap. ult.

[z] Orat. 32. de Cœmet. appell. & de Cruc. Dom.

[a] Can. 35.

sæpè sub obtentu orationis scelera latenter committerent. Quò etiam spectat admonitio Chrysostomi [b], virginibus interdici debere pompas funebres, & publica pervigilia: quoniam novit ingeniosissimus diabolus, per bona opera suum virus disseminare. Et quod scribit item de novis nuptiis Synesius; non esse moris eas ad funus convenire. Sicuti & S. Aug. [c] maximè hortatur Aurelium Carthaginiensem Primatem, ut auferat *ebrietates & luxuriosa convivia, quæ in Cœmeteriis, tamquam in honorem Martyrum,* fœda consuetudine per universam Africam celebrari mos erat.

[b] *Lib. 3. de Sacerd.*
[c] *Ep. 64.*

VI.

Habuisse porrò & ceteros ubique Christianos sua Cœmeteria, cùm non sit locus dubitationi; non alias superaddimus probationum auctoritates, quàm quòd antiquissimus Tertullianus [d], necnon Optatus [e] Milevitanus, eorum etiã meminerunt; & Hieronymus in S. Ignatio, Cœmeterij Antiocheni Christianorum, quod erat extra portam Daphniticam. Itémq; quod ex Ioanne Climacho [f], Palladio [ff], & aliis constat, habuisse & ipsos monachos in Eremis viventes, sua Fratrum Cœmeteria: ac denique quod Ioannes Chrysostomus [g] scribit, omnem civitatem, & omne castellum ante ingressum habuisse sepulchra. Quamvis non ea semper in cryptis subterraneis essent, ut quæ descripsimus; sed etiam supra terram: (quale ad urbem Lugdunensem in Galliâ, quod describit Sidonius [h], ubi & avi ipsius tumulus:) ac potissimùm, postquàm summâ rerum ad Christianos Principes redactâ, liberum fuit Episcopis de rebus Ecclesiasticis pro arbitratu disponere: quando & publicis ecclesiis, sive templis, pleraque Cœmeteria exornata sunt, & distingui cœperunt ecclesiæ à Cœmeteriis; ipsáque Cœmeteria tam intra quàm extra urbes mortuis sepeliendis designari; & vel remota ab ecclesiis, vel proxima, sacris ritibus consecrari. De quibus etiam intelligendus Optatus [i], cùm Donatistis obiectat, eos basilicas Catholicorum invadere voluisse, ut sibi solis Cœmeteria vendicarent: satis his verbis demonstrans, fuisse illa vel intra ipsas Ecclesias, vel sanè iis contigua.

[d] *Lib. de anim. cap. 51.*
[e] *Lib. 6.*
[f] *Grad. 4.*
[ff] *Lausiac. cap. 39.*
[g] *Serm. de fid. & leg.*
FUERUNT ETIAM OLIM COEMETERIA SUPRA TERRAM.
[h] *3. Ep. 12.*
[i] *Opt. lib. 6.*

CAPVT XIV.

De Sepulturâ in ECCLESIIS.

I. Dari coeptа sepultura in Ecclesiis, ad participationem precum et sacrificiorum.

ACCIDIT porrò ut ſicut maiorum conſuetudine, etſi non iiſdem ſepulchris cum Martyribus, iiſdem tamen Cœmeteriis ſepelirentur aliorum etiam corpora Chriſtianorum: ſic tranſlatis iam ſub Chriſtianis Impp. Sanctorum Martyrum reliquiis in eccleſias publicas tam extra quàm intra urbes poſitas; in eiſdem pariter aliorum fidelium corpora cœpta ſint ſepeliri; quòd eos doceret Chriſtiana pietas, ſeſe hâc ratione participes fore ſacrificiorum & precationum quæ in eis fierent, & meritis Sanctorum quorum reliquiæ illic quieſcerent adiutum iri. Quod ſanctè edoctus in Eccleſiâ Catholicâ Conſtantinus Magnus, *ſano conſilio, ac providâ diſpenſatione*, (ut loquitur in eius Vitâ Euſebius [i]) in baſilicâ SS. Apoſtolorum, quam ædificavit Conſtantinopoli, ſepulchrum ſibi conſtituit; eò quòd ſic ſperaret *fore, ut defunctus quoque precationum, quæ ibi eſſent ad Apoſtolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur: ſicque quamplurimùm utilitatis illorum memoriam animæ ſuæ conciliaturam.* Non ſecùs ac olim Patriarchæ Legis Naturæ cupierunt [k] ſepeliri in terrâ Promiſſionis; quam aliquando Chriſtus vitâ & converſatione honeſtaturus eſſet, ac cruce & paſſione ſanctificaturus. Et de Gentilibus Ægyptiis narrat Plutarchus [l], eos qui fortunis & potentiâ excellerent, ſtudioſè ambiviſſe in urbe Abydo humari, quòd ibi ſepultum aſſererent Oſiridem magnum ipſorum deum, ut idem cum illo ſepulchrũ ſortirentur. Supráque Tuneta [m] in Africâ trium dierum itinere urbs eſt Carvenna, perantiqui templi religione, & ſanctiſſimorum Mahometanæ legis Sacerdotum collegio maximè venerabilis, atque ob id libera & immunis; in quâ functi fato Maurorum & Numidarum proceres, vel è longiſſimo terrarum tractu tumulantur: quoniam perſuaſum habent, eorum animas,

[i] 4. de Vit. 60.

[k] Gen. 47. 49. 50.

[l] Tract. de Iſid. & Oſir.

[m] Iov. lib. 33. hiſtor.

quorum ossa eo loco sita sint, uti puriùs expiatas, ad impetrandam cælestis vitæ felicitatem, illorum Sacerdotum accuratiore ceremoniâ superis efficacissimè commendari. Ita semper & ubique diabolus fucis suis imitari gestivit pia sanctorum officia, & opera.

II.

Porrò de Christianis S. Maximus [n] Episcopus Taurinensis, *Ideò, inquit, hoc à maioribus provisum est, ut Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus; ut dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat; dum illis Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo Martyribus quiescentes, evadimus inferi tenebras, eorum propriis meritis, attamen consocij sanctitate. Et ideò veneremur eos in sæculo, quos defensores habere possumus in futuro. Et sicut eis ossibus parentum nostrorum iungimur, ita & eis fidei imitatione iungamur. In nullo enim ab ipsis separari poterimus, si sociemur illis tam religione quàm corpore.* Et S. Ambrosius dilectissimum fratrem suum Satyrum, iuxta martyrem Victorem sepeliens, memoriam eius hoc celebravit tetrasticho [o] eiusdem salutaris consilij indice:

[n] *Homil. in natal. SS. Mart. Tauric. quæ est etiam ap. Ambros. conc. 6. de SS.*

QUÆSITA SEPULTURA AD MEMORIAS SANCTORUM.

Uranio Satyro supremum frater honorem,
Martyris ad lævam detulit Ambrosius.
Hæc meriti merces, ut sacri sanguinis humor
Finitimas penetrans adluat exuvias.

[o] *Ext. ap. Dungal. in Resp. cont. Claud. Taurin. ad fi.*

Idémque ipse Ambrosius [p] *dignum* existimans *ut ibi requiescat sacerdos, ubi offerre consuevit*, æquè *sibi locum* sepulturæ *prædestinavit* in basilicâ Ambrosianâ à se erectâ: in quam & transtulit corpora Sanctorum Martyrum Gervasij & Protasij, divinâ revelatione reperta. Sorórque eius S. Marcellina virgo, postpositis patriis sepulchris, suum corpus Româ iussit [q] transferri Mediolanum, fraternis reliquiis sub patrocinio Sanctorum sociandum. Ac Damasus Papa quodam epigrammate [r] de variis Sanctorum ordinibus in Cœmeterio Prætextati quiescentium conscripto, testatur se quidem magnoperè desideràsse iis associari, at reverentiâ absterritum se fuisse; cùm in fine sic ait:

[p] *Ambr. ep. 54. ad fi.*

[q] *Eius epitaph. ap. Baron. tom. 4. an. 383.*

[r] *Ap. Baron. 384.*

Hîc fateor Damasus volui mea condere membra,
Sed cineres timui sanctos vexare piorum.

Ambrosium tamen imitatus videtur S. Paulinus Nolanus Episcopus, dum ad finem panegyrici Celso puero dicti sic scripsit:

Quem Complutensi mandavimus urbe propinquis
Coniunctum tumuli fœdere Martyribus:
Ut de vicino sanctorum sanguine ducat,
Quo nostras illo purgat in igne animas.

[s] *Paulin. d. panegyr. & ap. Aug. de cur. pro mort.*

Qui & Cynegium [s] iuvenem, pio ipsius matris obsequutus desiderio, in basilicâ S. Felicis tumulavit.

III. QUID PROSIT SEPULTURA IN ECCLESIIS.

A quo S. Augustinus literis interpellatus, *utrùm prosit alicui post mortem, quòd corpus eius apud sancti alicuius memoriam sepeliatur;* egregium illum, *De Curâ pro mortuis agenda* tractatum conscripsit: in quo post multa de religione sepulturæ explicata, ad locum de quo agimus veniens: *Profectò*, inquit [t], *provisus sepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locus, bonæ affectionis humanæ est erga funera suorum: quoniam si nonnulla religio est ut sepeliantur, non potest nulla esse quando ubi sepeliantur attenditur. Sed cùm talia vivorum solatia requiruntur, quibus eorum pius in suos animus appareat, non video quæ sint adiumenta mortuorum; nisi ad hoc, ut dum recolunt ubi sunt positæ eorum quos diligunt corpora, eisdem Sanctis illos tamquam patronis susceptos apud Deum adiuvandos orando commendent. Quod quidem facere possent, etiamsi talibus locis eos humare non possent. Sed non ob aliud vel Memoriæ, vel Monumenta dicuntur ea quæ insignita fiunt sepulchra mortuorum; nisi quia eos qui viventium oculis subtracti sunt, ne oblivione etiam cordibus subtrahantur, in memoriam revocant, & admonendo faciunt cogitari. Nam & Memoriæ nomen id apertissimè ostendit; & Monumentum, eò quòd moneat mentem, id est admoneat, nuncupatur. Propter quod & Græci μνημεῖον vocant, quod nos Memoriam, seu Monumentum appellamus: quoniam linguâ eorum Memoria ipsa quâ meminimus μνήμη dicitur.* Ex quo (ut opinor) & Isidorus [u] *Monumentum ideò nuncupari* ait, quòd *mentem moneat ad defuncti memoriam. Cùm enim* (subdit) *non videris monumentum, oblivisceris mortuum: cùm autem videris, monet mentem, & ad memoriam te reducit ut mortuum recorderis.* Quod sanè longè minori efficacitate fieret, si monumen-

[t] *Cap. 4.*

[u] *15. Orig. 11.*

ta extra ecclesias, aut Cœmeteria consecrata collocarentur; quoniam non ita dispositum haberent intuentes animum ad orandum pro defunctis, ut habent cùm in locis sacris & orationi destinatis eorum memorias intuentur. *Cùm itaque* (ut pergit Augustinus) *recolit animus, ubi sepultum sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis; eidem Martyri animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus. Qui cùm defunctis à fidelibus charissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est iis, qui cùm in corpore viverent talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt.* Ita ut dicendum [x] sit, sepulturam huiusmodi non [x] S. Th. in 4.
prodesse defunctis ex opere operato, (ut loquuntur Sent. dist. 45.
Theologi) hoc est, ex vi solius sepulturæ; sed magis ex q. 2. ad 3.
opere operante; videlicèt ex patrocinio Sanctorum qui in locis sacris coluntur, & precibus eorum qui iis deserviunt, vel ad eos accedunt; aliisque sacris ceremoniis quæ circa corpora fiunt. Cùm alioqui certum sit ex S. Gregorio [y], aliisque Theologis, quos peccata gravia de- [y] 4. Dial. 50.
primunt, non ad absolutionem potiùs quàm ad maioris 51. 53.
damnationis cumulum eorum corpora in ecclesiis poni: quippe qui non solùm non sacris locis ad evitandum iudicium valeant adiuvari; verùm etiam si in iis sepeliri se faciant, restet ut etiam de suâ præsumptione iudicentur. Sicut & variis exemplis idem Gregorius suo tempore contigisse demonstrat: quibus manifestissimè apparet, vulgare tunc fuisse quibusvis cuiuscumque conditionis hominibus intra ecclesias sepeliri. Quod & rursùm prædictus Ambrosius [z] agens de loco sepulchri ab Abraha- [z] 1. de Abrah.
mo empto ad condendam coniugem, de suo tempore te- 9.
statur; dum scribit, Festinâsse eum pro loco Sepulchri pretium solvere, cùm gratis daretur; ut non in alienis locis, sed nostris potiùs ædificemus tumulos parentum, vel proximorum. Hoc autem ideò Abraham fecisse, *quia nondum erant huiusmodi Dei Templa, in quibus Fidelium in Domino reliquiæ conderentur.* Eóque pertinet antiquum epigramma [a]: [a] Ap. Gruter. Inscript. pag. 1056. num. 4.

Quà sinuata cavo consurgunt tecta regressu,
Sacratæque Crucis flectitur orbe caput,

Nazarius vitæ immaculabilis integer artus
Conditur; exultat hunc tumuli esse locum:
Quem pius Ambrosius signavit imagine Christi,
Marmoribus Libycis fida Serena polit:
Coniugis ut reditu Stiliconis læta fruatur,
Germanísque suis pignoribus propriis.

[b] Cap. 81. Et in Concilio Carthaginiensi [b] Quarto iubentur *mortui pœnitentes Ecclesiæ afferri, & sepeliri.* Hieronymus quoque in Epitaphio [c] Paulæ ait, illam in Bethlehem defunctam, primò in mediâ Ecclesiâ Speluncæ Salvatoris esse positam, ac deinde subter Ecclesiam iuxta specum Domini conditam. Et qui Vitam [d] S. Fulgentij Ruspensis Episcopi scripsit, tradit eum Sacerdotum manibus ad Ecclesiam civitatis quæ Secunda dicebatur, ubi etiam Reliquias Apostolorum constituerat, deportatum, sortitum esse honorabile monumentum. Sicuti & Cæsarius [e] Gregorij Nazianzeni frater, post mortem ad Martyrum sacraria cum pompâ ductus est. Et Macrina SS. Basilij & Gregorij Nysseni soror, (ipsomet Gregorio [f] teste) sepulta est in Ecclesiâ Martyrum, in quâ parentum etiam corpora quiescebant. Itémque apud Sozomenum [g] Eusebia diaconissa Macedonianorum, in reliquis fide præstans, cùm Reliquias SS. Quadraginta Martyrum, quovis terreno thesauro sibi chariores, apud se diligentissimè custodiret, moriens iureiurando monachos sibi fidos adstrinxit, ut se iuxta illas in Oratorio ad hoc extructo sepelirent. Ac pariter usu antiquo Ecclesiæ Alexandrinæ, sepeliri consuevisse corpora in Ecclesiis, testatus est Marcus Patriarcha in Interrogatis [h] ad Balsamonem Antiochenum. Reperiásque apud Theodoretum [i], & ex Galliâ nostrâ apud Gregorium [k] Turonensem, quamplurima eiusdem receptissimæ consuetudinis exempla: quæ & apud alios eorumdem sæculorum, ceterarum quarumvis nationum Scriptores, adeò sunt frequentia, ut operam luserim si plura hic congeram. Quemadmodùm & abstinendum censeo ab illo, ceteroqui validissimo ad hæc argumento, constructionis Ecclesiarum supra corpora & sepulchra Martyrum & Confessorum; tum quòd

[c] Ep. 27. ad Eustoch.
[d] Ap. Sur. 1. Ianuar.
[e] Greg. Naz. orat. fun. Cæs.
[f] Greg. Nyss. de vit. Macr.
[g] Lib. 9. cap. 1.
[h] Iur. Gr. Rom. lib. 5. interrog. 38.
[i] In Hist. Patr.
[k] In Hist. Fra. in Vit. Patr. & de glor. Confess.

quòd frequentatissimum atque notissimum si penes omnes gentes; tum ne mole rerum probatione non indigentium lectores obruam.

IV.

Plurimi tamen modestè licentiâ sepulturæ intra ecclesias accipiendæ usi, elegerunt in atriis illarum collocari, etiam maximi Principes, ut ceteros taceam. Quantumlibèt enim Constantinum Magnum Eusebius [l] asserat, *quem expetiverat locum unà cum Apostolorum memoriâ consecutum esse* Constantinopoli: haud tamen illud intelligendum esse de ipso interiori templo, sed de limine, seu vestibulo, expresè testatur S. Ioannes [m] Chrysostomus (qui cùm fuerit eius urbis Antistes, non potuit ignorare quod omnium oculis expositum erat) dum ait: *Hic quoque* (nempè Constantinopoli) *Constantinum Magnum filius* (Constantius) *ita demùm ingenti honore se affecturum existimavit, si eum in Piscatoris vestibulo conderet. Quódque Imperatoribus sunt in aulis ianitores, hoc in Sepulchro piscatoribus sunt Imperatores. Atque illi quidem, velut domini, interioris loci partes obtinent: hi autem velut accolæ & vicini, præclarè secum agi putàrunt, si vestibuli ianua ipsis assignetur.* De quo etiam intelligendum, quod Ammianus [n] ait, Valentiniani senioris cadaver missum esse Constantinopolim, *ut inter Divorum reliquias humaretur.* Eodémque sensu intelligas Sozomenum [o], dum scribit, à Constantino ductâ cōsuetudine Imperatores Christianos post obitum in eádem basilicá sepeliri solitos: necnon & Episcopos, eò quòd dignitas Sacerdotalis Imperij dignitati par sit, immò verò in locis sacris primas partes obtineat. Quod cùm ab Evagrio [p], aliisque posterioribus confirmetur; Cedrenus etiam atque Nicephorus [q] tradunt, Theodosium Iuniorem (sub cuius imperio Historiam suam Sozomenus scripsit) in paterno monumento repositum esse, in dextrâ SS. Apostolorum templi porticu, in quâ pater quoque Arcadius, & mater Eudoxia, necnon avus Theodosius siti erant: in sinistrâ autem porticu Iovianum iacere. Quomodò & accipiendum quod auctor Miscellæ [r] scribit, Honorium Imp. apud Urbem Romam vitâ exemptum esse, *corpúsque eius iuxta B. Petri martyrium in*

MULTIS IMPP. SATIS FUIT IN ATRIIS ECCLESIARUM SEPELIRI.

[l] 4. De Vit. 71.

[m] Hom. 26. in 2. Cor.

[n] Lib. 30. in fi.

[o] Lib. 2. cap. ult.

[p] Lib. 4. cap. 30. in fi.

[q] Lib. 14. cap. 58.

[r] Lib. 14. cap. 5.

mausoleo sepultum. Martyrium enim significare ecclesiam, seu basilicam, ex multis antiquorum [s] auctoritatibus constat: sumptâ appellatione à loco [t], in quo martyres sepulti essent, indéque ad ceteras quoque ecclesias, tam in honorem Martyrum, quàm etiam Confessorum erectas. translatâ. Quamvis quòd etiam aliquando *Martyrium* pro monumento vel Sepulchro Martyris alicuius positum reperiatur [u], (quam Latini communius *Confessionem* [x] appellant) nihil esset quod Honorium piissimum Principem ab interiori Ecclesiæ sepulturâ eliminaremus; nisi ex antiquis eius Ecclesiæ monumentis certò sciremus, Honorium non intra ecclesiam, sed in porticu basilicæ S. Petri sepultum fuisse.

[s] *Euseb. 4. de Vit. 40. Cyril. Catech. 14. Athan. apol. 1. & ep. ad solit. Chrys. hom. 1. ad pop. Antioch. Conc. Ephe. par. 2. act. 1. in epist. Nest. ad Imper. Conc. Chalced. act. 5. Hier. in Vit. S. Hilar. l. ult. C. Th. de sep. viol. &c.*
[t] *d. l. ult. C. Th. de sep. viol.*
[u] *Sozom. lib. 9. cap. 2. Aug. 22. de civit. 8. &c.*
[x] *Ap. Anast. in Vit. Pont. passim; in Martyrol. & alibi sæpè.*

V.

In quodam sanè Concilio Vasensi prohibitum tradunt [y] recentiores collectores, ut *nulli in ecclesiis sepeliantur, sed in atrio, aut in porticu, aut in exedris Ecclesiæ.* Sed magis illud ad Nannetense [z] pertinere, ex quo alij citant, intelligi videtur, quòd dicatur id prohibendum *secundùm maiorum instituta*: cùm tamen ante Vasensia Concilia vix ullibi id prohibitum reperias; ac proinde non potuerint Patres Vasenses prohibitionem suam præcedentium canonum, qui nulli fuerunt, auctoritate fulcire: quibus nec antiquiores Canonum Collectores, qui post omnia Vasensia Concilia usque ad Gregorium Magnum vixerunt, huiusmodi decretum tribuisse cognoscuntur. Etenim Bracarensis [a] prima Synodus, in quâ sancitum legitur, *ut corpora defunctorum nullo modo in basilicâ Sanctorum sepeliantur; sed si necesse est, deforis circa murum basilicæ*: & quòd Loaisa in Notis ad eamdem Synodum ait, se verba eadem inter decreta Pelagij PP. Secundi in Ms. Bibliothecâ S. Laurentij reperisse: hæc longè post novissimum Vasense Concilium contigisse noscuntur. Cùm tamen non negemus, & prædictum Bracarense Concilium celebratum esse, & Pelagium Secundum sedisse ante annum Christi sexcentesimum; quem nobis terminum præfiximus probationum rituum Sepulturæ Christianæ. Ceteræ namque leges Ecclesiasticæ, quæ vetuerunt in Ecclesiis sepelire, recentiores sunt quàm eo fine com-

[y] *13. q. 2. c. præcipiendum.*
[z] *Est in Conc. Nannet. cap. 6. ex quo etiam citant Burcha. lib. 3. cap. 159. & Ivo par. 3. cap. 222.*
[a] *Cap. 18. sive 36.*

prehenduntur. Quæ tamen, & quæ aliæ eiusmodi apud aliquos Patres reperire fortè fuerit, uti optimè probant hanc olim consuetudinem receptissimam ubique extitisse, ut quorumcumque Christianorum corpora intra ecclesias tumularentur; ita abusum eos præcipuè tollere in animo habuisse, quo omnes ad ipsum etiam altare Domini collocari summo nisu expetere, eísque absque ullâ statûs & conditionis morientium distinctione concedi viderent; tam constat ex eodem asserto canone Vasensi, dum post prædicta additur; *Intra ecclesiam verò, & prope altare ubi corpus & sanguis Domini conficitur, nullatenùs sepeliantur:* quàm ex posterioribus [b] Synodis, quibus cautum est, neminem in ecclesiâ sepeliri *nisi Episcopos, aut Abbates, aut dignos presbyteros, vel fideles laicos qui per vitæ meritum talem vivendo suis corporibus locum acquisierint.* Idque ob exempla à Gregorio [c] Papâ allata, quorumdam pravorum hominum in ecclesiis sepultorum, qui inde divinitùs eiecti sunt. Iure sanè meritóque; ut quoniam præcipuè datur locis sacris sepultura, ut animæ defunctorum iuventur orationibus superstitum ibi supplicantium, & patrocinio Sanctorum; quorum memoria & reliquiæ ibi coluntur; & in testimonium communionis eiusdem fidei: (omitto iuvari maximè fideles superstites spectaculo sepulchrorum, ad memoriam mortis, ad mundi despicientiam, ad cælestium amorem, ad maiorum imitationem:) denegetur eiusmodi sepultura iis, quibus decedentibus extra communionem Ecclesiæ, aut in peccato mortali, ac proinde iusto Dei iudicio damnatis ad inferos, nec preces vivorum, nec protectio divorum, ulli possint esse subsidio. Cùm & alioqui non solùm sacris personis honorem deberi præcipuum intelligant omnes; verùm etiam omninò æquitati consentaneum censeatur, ut quemadmodùm Deus, quò dignis digna rependat, illis maiora persolvit in cælis præmia, quos maior commendavit pietas, & confertior virtutum cumulus; sic & in terris Ecclesia, eius sacris inhærendo vestigiis, (necnon ex more omnium Religionum, ab ipsâ naturâ divinitùs introducto) quorum ceteris noverit antecellere vi-

PROHIBITIO SEPULTURÆ INTRA ECCLESIAS QUOMODÒ ACCIPIENDA.

[b] *Conc. Moguns. sub Leon. III. c. 52. Mel. c. 9. ap. Burch. lib. 3. cap. 151. Ivon. par. 3. c. 213. Tribur. sub Arnalph. Imp. cap. 17.*

[c] *Lib. 4. dial.*

QUIBUS DEBEATUR ECCLESIARUM SEPULTURA.

tæ merita, iis quoque ſepulturæ (qui ſummus eſt poſt obitum honor) loca tribuat inſigniora. Sic enim & Arcadius Imp. vigente in Oriente Theodoſij Magni ipſius Arcadij patris conſtitutione [d], ut *nemo Apoſtolorum vel Martyrum ſedem* (hoc eſt Eccleſias in honorem Apoſtolorum & Martyrum, & ad collocationem ſacrarum ipſorum reliquiarum erectas: nam & *Sedem* tam pro *Sepulchro*, ut ſuprà vidimus, quàm pro *æde ſacrâ*, etiam apud antiquos [e] accipi, notum) *humandis corporibus æſtimaret eſſe conceſſam*: (latâ haud dubium à piiſſimo Imperatore hortatu Præſulum, ad retundendam eorum petulantiam, qui cunctis indiſcriminatim id concedi præſumerent, quod ſacris dumtaxat, & pietate inſignibus perſonis tribuebatur) nihilominùs cùm à clero & populo Conſtantiæ Cypri accepiſſet, S. Epiphanium Epiſcopum in Eccleſiâ tumulatum fuiſſe quibuſdam contradicentibus, reſcripſit, *non prohiberi legibus Imperatorum eum qui ſupra alios vixiſſet*: ut traditur in eiuſdem Epiphanij Vitâ [f]: ubi & vindicta narratur divinitùs ſumpta de nonnullis qui eiuſmodi Sepulturam impedire tentaverant. Quibus & addas, tantam eſſe dignitatem ac maieſtatem Hominis, creati ad imaginem Dei, facti in templum Spiritùs ſancti, ſaginati corpore Chriſti, aliiſque Eccleſiæ ſacramentis roborati, & ad cæleſtem manſionem tendentis; ut non poſſit eum non dignum facere, qui in locis, ubi Deus invocatur, ubi ſacramenta adminiſtrantur, ubi pietas colitur, corpore quieſcat; quod ſolum, omnibus etiam prædictis prærogativis vacuum, creditum ab ipſis quoque Gentilibus eſt, locum in quo ſepeliatur *religioſum* facere, & terram *ſacram*.

[d] L.2.C.Iuſt. de ſacroſ. Eccl. l.pen.C.Th.de ſep. viol.

[e] Ap.Cic.lib.3. de orator. Virg. Æn.2. &c.

[f] Ap.Metaph.

CAPVT XV.

De Consecratione, sanctitate, & privilegiis COEMETERIORUM *communium.*

AT sanè non sepeliantur corpora in Ecclesiis: (quod multi contendunt contra receptissimum & olim, ut vidimus, & hodie, ut patet, ubique gentium usum) an non & ipsa Cœmeteria satis religionem ac sanctitatem sepulturæ demonstrant; cùm sint, & dicantur etiam ipsa *sacra* [g]; & sicut Ecclesiæ consecrantur ad rem divinam in iis faciendam, & sacramenta administranda, sic etiam Cœmeteria ad Christianorum sepulturam sacris ritibus [h] consecrentur, ac Deo dedicentur; iisdémque fermè quibus Ecclesiæ privilegiis [i] & immunitatibus decorentur; tot & iisdem modis [k], quot & quibus Ecclesiæ, polluantur: ac denique ea quæ ecclesiis contigua sunt, partes illarum esse [l] censeantur? Ac ne putes recentiori tantùm iure, huiusmodi consecrationem introductam fuisse; ut plurimos alios taceam certissimos eius testes, qui post sexcentesimum Christianum vixerunt; ex antiquioribus imprimis habes è nostrâ Galliâ S. Gregorium [m] Archiepiscopum Turonensem: qui agens de obitu B. Radegundis olim Francorum Reginæ, quæ in Monasterio Pictaviensi à se post viri excessum constructo decesserat, ait se cùm eius transitum audisset, eò accessisse absente Episcopo Pictaviensi; & cùm Abbatissam hortaretur, ut corpus, ne quam iniuriam pateretur, protinùs sepulturæ traderent, respondisse Abbatissam; *Et quid faciemus, si Episcopus urbis non advenerit? quia locus ille quo sepeliri debet, non est sacerdotali benedictione sacratus*: ipsúmque Gregorium rogatum à civibus, eum *sacrasse*. (Unde & manifestè videas, inter Christianos non solà corporis illatione ad perpetuam sepulturam, aut glebę iniectione, fieri loca *religiosa*, ut fiebant olim inter Gentiles, sed [n] consecra-

I.

[g] Glos. c. in eccles. vers. si terram. & ibi DD. 13. q. 2. Innoc. Abb. & alii, in c. abolenda. de Sepult.

[h] C. consuluisti. de consecr. eccl. vel alt. c. nimis iniquum. de excess. prælat. & ibi DD. & traditur consecrationis forma in Ritual. libro.

[i] C. si quis contumax. 17. q. 4. glos. d. c. consuluisti. Summa verb. immunitas; & alii DD. qui de his tractant.

[k] C. 1. de consecr. eccl. in 6.

[l] Rot. decis. 197. de concess. prab. in nov.

[m] De glor. Confes. c. 106.

CONSECRATIO COEMETERIORUM, ANTIQUISSIMA.

[n] Cap. ad hæc. extr. de relig. dom. Innoc. ad cap. abolenda. de sepult.

tione Episcoporum; ac pariter intelligas, quantò sint nostra illis sacratiora:) Et ex Africâ longè celeberrimum S. Augustinum [o]: qui scribens ad Aurelium Primatem Carthaginiensem, haud adeò acriter invectus fuisset in ebrietates & convivia, quæ in cœmeteriis fieri consueverant, nisi ea fuissent benedictione consecrata. Ex Italiâ magnum eiusdem Augustini catechistam Ambrosium [p]: qui dum laxandis sepulturæ fidelium spatiis, æquè ac templis ædificandis, vasa Ecclesiæ initiata distrahi posse tradit; sanè sicuti templa, ita & loca sepulturæ fidelium à communi & profano usu exempta fuisse innuit. Quod expressiùs ante illos omnes declaravit S. Cyprianus [q]; dum unà cum ceteris coëpiscopis Martialem damnavit Hispanum Episcopum, præter alia crimina, ob *filios exterarum gentium more, apud profana sepulchra depositos, & alienigenis consepultos*: apertè indicans, iam tum in Ecclesiâ fuisse loca sacro, ac solemni ritu Christianorum sepulturæ consecrata. Quæ & S. Dionysius [r] Areopagita Apostolorum coævus haud obscurè insinuare videtur; cùm ait fidelium corpora *à Pontificibus reponi debere in loco honorando & venerando, cum aliis eiusdem ordinis sanctis corporibus*.

[o] Ep. 64.

[p] 1. de Offic. 28.

[q] Ep. 68.

[r] De eccles. hier. cap. 7.

II.

Augustodunense Coemeterium celebre.

Quàm verò honorandus & venerandus ille, cuius meminit idem Gregorius! dum certâ fide narrat [s], in Cœmeterio Augustodunensi *frequens occulti psallentij mysterium* auditum fuisse; sæpéque nonnullos Fidelium quorum ibi erant sepulchra, *multis apparuisse in ipso vocum præconio reddentes Omnipotenti Deo gratiarum debitam actionem*. Sed frequentia reperias exempla [ss] laudum Deo, & hymnorum ad tumulos Sanctorum divinitùs decantatorum.

Alia ab ipso Domino consecrata.

At quid dicemus, quòd CHRISTUS ipse Dominus, Religionis Christianæ auctor & fundator, antiquissimâ Burdegalensis, & Arelatensis Ecclesiarum traditione, à scriptoribus [t] non infimæ auctoritatis confirmatâ, asseritur, Cœmeteria quæ Burdegalæ ad ecclesiam S. Severini, & Arelate in campis Aysis, amplissima atque nominatissima habentur, Sanctis suis comitantibus, solemnibus ritibus consecrâsse; tam constanti populorum persuasio-

[s] De glor. Confess. cap. 73.

[ss] Greg. Tur. de glor. Confess. cap. 30. & alibi; necnon ap. auctor. Vit. SS.

[t] Vincent. Spec. Hist. lib. 14. cap. 21.

ne, ut non solùm earum partium incolæ, verùm etiam per multa sæcula remotiorum provinciarum Fideles undiq; ad ea post mortem deferri summoperè cuperent, participes futuri benedictionis eis à Domino impertitæ? Quod sanè haud adeò quis mirabitur, qui scierit, quod nemo in Galliâ ignorat [t], insignem illam Ecclesiam, à Rege Dagoberto in honorem prædicti S. Dionysij Galliarum Apostoli constructam, ab eodem ipsomet CHRISTO Domino, cum insigni cælestium virorum comitatu, solito Ecclesiæ ritu consecratam; eámque consecrationem illustri miraculo redditæ cuidam leproso sanitatis testatam, creditámque fuisse. Ac pariter in Angliâ, templum [u] Londini in honorem S. Petri Apostolorum principis à Rege Ethelberto erectum, ab ipsomet Apostolo, unà cum; pluribus cælestibus sociis, consuetis dedicationis solemniis consecratum fuisse. Itémque Sacellum [x] B. Virginis in monasterio Heremi Deiparæ Ordinis S. Benedicti in Helvetiâ, dictum *Cella Meginardi*, divinitùs consecratum solitis Ecclesiæ ceremoniis, ipsomet Domino rem agente.

[t] *Vid. Gaguin. lib. 3. Annal. Franc. Fulgos. lib. 1. cap. 6.*

ITEMQUE NONNULLÆ ECCLESIÆ.

[u] *Vit. S. Eduar. Reg. ap. Sur. 5. Ianuar. & ap. Malmesbur. lib. 1. de gest. Pontiff. Angl. in pr.*

[x] *Annal. Herem. Deip. Herman. Contract. an. 948. & 964. Mart. Pol. in Ott. I. Imp.*

Cur autem consecrentur loca sepulturæ, hæc prima, & universalis omnium benedictionum (quas Tertullianus [y] *summum disciplinæ & conversationis inter Christianos sacramentum esse* ait) causa redditur; ut quemadmodùm ex generali illâ maledictione per peccatum primi hominis creaturis inanimis illatâ, videntur sumpsisse dæmones liberiorem facultatem iis abutendi in ruinam hominum, quibus indesinenter insidiantur; ita per benedictionem eisdem rebus impertitam, tum res ipsæ aptiores reddantur ad cultum Dei, & rectum ipsarum usum; tum malitia dæmonum retundatur, ne possint iis sicut priùs abuti. Alia deinde duplex ad Cœmeteria pertinens; (ut iam de Ecclesiis taceam, quarum longè potior est ratio, & sanctior consecratio:) tum quòd multæ piæ preces, aliæque sacræ ceremoniæ assiduè in eis, in honorem Dei, cultum Sanctorum, & solatium ac levamentum fidelium illic quiescentium fieri debeant: tum ut longè dæmones abigantur ab eorumdem locorum obsessione, & à corpo-

III. AD QUID COEMETERIA CONSECRENTUR.

[y] *De testim. anim. cap. 2.*

mausoleo sepultum. Martyrium enim significare ecclesiam, seu basilicam, ex multis antiquorum [t] auctoritatibus constat: sumptâ appellatione à loco [t], in quo martyres sepulti essent, indéque ad ceteras quoque ecclesias, tam in honorem Martyrum, quàm etiam Confessorum erectas, translatâ. Quamvis quòd etiam aliquando *Martyrium* pro monumento vel Sepulchro Martyris alicuius positum reperiatur [u], (quam Latini communius *Confessionem* [x] appellant) nihil esset quod Honorium piissimum Principem ab interiori Ecclesiæ sepulturâ eliminaremus; nisi ex antiquis eius Ecclesiæ monumentis certò sciremus, Honorium non intra ecclesiam, sed in porticu basilicæ S. Petri sepultum fuisse.

In quodam sanè Concilio Vasensi prohibitum tradunt [y] recentiores collectores, ut *nulli in ecclesiis sepeliantur, sed in atrio, aut in porticu, aut in exedris Ecclesiæ.* Sed magis illud ad Nannetense [z] pertinere, ex quo alij citant, intelligi videtur, quòd dicatur id prohibendum *secundùm maiorum instituta:* cùm tamen ante Vasensia Concilia vix ullibi id prohibitum reperias; ac proinde non potuerint Patres Vasenses prohibitionem suam præcedentium

V. canonum, qui nulli fuerunt, auctoritate fulcire: quibus nec antiquiores Canonum Collectores, qui post omnia Vasensia Concilia usque ad Gregorium Magnum vixerunt, huiusmodi decretum tribuisse cognoscuntur. Etenim Bracarensis [a] prima Synodus, in quâ sancitum legitur, *ut corpora defunctorum nullo modo in basilicâ Sanctorum sepeliantur; sed si necesse est, deforis circa murum basilicæ:* & quòd Loaisa in Notis ad eamdem Synodum ait, se verba eadem inter decreta Pelagij PP. Secundi in Ms. Bibliothecâ S. Laurentij reperisse: hæc longè post novissimum Vasense Concilium contigisse noscuntur. Cùm tamen non negemus, & prædictum Bracarense Concilium celebratum esse, & Pelagium Secundum sedisse ante annum Christi sexcentesimum; quem nobis terminum præfiximus probationum rituum Sepulturæ Christianæ. Ceteræ namque leges Ecclesiasticæ, quæ vetuerunt in Ecclesiis sepelire, recentiores sunt quàm eo fine com-

[t] Euseb. 4. de Vit. 40. Cyril. Catech. 14. Athan. apol. 2. & ep. ad solit. Chrys. hom. 1. ad pop. Antioch. Conc. Ephe. par. 2. act. 1. in epist. Nest. ad Imper. Conc. Chalced. act. 5. Hier. in Vit. S. Hilar. l. ult. C. Th. de sep. viol. &c.

[t] d. l. ult. C. Th. de sep. viol.

[u] Sozom. lib. 9. cap. 2. Aug. 22. de civit. 8. &c.

[x] Ap. Anast. in Vit. Pont. passim; in Martyrol. & alibi sæpè.

[y] 13. q. 2. c. præcipiendum.

[z] Est in Conc. Nannet. cap. 6. ex quo etiam citant Burcha. lib. 3. cap. 159. & Ivo par. 3. cap. 122.

[a] Cap. 18. sive 36.

prehenduntur. Quæ tamen, & quæ aliæ eiusmodi apud aliquos Patres reperire fortè fuerit, uti optimè probant hanc olim consuetudinem receptissimam ubique extitisse, ut quorumcumque Christianorum corpora intra ecclesias tumularentur; ita abusum eos præcipuè tollere in animo habuisse, quo omnes ad ipsum etiam altare Domini collocari summo nisu expetere, eísque absque ullâ statûs & conditionis morientium distinctione concedi viderent; tam constat ex eodem asserto canone Vasensi, dum post prædicta additur; *Intra ecclesiam verò, & prope altare ubi corpus & sanguis Domini conficitur, nullatenùs sepeliantur:* quàm ex posterioribus [b] Synodis, quibus cautum est, neminem in ecclesiâ sepeliri *nisi Episcopos, aut Abbates, aut dignos presbyteros, vel fideles laicos qui per vitæ meritum talem vivendo suis corporibus locum acquisierint.* Idque ob exempla à Gregorio [c] Papâ allata, quorumdam pravorum hominum in ecclesiis sepultorum, qui inde divinitùs eiecti sunt. Iure sanè meritóque; ut quoniam præcipuè datur locis sacris sepultura, ut animæ defunctorum iuventur orationibus superstitum ibi supplicantium, & patrocinio Sanctorum; quorum memoria & reliquiæ ibi coluntur; & in testimonium communionis eiusdem fidei: (omitto iuvari maximè fideles superstites spectaculo sepulchrorum, ad memoriam mortis, ad mundi despicientiam, ad cælestium amorem, ad maiorum imitationem:) denegetur eiusmodi sepultura iis, quibus decedentibus extra communionem Ecclesiæ, aut in peccato mortali, ac proinde iusto Dei iudicio damnatis ad inferos, nec preces vivorum, nec protectio divorum, ulli possint esse subsidio. Cùm & alioqui non solùm sacris personis honorem deberi præcipuum intelligant omnes; verùm etiam omninò æquitati consentaneum censeatur, ut quemadmodùm Deus, quò dignis digna rependat, illis maiora persolvit in cælis præmia, quos maior commendavit pietas, & confertior virtutum cumulus; sic & in terris Ecclesia, eius sacris inhærendo vestigiis, (necnon ex more omnium Religionum, ab ipsâ naturâ divinitùs introducto) quorum ceteris noverit antecellere vi-

PROHIBITIO SEPULTURÆ INTRA ECCLESIAS QUOMODÒ ACCIPIENDA.

[b] *Conc. Mogunt. sub Leon. III. c. 52. Mel. c. 9. ap. Burch. lib. 3. cap. 151. Ivon. par. 3. c. 213. Tribur. sub Arnulph. Imp. cap. 17.*

[c] *Lib. 4. dial.*

QUIBUS DEBEATUR ECCLESIARUM SEPULTURA.

tæ merita, iis quoque ſepulturæ (qui ſummus eſt poſt obitum honor) loca tribuat inſigniora. Sic enim & Arcadius Imp. vigente in Oriente Theodoſij Magni ipſius Arcadij patris conſtitutione [d], ut *nemo Apoſtolorum vel Martyrum ſedem* (hoc eſt Eccleſias in honorem Apoſtolorum & Martyrum, & ad collocationem ſacrarum ipſorum reliquiarum erectas: nam & *Sedem* tam pro *Sepulchro*, ut ſuprà vidimus, quàm pro *æde ſacrâ*, etiam apud antiquos [e] accipi, notum) *humandis corporibus æſtimaret eſſe conceſſam*: (latâ haud dubium à piiſſimo Imperatore hortatu Præſulum, ad retundendam eorum petulantiam, qui cunctis indiſcriminatim id concedi præſumerent, quod ſacris dumtaxat, & pietate inſignibus perſonis tribuebatur) nihilominùs cùm à clero & populo Conſtantiæ Cypri accepiſſet, S. Epiphanium Epiſcopum in Eccleſiâ tumulatum fuiſſe quibuſdam contradicentibus, reſcripſit, *non obſtare legibus Imperatorum eum qui ſupra alios vixiſſet*: ut traditur in eiuſdem Epiphanij Vitâ [f]: ubi & vindicta narratur divinitùs ſumpta de nonnullis qui eiuſmodi Sepulturam impedire tentaverant. Quibus & addas, tantam eſſe dignitatem ac maieſtatem Hominis, creati ad imaginem Dei, facti in templum Spiritùs ſancti, ſaginati corpore Chriſti, aliiſque Eccleſiæ ſacramentis roborati, & ad cæleſtem manſionem tendentis; ut non poſſit eum non dignum facere, qui in locis, ubi Deus invocatur, ubi ſacramenta adminiſtrantur, ubi pietas colitur, corpore quieſcat; quod ſolum, omnibus etiam prædictis prærogativis vacuum, creditum ab ipſis quoque Gentilibus eſt, locum in quo ſepeliatur *religioſum* facere, & terram *ſacram*.

[d] *L. 2. C. Inſt. de ſacroſ. Eccl. l. pen. C. Th. de ſep. viol.*

[e] *Ap. Cic. lib. 3. de orator. Virg. Æn. 2. &c.*

[f] *Ap. Metaph.*



CAPVT XV.

I.

De Consecratione, sanctitate, & privilegiis COEMETERIORUM *communium.*

AT sanè non sepeliantur corpora in Ecclesiis: (quod multi contendunt contra receptissimum & olim, ut vidimus, & hodie, ut patet, ubique gentium usum) an non & ipsa Cœmeteria satis religionem ac sanctitatem sepulturæ demonstrant; cùm sint, & dicantur etiam ipsa *sacra* [g]; & sicut Ecclesiæ consecrantur ad rem divinam in iis faciendam, & sacramenta administranda, sic etiam Cœmeteria ad Christianorum sepulturam sacris ritibus [h] consecrentur, ac Deo dedicentur; iisdémque fermè quibus Ecclesiæ privilegiis [i] & immunitatibus decorentur; tot & iisdem modis [k], quot & quibus Ecclesiæ, polluantur: ac denique ea quæ ecclesiis contigua sunt, partes illarum esse [l] censeantur? Ac ne putes recentiori tantùm iure, huiusmodi consecrationem introductam fuisse; ut plurimos alios taceam certissimos eius testes, qui post sexcentesimum Christianum vixerunt; ex antiquioribus imprimis habes è nostrâ Galliâ S. Gregorium [m] Archiepiscopum Turonensem: qui agens de obitu B. Radegundis olim Francorum Reginæ, quæ in Monasterio Pictaviensi à se post viri excessum constructo decesserat, ait se cùm eius transitum audisset, eò accessisse absente Episcopo Pictaviensi; & cùm Abbatissam hortaretur, ut corpus, ne quam iniuriam pateretur, protinùs sepulturæ traderent, respondisse Abbatissam; *Et quid faciemus, si Episcopus urbis non advenerit? quia locus ille quo sepeliri debet, non est sacerdotali benedictione sacratus:* ipsúmque Gregorium rogatum à civibus, eum *lic*[illegible]. (Unde & manifestè videas, inter Christianos non solà corporis illatione ad perpetuam sepulturam, aut glebę iniectione, fieri loca *religiosa*, ut fiebant olim inter Gentiles, sed [n] consecra-

[g] Glos. c. in eccles. vers. si terram. & ibi DD. 13. q. 2. Innoc. Abb. & alii, in c. abolenda. de Sepult.

[h] C. consuluisti. de consecr. eccl. vel alt. c. nimis iniquum. de excess. prælat. & ibi DD. & traditur consecrationis forma in Ritual. libro.

[i] C. siquis contumax. 17. q. 4. glos. d. c. consuluisti. Summista verb. immunitas; & alii DD. qui de his tractant.

[k] C. 1. de consecr. eccl. in 6.

[l] Rot. decis. 197. de concess. preb. in nov.

[m] De glor. Confess. c. 106.

CONSECRATIO COEMETERIORUM, ANTIQUISSIMA.

[n] Cap. ad hæc. extr. de relig. dom. Innoc. ad cap. abolenda. de sepult.

ne, ut non solùm earum partium incolæ, verùm etiam per multa sæcula remotiorum provinciarum Fideles undiq; ad ea post mortem deferri summoperè cuperent, participes futuri benedictionis eis à Domino impertitæ? Quod sanè haud adeò quis mirabitur, qui scierit, quod nemo in Galliâ ignorat [tt], insignem illam Ecclesiam, à Rege Dagoberto in honorem prædicti S. Dionysij Galliarum Apostoli constructam, ab eodem ipsomet CHRISTO Domino, cum insigni cælestium virorum comitatu, solito Ecclesiæ ritu cõnsecratam; eámque consecrationem illustri miraculo redditæ cuidam leproso sanitatis testatam, creditámque fuisse. Ac pariter in Angliâ, templum [u] Londini in honorem S. Petri Apostolorum principis à Rege Ethelberto erectum, ab ipsomet Apostolo, unà cum; pluribus cælestibus sociis, consuetis dedicationis solemniis consecratum fuisse. Itémque Sacellum [x] B. Virginis in monasterio Heremi Deiparæ Ordinis S. Benedicti in Helvetiâ, dictum *Cella Meginardi*, divinitùs consecratum solitis Ecclesiæ ceremoniis, ipsomet Domino rem agente.

[tt] *Vid. Gaguin. lib. 3. Annal. Franc. Fulgos. lib. 1. cap. 6.*

ITEMQUE NONNULLÆ ECCLESIÆ.

[u] *Vit. S. Eduar. Reg. ap. Sur. 5. Ianuar. & ap. Malmesbur. lib. 2. de gest. Pontiff. Angl. in pr.*

[x] *Annal. Herem. Deip. Herman. Contract. an. 948. & 964. Mart. Pol. in Ott. I. Imp.*

Cur autem consecrentur loca sepulturæ, hæc prima, & universalis omnium benedictionum (quas Tertullianus [y] *summum disciplinæ & conversationis inter Christianos sacramentum esse* ait) causa redditur; ut quemadmodùm ex generali illâ maledictione per peccatum primi hominis creaturis inanimis illatâ, videntur sumpsisse dæmones liberiorem facultatem iis abutendi in ruinam hominum, quibus indesinenter insidiantur; ita per benedictionem eisdem rebus impertitam, tum res ipsæ aptiores reddantur ad cultum Dei, & rectum ipsarum usum; tum malitia dæmonum retundatur, ne possint iis sicut priùs abuti. Alia deinde duplex ad Cœmeteria pertinens; (ut iam de Ecclesiis taceam, quarum longè potior est ratio, & sanctior consecratio:) tum quòd multæ piæ preces, aliæque sacræ ceremoniæ assiduè in eis, in honorem Dei, cultum Sanctorum, & solatium ac levamentum fidelium illic quiescentium fieri debeant: tum ut longè dæmones abigantur ab eorumdem locorum obsessione, & à corpo-

III: AD QUID CŒMETERIA CONSECRENTUR.

[y] *De testim. anim. cap. 2.*

rum illic conditorum ad suas præstigias abusione, & ab hominum illuc orationis causâ accedentium molestatione: præsertim cùm Apostolo [z] docente sciamus, *omnem creaturam Dei*, tametsi naturâ suâ alioqui *bonam*, *sanctificari per verbum Dei, & orationem*; (atque adeò ex rerum communium, & profanarum numero eximi:) & ex Chrysostomo Apostolum interpretante intelligamus, etiamsi aliqua Dei creatura esset per se immunda, (ut quidam hæretici delirârunt) vi tamen, & efficacitate verbi Dei, & orationis, eam facilè posse purificari & sanctificari. Sicut enim loca Principum asyla sunt, nec ibi lictores ulli manus inиcere audent; ita etiam in Cœmeteriis solemni ritu Deo consecratis, non sinuntur dæmones grassari eo modo quo in aliis locis. Unde & esse aiunt [a], quòd Cœmeterium *requies defunctorum* à S. Ambrosio [b] appellatur. Quanta namque sit vis Crucis, quâ signantur & ornantur; & Aquæ benedictæ, quâ asperguntur; & Thuris, quo suffiuntur; (præter ipsas orationes, & exorcismos Sacerdotum, quorum ministerio consecrantur) tum ad alia plurima arcenda mala, & concilianda bona; tum maximè ad terrendos & fugandos dæmones, eorumdémque, ac magorum atque maleficorum præstigias & sortilegia dissoluenda; pronum mihi esset quamplurimis veterum Patrum testimoniis & exemplis testatissimum reddere: nisi pronius cuivis existimarem, ea apud alios, qui insigni diligentiâ conquisierunt, in unum collecta [c] reperire. Adeò ut etiam qui [d] de Cœmeteriis Romanorum Christianorum scripsêre, pluribus exemplis demonstrent, poni quoque solitam intra ipsa sepulchra, unà cum corporibus, Aquam benedictam, & signum Crucis.

[z] *1. Tim. 4.*

COEMETERIA ASYLA CONTRA DÆMONES.

[a] *Gl. c. cùm gravia. 13 q. 2. Barb. de differ. int. ius can. & civil.*

[b] *2. Off. 28. c. aurum. 12. q. 2.*

[c] *De Cruce vid. Grets. to. 1. l. 4.* De Aquâ bened. *eumd. lib. 2. de Benedict. & Marsil. Colum. tract. de Aq. ben.* De Thurificatione *Steph. Durant. de Ritib. Eccl. lib. 1. cap. 9. & Nicol. Serar. in Tob. 8. Et si ipsos fontes adire malueris; de virtute* Crucis *advers. dæm. & incant. habes inter alios, Ignat. ep. ad Philip. Cyril. catech. 4. Athan. de incar. Verb. & in Vit. S. Ant. Greg. Nyss. in Vit. S. Greg. Thaumat. Greg. Naz. or. 1. in Iul. Ephram. de pœnit. Chrys. hom. 8. in ep. ad Rom. & hom. 4. de laudib. S. Pauli. Theodoret. 5. hist. 3. Epiph. hær. 30. Lact. lib. 4. cap. 27. Hier. in Vit. S. Hilar. August. de Symb. cap. 1. & serm. 19. de Sã. Paulin. lib. 1. de Vit. S. Mart. Prudent. in apotheos. Cassian. coll. 8. cap. 18. Greg. Rom. 1. dial. 7.* De Aquæ bened. *virtute, Epiph. hær. 30. Hieron. in Vit. S. Hilar. Theodor. c. hist. 21. Pallad. Lausiac. cap. 29.* De Thuris, *aliorumque suffimentorum efficacitate, Innoc. lib. 2. de myst. 17. arg. Tob 6. Ioseph. 8. ant. 2. Iustin. mart. dial. cum Typh. præter illa quæ iam dicta sunt suprà; & recentiorum tractatus de Exorcismis.*

[d] *Rom. subter. lib. 2. cap. 20.*

Quibus

Quibus & reverentiam addas, quâ vel inviti dæmones piorum hominum, quorum animæ in conspectu Dei adstant, corpora iisdem cœmeteriis quiescentia, vel aliorum Sanctorum reliquias in contiguis Ecclesiis asservatas cultásque prosequuntur: quæ tanta est, ut non facilè ad ea loca accedere præsumant, ob pœnas quibus inde torquentur. Cuius rei cùm frequentissima extent apud Scriptores Ecclesiasticos testimonia [e] & exempla, illud egregium, quo tradit Hieronymus [f] Paulam nobilissimam matronam Romanam in suâ ad loca sancta Palæstinæ peregrinatione, *multis intremuisse consternatam mirabilibus, cùm cerneret variis dæmones rugire cruciatibus, & ante sepulchra Sanctorum ululare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum.* Et quo Chrysostomus [ff], *eam esse* inquit, *Sanctorum potestatem, ut illorum superstitum dæmones ne umbras quidem aut vestes ferre possint, vitâ autem functorum & loculos quoque reformident.* Et ubi [g] Christi servorum sepulchra, regias aulas, Imperatorúmque monumenta, splendore, magnitudine, ac pulchritudine, longè superare multis rationibus demonstrat, hæc inter alia: *Sanctorum ossa dæmones sistunt & excruciant, acerbissimísque vinculis eos qui adstricti sunt solvunt. Cùm nemo cernatur, nemo lateri dæmonis incumbat, voces & dilacerationes, verba & cruciatus, linguæ conflagrationes audiuntur; dæmone videlicèt eximiam illam & admirabilem potentiam minimè ferente,* &c.

[e] *Vid Ambrос. ser. 6. de SS. Aug. 8. de civit. 26. Hier. cont. Vigil. Chrys. orat. de Machab. & passim in Vitis Sanctor.*
[f] *Ep. 27.*
[ff] *Orat. cont. Gent.*

DÆMONES TORQUENTUR AD SEPULCHRA SANCTORUM.

[g] *Hom 26. in Cor. 2.*

IV.

DÆMONUM, ET MAGORUM NEQUITIÆ CIRCA SEPULCHRA, APUD GENTILES.

Quantum autem potestatis sibi dæmones in Sepulchra & Cœmeteria, antequàm his sacris munitionibus circumvallarentur, necnon etiam in cadavera illic reposita; ut ex iis, seu per seipsos, seu per magos, ac veneficos nocerent hominibus; tum in divinâ Scripturâ expressum habetur, tum in aliis Ecclesiasticis ac profanis scriptoribus frequenter legitur. Sic enim SS. Euangelistæ [h] narrant, dæmoniacos illos sævissimos, quos Christus sanavit in regione Gerasenorum, habitâsse *in sepulchris & monumentis, unde homines invadebant.* Legitúrque in Vitâ [i] S. Alipij Cionitæ, hoc est, Columnarij, quod in columnâ sublimis vixerit; fuisse apud Adrianopolim Pa-

[h] *Matth. 8. Mar. 5. Luc. 8.*
[i] *Ap. Metaphr. & Sur. 26. Novembr.*

rum illic conditorum ad suas præstigias abusione, & ab hominum illuc orationis causâ accedentium molestatione: præsertim cùm Apostolo [z] docente sciamus, *omnem creaturam Dei*, tametsi naturâ suâ alioqui *bonam, sanctificari per verbum Dei, & orationem*; (atque adeò ex rerum communium, & profanarum numero eximi:) & ex Chrysostomo Apostolum interpretante intelligamus, etiamsi aliqua Dei creatura esset per se immunda, (ut quidam hæretici delirârunt) vi tamen, & efficacitate verbi Dei, & orationis, eam facilè posse purificari & sanctificari. Sicut enim loca Principum asyla sunt, nec ibi lictores ulli manus inicere audent; ita etiam in Cœmeteriis solemni ritu Deo consecratis, non sinuntur dæmones grassari eo modo quo in aliis locis. Unde & esse aiunt [a], quòd Cœmeterium *requies defunctorum* à S. Ambrosio [b] appellatur. Quanta namque sit vis Crucis, quâ signantur & ornantur; & Aquæ benedictæ, quâ asperguntur; & Thuris, quo suffiuntur; (præter ipsas orationes, & exorcismos Sacerdotum, quorum ministerio consecrantur) tum ad alia plurima arcenda mala, & concilianda bona; tum maximè ad terrendos & fugandos dæmones, eorumdemque, ac magorum atque maleficorum præstigias & sortilegia dissoluenda; pronum mihi esset quamplurimis veterum Patrum testimoniis & exemplis testatissimum reddere: nisi pronius cuivis existimarem, ea apud alios, qui insigni diligentiâ conquisierunt, in unum collecta [c] reperire. Adeò ut etiam qui [d] de Cœmeteriis Romanorum Christianorum scripsêre, pluribus exemplis demonstrent, poni quoque solitam intra ipsa sepulchra, unà cum corporibus, Aquam benedictam, & signum Crucis.

[z] 1. Tim. 4.

COEMETERIA ASYLA CONTRA DÆMONES.

[a] Gl. c. cùm gravia. 13. q. 2. Barb. de differ. int. ius can. & civil.

[b] 2. Off. 28. c. aurum. 12. q. 2.

[c] De Cruce vid. Grets. to. 1. l. 4. De Aquâ bened. eumd. lib. 2. de Benedict. & Marsil. Colum. tract. de Aq. ben. De Thurificatione Steph. Durant. de Ritib. Eccl. lib. 1. cap. 9. & Nicol. Serar. in Tob. 8. Et si ipsos fontes adire malueris; de virtute Crucis advers. dæm. & incant. habes inter alios, Ignat. ep. ad Philip. Cyril. catech. 4. Athan. de incar. Verb. & in Vit. S. Ant. Greg. Nyss. in Vit. S. Greg. Thaumat. Greg. Naz. or. 1. in Iul. Ephrem. de pænit. Chrys. hom. 8. in ep. ad Rom. & hom. 4. de laudib. S. Pauli. Theodoret. 3. hist. 3. Epiph. hær. 30. Lact. lib. 4. cap. 27. Hier. in Vit. S. Hilar. August. de Symb. cap. 1. & serm. 19. de SS. Paulin. lib. 1. de Vit. S. Mart. Prudent. in apotheol. Cassian. coll. 8. cap. 18. Greg. Rom. 1. dial. 7. De Aquæ bened. virtute, Epiph. hær. 30. Hieron. in Vit. S. Hilar. Theodor. 5. hist. 21. Pallad. Lausiac. cap. 19. De Thuris, aliorumque suffimentorum efficacitate, Innoc. I. l. 2. de myst. 17. in Tob. 6. Ioseph. 8. ant. 2. Iustin. mart. dial. cum Typh. præter illa quæ iam dicta sunt suprà, & recentiorum tractatus de Exorcismis.

[d] Rom. subter. lib. 2. cap. 20.

Quibus

Quibus & reverentiam addas, quâ vel inviti dæmones piorum hominum, quorum animæ in conſpectu Dei adſtant, corpora iiſdem cœmeteriis quieſcentia, vel aliorum Sanctorum reliquias in contiguis Eccleſiis aſſervatas cultáſque proſequuntur: quæ tanta eſt, ut non facilè ad ea loca accedere præſumant, ob pœnas quibus inde torquentur. Cuius rei cùm frequentiſſima extent apud Scriptores Eccleſiaſticos teſtimonia [e] & exempla, illud egregium, quo tradit Hieronymus [f] Paulam nobiliſſimam matronam Romanam in ſuâ ad loca ſancta Palæſtinæ peregrinatione, *multis intremuiſſe conſternatam mirabilibus, cùm cerneret variis dæmones rugire cruciatibus, & ante ſepulchra Sanctorum ululare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, ſibilare ſerpentum, mugire taurorum.* Et quo Chryſoſtomus [ff], *eam eſſe* inquit, *Sanctorum poteſtatem, ut illorum ſuperſtitum dæmones ne umbras quidem aut veſtes ferre poſſint, vitâ autem functorum & loculos quoque reformident.* Et ubi [g] Chriſti ſervorum ſepulchra, regias aulas, Imperatorúmque monumenta, ſplendore, magnitudine, ac pulchritudine, longè ſuperare multis rationibus demonſtrat, hæc inter alia: *Sanctorum oſſa dæmones ſiſtunt & excruciant, acerbiſſimiſque vinculis eos qui adſtricti ſunt ſolvunt. Cùm nemo cernatur, nemo lateri dæmonis incumbat, voces & dilacerationes, verba & cruciatus, linguæ conflagrationes audiuntur; dæmone videlicèt eximiam illam & admirabilem potentiam minimè ferente,* &c.

[e] Vid Ambroſ. ſer. 1. de SS. Ang. 8. de ci-uit. 26. Hier. cont. Vigil. Chryſ. orat. de Machab. & paſſim in Vitis Sanctor.
[f] Ep. 27.
[ff] Orat. cont. Gent.

DÆMONES TORQUENTUR AD SEPULCHRA SANCTORUM.

[g] Hom 26. in Cor. 2.

IV. DÆMONUM, ET MAGORUM NEQUITIÆ CIRCA SEPULCHRA, APUD GENTILES.

Quantum autem poteſtatis ſibi dæmones in Sepulchra & Cœmeteria, antequàm his ſacris munitionibus circumvallarentur, necnon etiam in cadavera illic repoſita; ut ex iis, ſeu per ſeipſos, ſeu per magos, ac veneficos nocerent hominibus; tum in divinâ Scripturâ expreſſum habetur, tum in aliis Eccleſiaſticis ac profanis ſcriptoribus frequenter legitur. Sic enim SS. Euangeliſtæ [h] narrant, dæmoniacos illos ſæviſſimos, quos Chriſtus ſanavit in regione Geraſenorum, habitâſſe *in ſepulchris & monumentis, unde homines invadebant.* Legitúrque in Vitâ [i] S. Alipij Cionitæ, hoc eſt, Columnarij, quod in columnâ ſublimis vixerit; fuiſſe apud Adrianopolim Pa-

[h] Matth. 8. Mar. 5. Luc. 8.
[i] Ap. Metaphr. & Sur. 26. Novembr.

phlagoniæ, quamdam solitudinem plenam sepulchris antiquissimis, in quibus delitescens magnum agmen spirituum immundorum, eam reddebat tetram & horrendam, adeò ut nemo auderet eò accedere; donec locus ritè expiatus fuit sacris ceremoniis. Ac poëta Lucanus[k] scribit, Erichthonem insignem magam Thessalam non in urbibus, aut domibus habitâsse, sed in desertis bustis ac tumulis:

[k] Lib. 6.

Illi namque nefas urbis submittere tecto,
Aut laribus ferale caput; desertáque busta
Incolit, & tumulos expulsis obtinet umbris.

Cuiusmodi magos, & præstigiatores intellexerit fortè Isaias[l] Propheta, cùm inter Gentilitios mores, quibus populus Iudaicus Dominum provocaverat ad iracundiam, numerat eos qui *habitarent in sepulchris*. Sanè Hesychius scribit, veneficas ac magas dictas fuisse τυμβάδας, hoc est bustuarias, quòd in sepulchris versarentur, & mortuorum cadavera mutilarent. Qualis apud Ovidium[m] Medæa; quæ

[l] Cap. 65.

[m] Ep. 6. Hypsip.

Per tumulos errat passis discincta capillis,
Certáque de tepidis colligit ossa rogis.

Qualis & Apulei[n] Pamphile *maga primi nominis*, & *omnis carminis sepulchralis magistra*; in cuius officinâ erant[o] *sepultorum etiam cadaverum multa admodùm membra*. Fingitque idem Apuleius, magus & ipse, & magiæ studiosissimus, se in Thessaliâ formidâsse *cæcas & inevitabiles*, (ut loquitur) *latebras magicæ disciplinæ; quòd ne mortuorum quidem sepulchra tuta essent; sed & bustis, & rogis reliquiæ quædam & cadaverum præsegmina ad exitiabiles viventium fortunas peterentur*. Meminerúntque alij[p] plurimi eorumdem ex bustis & cadaveribus maleficiorum; quæ & severè prohibita reperiuntur sanctionibus[q] Imperatorum. De quibus etiam agens Æneas Gazæus, ex Platonico Philosopho Christianus factus, in tractatu[r] de Immortalitate animarum, & Resurrectione corporum ait, spectra illa quæ circa sepulchra videntur, esse mala dæmonia humanas animas repræsentantia. Et Chrysostomus[s] exponens historiam dæmoniacorum Gerasenorum scribit;

[n] Lib. 2. metam.
[o] Ib. lib. 3.
[p] Quintil. declam. 15. Horat. ep. 17. Stat. Theb. lib. 4. Tac. Annal. 2. Lucan. lib. 6. &c.
[q] Tac. d. lib. 2. Cod. Th. & Iustin. de malef. & mathem.
[r] Ext. in Bibl. Patr.
[s] Hom. 29. in Matth.

libenter in ſepulchris verſari conſueviſſe dæmones, ut ſic hominibus pernicioſam opinionem ingererent, mortuorum animas in dæmones cõmmutari. (Quam fuiſſe philoſophorum Platonicorum, & hæreticorum Tertullianiſtarum ſententiam, Auguſtinus [t] eſt auctor.) Alij, ut odio generis humani, mortuorum corporibus illuderent: & hinc [u] cadavera non ex ſe, ſed ex ſpiritibus circumſtantibus terrorē incutere. Quos & *Larvas* appellabant [x]; à quibus procedebant, quæ vocat Apuleius [y] *noctium occurſabula, buſtorum formidamina, ſepulchrorum terriculamenta.* Adverſus quæ uſui fuiſſe herbam Betonicam, intelligitur ex Antonio Muſâ clariſſimo Auguſti Cæſ. medico; dum in libello quem ſcripſit de viribus Betonicæ, memoriæ [z] prodidit, eam animas hominum & corpora cuſtodire, & nocturnas ambulationes à maleficiis & periculis: loca quinetiam ſacra, & buſta à viſibus metuendis tueri ac defendere. Cùm alioqui Ovidio [a], Lactantio [b], Macrobio [c], & aliis teſtibus, exiſtimarentur mortuorum animæ circa tumulos, & corporũ ſuorum reliquias oberrare. Quod Plato [d] reſtringens ad animas malorum hominum, quæ non puræ deceſſerint à corpore, ait eas in umbrarum phantaſmatibus circa ſepulchra oberrare cogi, ut dent pœnas vitæ improbè actæ. Teſtatúrque Arnobius [e], ſolitos fuiſſe adiurare certa numina, ne animæ hîc in terris detinerentur vagantes circa ſua corpora. Ceterùm ut longè procul ablegetur iſta Gentilitia oberratio; poſſe tamen, ac ſolere mortuorum animas nonnumquam divinâ potentiâ atque virtute viventibus apparere; ídque & fidei Catholicæ ſcitis, & veræ germanæque philoſophiæ placitis conſentaneum eſſe; doctiſſimus Martinus Delrio in ſuis Diſquiſitionibus Magicis [f], quamplurimis Theologorum ac Philoſophorum auctoritatibus, atque rationibus, & omnium temporum ac gentium teſtimoniis & exemplis, pleniſſimè probavit: ſimul & negantes refellens, docet hanc concluſionem nequaquàm poſſe improbari, niſi vel ab atheis, qui animam volunt corpori commori; vel ab hæreticis, quòd hâc mortuorum apparitione Purgatorij fidem validè ſtabiliri percipiant;

[t] 9. de civit. 11. & de hæreſ. ad Quodvultd. cap. 86.
[u] Fr. Venet. problem. to. 2. ſect. 2 probl. 79. & 80 homo ab equi tracets cimis, & in multis temerarius.
[x] Apul. de deo Socr.
[y] Id. Apol. 1.
[z] Ap. Matthiol. in Dioſcor. lib. 4. cap. 1.
[a] Lib. 2. Faſt.
[b] Lib. 2. cap. 2.
[c] Lib. 1. in Somn. cap. 9.
[d] In Phædon.

ANIMARUM VAGATIO CIRCA SEPULCHRA.

[e] Lib. 2.
[f] Lib. 2. q. 26.

vel denique ab iis qui nimis sensibus addicti, rationem quâ id fiat non valent consequi.

V.
QUA RATIONE DÆMONES ET MAGI ABUTANTUR REBUS SACRIS.

Quod verò legimus non rarò, ac cernimus, non solùm dæmones ac maleficos in ipsis etiam Ecclesiis Sanctorum Reliquias continentibus, & in Cœmeteriis sanctâ Cruce insignitis, & Aquâ benedictâ respersis, aliisque sacris ceremoniis per orationes sacerdotum consecratis, absq; ullo terrore malitiam suam exercere; verùm etiam iisdem rebus ad varias superstitiones & incantationes abuti: non fit hoc quidem ex imbecillitate aut impotentiâ eiusmodi rerum sacrarum, quæ etiam ex opere operato (ut loquuntur) suos effectus producunt: sed aliis de causis, quas ex SS. Augustino [g] & Chrysostomo [h] intelligere licet; dum ille de similibus ait; *Aliter magi faciunt miracula, aliter boni Christiani, aliter mali Christiani. Magi per privatos contractus, boni Christiani per publicam iustitiam, mali Christiani per signa publicæ iustitiæ. Nec mirum est quòd hæc signa valent, cùm ab eis adhibentur; quando etiam cùm usurpantur ab extraneis, qui omninò suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris valent. Cùm autem non cedunt his signis huiusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cùm id iustum atque utile iudicat. Nam nullo modo ulli spiritus audent hæc signa contemnere: contremiscunt enim hæc ubicumque illa prospexerint. Sed nescientibus hominibus aliud iubetur divinitùs; vel ad confundendos malos, cùm eos oportet confundi: (sicut de Sceuæ filiis in Actibus* [i] *Apostolorum legimus, quibus ait immundus spiritus,* IESUM *scio, & Paulum novi, vos autem qui estis?) vel ad admonendos bonos, ut proficiant in fide, atque ista non iactanter, sed utiliter possint: vel ad discernenda dona membrorum Ecclesiæ, sicut Apostolus* [k] *ait: Numquid omnes virtutes? numquid omnes habent dona curationum?* &c. Chrysostomus autem: *Si in diabolum divinas incantationes canere noveris, statim vulnerabitur. Sunt enim nobis incantationes spirituales, ipsum nomen Domini Nostri* IESU CHRISTI, *tum ipsius* CRUCIS *potentia. Huiusmodi incantatio non solùm draconem è speluncis abigit, atque in ignem coniicit, sed & vulneribus quoque medetur. Quòd*

[g] Lib. 83. quæst. q. 79.
[h] Hom. 8. in ep. ad Rom.
[i] Act. 19.
[k] 1. Cor. 12.

si multi extitêre, qui dictis illis carminibus sanati minimè fuerint; accusent illi modicam suam fidem, non dicti infirmitatem, &c. Quemadmodùm & Christus ipse Dominus dicitur in Evangelio [l] *non potuisse* in patriâ suâ *virtutem ullam facere* (nisi quòd paucos infirmos curavit) *propter incredulitatem eorum*: quia videlicèt Dei iustitia, nec ratio permittebat, ut sanctum canibus daretur, detrimentum potiùs inde percepturis quàm emolumentum. Poterat igitur CHRISTUS potentiâ absolutâ virtutes ibi facere; sed nolebat, quia non conveniebat, quoniam incapaces & indignos sese Nazareni reddebant eius beneficiis, obicem eis incredulitatis ponentes. Quippe increduli, quantum in se est, contumaciâ suâ quasi vinciunt Deo manus ne ipsis opem ferat; non quòd Deus ut inferior vincatur, sed quia illorum malitia non permittit ut divinæ virtutis rivus se in ipsos effundat. Sicut etiam ex aliâ parte videmus obiecisse Christum [m] discipulis suis, non potuisse eos sanare lunaticum *propter incredulitatem ipsorum*; quamvis iam anteà accepissent ab eo potestatem dęmonia eiiciendi, & languorem omnem curandi, eâque sæpè usi fuissent efficaciter; non verò iam, quia fluctuare cœpissent in sævissimo illo dæmonio. His verò rationibus & addas frequentem immodestiam tum clericorum, tum laicorum, loca religiosa résque sacras non eâ reverentiâ quâ oportet habentium; nec seipsos puros, ut decet, sanctificatos, & fideles exhibentium: sic enim provocant in caput suum propheticam [n] comminationem: *Calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea. Auferam sepem vineæ meæ, & erit in direptionem; diruam maceriam eius, & erit in conculcationem*: & talia innumera in sacris Literis. Ac denique & aliam; quòd sic plerumque fieri expediat ad maius bonum & commodum bonorum; cùm Deus id genus spiritualia adiumenta non aliter bonis salutaria esse voluerit, quàm quatenùs ad eorum salutem, & ad suam ipsius Dei gloriam amplificandam consultum sit ac conducibile. Atque hæc de Locis Sepulturæ iam satis.

[l] Mar 6.
[m] Matth 17.
[n] Isa. 1. & 5.

CAPVT XVI.

De PRECIBUS, *&* SACRIFICIIS, *ad ipsam Sepulturam fieri solitis.*

I. VIDENDUM modò, quid in iis agi solitum, postquàm eò ventum esset. Quid utique, nisi sanctum in loco sancto, & à personis sanctis, in utilitatem sanctorum, & in honorem & gloriam Sancti sanctorum? Audiamus imprimis ritus Apostolicos, ab eorum intimo discipulo æternæ memoriæ consecratos: *Propinqui eius qui mortuus est* (inquit Dionysius [o]) *sumptum cum ad Antistitem portant;* (præstolantem scilicèt in loco sepulturæ) *qui eum libenter accipit, eáque perficit omnia, quæ ex sancto instituto fiunt in iis qui sanctè dormierunt. Convocato sacro choro, si is qui excessit è vitâ erat ordinis sacerdotum, cùm ante sacrum altare eum posuit, Deum precari incipit, eique gratias agere: sin autem sacris monachis, sanctóve populo adnumeratus erat, eum ad veneratione dignum chori locum collocat ante sacerdotum introitum:* (Vult dicere, defunctum, si sacerdos fuerit, collocandum esse in choro templi ante altare; si monachus, aut fidelis laicus, in nave templi iuxta ostium chori, per quod ingrediuntur sacerdotes:) *deinde perficit sacrum solemne precationis, quâ agit Deo gratias Pontifex: deinde ministri promissis veris, quæ feruntur in scriptis divinis de sanctâ nostrâ resurrectione recitatis, sanctè canunt cantus psalmorum qui eiusdem rationis sunt, atque idem valent. Tum ministrorum primus catechumenos dimittit, sanctósque qui iam dormierunt prædicat, cum quibus pari laudatione dignum iudicat eum qui paulò antè excessit è vitâ; hortatúrque omnes ut beatum in Christo finem petant. Tum accedens divinus Antistes, super eo sanctissimam precem agit: finitáque prece, & ipse mortuum osculo salutat, & post illum omnes qui adsunt: & postquàm omnes salutàrunt, tum Antistes oleo mortuum perfundit; sanctâque precatione pro omnibus factâ, in loco venerando corpus cum aliis eiusdem ordinis sanctis corporibus recon-*

[o] De Eccles. hier. cap. 7.

dit. Subdit postinde prolixiorem horum rituum explicationem, ac precum pro defunctis fieri solitarum rationem uberiorem. Quod verò dicit Catechumenos è sacro illo choro amandari, *propereà quòd* (ut ait) *hic ordo nullum penitùs sacrum mysterium didicit, neque ei fas est quicquam sive parvum, sive magnum, eorum quæ sanctè perficiuntur aspicere:* quid hoc disertius ad significandam sepulturæ Christianorum sanctitatem? quam quidem maximè collocat in Precibus, quas acturus esset Antistes post abscessum Catechumenorum: hoc est in Precibus Eucharisticis, sive Liturgicis; quibus non nisi fideles baptizatos interesse potuisse, ac catechumenos, qui vivâ voce instruebantur in fide ad suscipiendum posteà baptismum, omninò dimitti consuevisse post auditam verbi prædicationem, antequàm veniretur ad consecrationem Eucharistiæ; docent quamplurima alia Patrum [p] testimonia, ac Conciliorum [q] decreta: cùm severissimè primis Ecclesiæ sæculis observaretur, ne mysteria fidei propalarentur nisi initiatis: detúrque inde apud Athanasium [r] gravissimo crimini ipsius calumniatoribus, quòd eos non puduisset de mysteriis tractare coram Ethnicis, & Catechumenis: *non enim,* ut dicitur, *fas est mysteria non initiatis prodere, ne Gentiles per imperitiam subsannent, & catechumeni per curiositatem scandalizentur.* Indéque & Cyrillus Ierosolymitanus in suis [s] Catechesibus: *Haud palàm* (inquit) *apud catechumenos de mysteriis verba facimus, sed multa sæpè loquimur occultè; ut Fideles qui rem tenent intelligant, & qui non tenent non lædantur.* quod & pluribus prosequitur in Præfatione. Et Ambrosius [t] ad recèns baptizatos: *Hunc de mysteriis dicere tempus admonet, atque ipsam sacramentorum rationem edere: quam ante baptismum si putássemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potiùs quàm edidisse æstimaremur.* Et alia eiusmodi plurima [u] apud veteres Patres tam Græcos quàm Latinos: quibus & frequentissimum in ore cùm de iis tractant, ac præcipuè de divinissimo Eucharistiæ [x] sa-

CATECHUMENI MINIME ADMITTEBANTUR AD SACRA.

[p] Clem. 2. Const. 57. & lib. 8. cap. 12. Tertul. de præscr. cap. 41. Athan. apol. 2. Cyril. Alex. 12. in Ioan. 30. Ambros. ep. 13. ad Marcel. Aug. ser. 237. de temp.
[q] Laodic. c. 19. Carthag. 4. c. 84. Valent. Hisp. c. 1.
[r] Apol. 2.
[s] Catech. 8.
[t] De init. cap. 1.
[u] Collegerunt Staplet. in Apol. rec. Eccl. Ferrar. de rit. conc. lib. 2. cap. 12. & 13. Casaub. Exercit. 16. in Baron. cap. 43. cum autem Buleng. Iam ipsum solemne fuisse

Gentilibus: ut scil. profanos, h. e. non initiatos, à sacris suis arcerent. mysteriáque & arcana eis aperire & enunciare, ingens nefas haberetur; fusè probatum videre licet ap. Brisson. de Formul. lib. 1. in pr.

[x] Orig. hom. 9. in Levit. Tertul. 2. ad ux. S. Chrys. ost. hom. 27. & 67. in Gen. in Psal. 40. & alib. sæpè. Aug. in psal. 21. conc. 2. in psal. 33. conc. 1. lib. 10. de civit. cap. 6. in fi. & alib. sæpè. Theod. dial. 1. & 2. & c.

cramento, *Nôrunt Fideles quod dicitur: Sciunt initiati quid dicatur*; & alia id genus.

II. SACRIFICIUM MISSÆ IN DEPOSITIONE DEFUNCTI.

Ex quibus cùm non obscurè intelligatur, Preces quibus Dionysius ait fuisse nefas interesse catechumenis, significare præcipuè *Sacrificium* MISSÆ; tum disertissimè alij Patres testantur, inter orationes in depositione corporis defuncti fieri solitas, (Nam hic de depositione, & sepulturâ tantùm agimus; non etiam de precibus ad corpus, dum adhuc servaretur domi, de quibus suprà: sicut nec de orationibus & sacrificiis pro iam sepultis, subsequentibus postmodùm diebus atque temporibus fieri & offerri consuetis, de quibus paulò post:) comprehensum fuisse, ac præcipuum locum tenuisse, idem sacrosanctum Missæ sacrificium. De quibus imprimis habes Tertullianum [y], dum ita loquitur: *Scio feminam quamdam vernaculam Ecclesiæ, formâ & ætate integrâ functam, post unicum & breve matrimonium cùm in pace dormisset, & morante adhuc sepulturâ interim oratione presbyteri componeretur; ad primum habitum orationis manus à lateribus dimotas in habitum supplicem conformâsse, rursúmque conditâ pace situi suo reddidisse.* Quin enim hic oraretur à presbytero pro illâ defunctâ, nemo sanus inficias ierit. quòd verò per *orationem presbyteri* intellexerit Tertullianus sacrificium Missæ, probat tibi doctissimus Pamelius ex usu phrasis Tertullianicæ. Et ad hoc quoque depositionis tempus minimè reluctantem traho Cyprianum [z], cùm scribit: *Antecessores nostri salubriter censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam, vel curam clericum nominaret; ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur.* Licèt enim possint ista ad totum ab obitu tēpus referri; videtur tamen imprimis de sacrificio quod ipso dormitionis die offertur intelligi. De quo in Actis S. Laurentij Martyris clarè; cùm tradunt, sepultum esse horâ vespertinâ, & qui aderant ieiunâsse, ac vigilias egisse: *Iustinum autem presbyterum obtulisse sacrificium laudis: & participâsse omnes Corpus & Sanguinem Domini nostri* IESU CHRISTI. De quo item accipienda eiusdem S. Ambrosij [a] verba, interpretantis dictum Domini, *Sine mortuos sepelire mortuos suos;* eáque

[y] De anim. cap. 51.

[z] Ep. 66. ad Furnit.

[a] In Luc 9. in fi.

eâque occasione multiplicem explicantis sepulturam Iustorum: *Est & illa Prophetica, ut supra sepulturam*[b] *iustorum quandam ponamus, quæ lector agnoscis, infidelis intelligere non debet: non quo cibus imperetur aut potus, sed sacræ oblationis veneranda communio reveletur.* quibus ipsum verbis sacrosanctum Missæ sacrificium designare, nemo fidelis non intelligit. De quo & clarè vetus auctor Quæstionum ad Antiochum[c], quæ vulgò tribuuntur Athanasio; dum præmissâ interrogatione, *Num sentiant aliquod beneficium peccatorum animæ, cùm super illis fiant oblationes?* respondet, Si non *aliquo beneficio participarent ex illo, non utique in elatione & exequiis fieret commemoratio*, &c. Quare & de precibus simul & sacrificio accipiendum omninò, quod Clemens[d] Romanus asserit, Petrum Apostolum (cuius ipse & Pauli fuit discipulus) inter cetera mandâsse, *diligenter exequias mortuorum peragere, próque eis orare.* Itémque quòd Eusebius[e] Constantini Magni sepulturam describens ait: *Ut ad Apostolorum ædem ventum est, funus deponunt: aderant Dei sacerdotes, circumfusi turbâ & universo pietatis studioso populo, à quibus divinus per preces cultus adhibitus est.* Necnon quod universim de receptissimâ hâc consuetudine Chrysostomus[f]: *Cur post mortem tuorum pauperes convocas? cur presbyteros, ut pro eo velint orare obsecras? Non ignoro te responsurum, ut defunctus requiem adipiscatur, ut propitium Iudicem inveniat.* Expressiúsque aliàs[ff]: *Non frustrà pro defunctis Oblationes fiunt, non frustrà Preces, non frustrà Eleemosynæ: hæc omnia Spiritus disposuit, volens ut nos mutuò iuvemus.* Quibus similia, quæ iam superiùs ex Augustino retulimus.

[b] Tob. 4.
[c] Quæst. 14.
[d] Epist. 1.
[e] 4. de Vit. 71.
[f] Hom. 32. in Matth.
[ff] Hom. [illegible] in Act.

III. Si verò Gregorium Nyssenum de solis precibus absque sacrificio Liturgico accipiendum quis contenderit, cùm de sepulturâ sororis suæ Macrinæ ait: *Ubi intra fores templi constitimus, demùm deposito feretro nos ad precationem convertimus: quæ quidem precatio populo luctûs materiam præbuit. Silentio enim psalmis canendis imposito, cùm sacram illam Virginis faciem adspexissent, & parentum iam esset patefactus tumulus, in quem illam decreveramus inferre*, &c. Ita-

que nobis nutu silentium imperantibus, & pracone praeunte, & solitas Ecclesiæ voces inclamante, vix tandem populus se ad Precandum composuit. Et quòd Hieronymus [g] in Epitaphio Paulæ; *Translata Episcoporum manibus, in mediâ ecclesiâ speluncæ Salvatoris est posita,* &c. *Hebraeo, Graeco, Latino, Syróque sermone psalmi in ordine personabant, non solum triduo donec subter ecclesiam & iuxta specum Domini conderetur, sed per omnem hebdomadam,* &c. Itémque quod Discipulus [h] S. Fulgentij de eius obitu scribit: *Ipso die obitûs sanctum eius corpus sepeliri minimè potuit; sed in Oratorio monasterij constitutum, totâ nocte illâ in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus vigilare monachos simul & clericos invitavit:* quamvis & potuerit in horum funeribus, præter alias preces etiam Missa celebrari, quod reticuerint scriptores: comprehendantúrque simul omnia nomine *solemnium orationum,* quarum meminit Victor Uticensis [i], cùm populos Catholicos in Persecutione VVandalicâ Africæ, pulsis in exilium Episcopis atque sacerdotibus, sic lamentantes describit: *Quibus nos miseros relinquitis? qui baptizaturi sunt parvulos fontibus aquæ perennis? qui nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentiâ obstrictos peccatorum vinculis soluturi? Qui nos solemnibus orationibus sepulturi sunt morientes? à quibus divini sacrificij ritus exhibendus est consuetus?* Si hæc, inquam, de solis Precibus absque Sacrificio accipienda esse, quis contenderit: sanè solemnissimum quoque eâ in re Sacrificium extitisse, Augustinum [ii] habet firmissimum assertorem; dum in funere matris suæ Monicæ sic loquitur: *Cùm corpus elatum est, imus & redimus sine lachrymis: nam neque in eis Precibus, quas fudimus cùm offerretur pro eâ Sacrificium pretij nostri, iuxta sepulchrum posito cadavere priusquàm deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego flevi; sed toto die graviter in occulto mæstus eram.* Et Possidium de obitu eiusdem ipsius Augustini: *Nobis adstantibus & videntibus, ac cum eo pariter orantibus, obdormivit in pace: & nobis coràm positis pro eius commendandâ corporis depositione, Sacrificium Deo oblatum est, & sepultus est.* Et quod magis est,

[g] Ep. 27. in epitaph. Paulæ.
[h] Ap. Sur. 1. Ianuar.
[i] Lib. 1. de Persec. VVandal.
[ii] 9. Confess. 12.

Concilium ipsum Carthaginiense Tertium [k], cui idem Augustinus subscripsit; quo statutum est, ut *sacramenta Altaris non nisi à ieiunis celebrentur*, &c. *Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, sive Episcoporum, sive clericorum, sive ceterorum commendatio facienda est, solis Orationibus fiat, si illi qui faciunt iam pransi inveniantur.* Itémque Valentinum [l] Hispaniæ: ubi decretum est, *ut Episcopus, qui post mortem fratris,* (hoc est alterius Episcopi) *ad eum sepeliendum solet invitatus occurrere, infirmum magis & adhuc in corpore positum visitet; ut aut de revelatione consacerdotis gaudeat, aut recedentem à sæculo, post oblatum in eius commendatione sacrificium Deo, mox sepulturæ tradat diligentissimè.*

[k] *Cap. 29.*

[l] *Cap. 4.*

IV.
EXEMPLA ECCLESIÆ GALLICANÆ.

Denique qui tot varias provincias peragravimus, ne Galliam nostram insalutatam prætereamus; habemus luculentissima in eâ tam *Precum*, quàm *Sacrificij* exempla; imprimis apud Fortunatum [ll] de obitu S. Medardi: *Corpore sancto composito, & delato ad ecclesiam, nocte illâ exequialem cum multâ devotione celebraverunt vigiliam: manè verò facto, cùm Episcopi quibus interesse contigerat, suum defuncto celebrassent officium,* &c. *perventum est tandem ad sepulturam: Episcopi cum Abbatibus, peractis priùs quæ Dei erant, sanctissimum illud corpus terræ decentissimè commendāt.* Deinde apud Gregorium [m] Turonensem in obitu S. Galli Episcopi; qui post obitum *delatus in ecclesiam, donec comprovinciales ad eum sepeliendum convenirent, iacuit ibi per triduum, assiduo instante psallentis cum magnâ frequentiâ populi: Episcopis autem quartâ die advenientibus, eum de ecclesiâ levaverunt, & portantes in S. Laurentij basilicam, ibi sepeliunt.* Et de Lupicino Recluso, qui *psallentium turmis cum crucibus, cereis, atque odore fragrantis thymiamatis ad locum sepulturæ deductus; celebratis Missis, cum summo honore gaudióque sepultus est.* Itémque de Palladio [n] Arverno: qui cùm se propriis manibus interemisset, *sepulturæ mandatur, sed non iuxta Christianorum cadavera positus, sed nec Missarum solemnia meruit.* Quinimmò nec absque sacrificio fas fuisse sepulchrum operire, disertè docet in transitu [o] S. Radegundis Reginæ: quæ cùm Pictavis decessisset absente Episcopo, & ipse Gregorius mox advenisset, is locum quidem sepul-

[ll] *Apud Sur. 8. Iunij.*

[m] *In Vit. Patr.*

[n] *Id. 4. hist. Franc. 34.*

[o] *De glor. Confess. cap. 106.*

chri, quòd urgeret necessitas, civium precibus compulsus sacravit; solemnia verò Missarum Pontificaliter, ut decebat, in alienâ provinciâ celebrare non præsumpsit: sed capsam ligneam in quâ corpus aromatibus conditum inclusum erat, ad sepulturæ fossam deduxit: & *factâ oratione discessit, reservans Episcopo loci, ut ab eo, celebratâ Missa, tegeretur operculo.* Omittimus alia eiusmodi innumera, quæ in antiquis auctoribus & sacris monumentis reperiuntur. Quis enim tandem finis, si singula prosequi voluerimus?

V. DIES ALIQUI POST OBITUM PRECIBUS ET SACRIFICIIS CONSECRATI.

Tantum porrò abfuit, ut eo tempore quo defunctus sepulchro conditus fuisset, precationum & sacrificiorum finis esset; ut etiam adhuc certi Dies destinati essent, quibus eadem mortuis iterarentur: à Latinis quidem nonnullis (ut Ambrosius [p] testatur) die ab obitu Tertio, & Trigesimo; ab aliis Septimo, & Quadragesimo: à Græcis verò magis Tertio, Nono, & Quadragesimo, ut ex Clemente [q] intelligitur: ab utrisque die Anniversario; (hoc est, ipso die quo quis mortuus est, post annum recurrente) ut ex eodem Clemente, & Tertulliano [r], Gregorio [s] Nazianzeno, Isidoro [ss] Pelusiotâ constat: cùm & præterea Tertij meminerit ad Augustinum scribens Evodius [t]; Septimi iterùm Ambrosius [tt], itémque Augustinus [u]; Trigesimi Ephræm [x] Syrus; Quadragesimi Hieronymus [y]. Non quòd his tantùm diebus ac non etiam intermediis, offerretur pro defunctis, aut iis elapsis non amplius offerretur; sed quòd illis celebriùs fieret, convenientibus pluribus ad statos dies: (neque enim hîc tractare generatim intendimus de Purgatorio, ac Precibus pro defunctis, omnibus Gentibus & Religionibus iure naturali ac divino familiaribus; sicut à pluribus abundè demonstratum est: quæ tametsi eiusdem sint generis, haud tamen adeò præcisè ad funus & sepulturam pertinent, de quibus modò speciatim agimus:) qui & præterea sua omnes habent divina mysteria: súntq; pariter omnes in sacrâ [z] Scripturâ consecrati luctui, & cōmemorationi defunctorum: si fortè *Nonum* excipias; quem ideò Augustinus [a] propter Novemdial Gentilium, minùs in officiis

[p] De fun. Theodos.
[q] 8. const. 42.
[r] De cor. mil. cap. 3. de exhort. cast. cap. 11. de monog. cap. 10.
[s] Orat. de fun. Cæsar.
[ss] 1 Ep. 114.
[t] Ap. Aug. ep. 258.
[tt] De fid. resur.
[u] Quæst. in Gen. 172.
[x] In Test. suo.
[y] Ep. 24. ad Iulian.
[z] Gen. 50. Num. 20. Deuter. 34. Iudic. ult. Eccli. 22. & 38. & ibi Interpp. Aug. q. in Gen. 169. & 172. Amal. 4. de divin. Off. 41. Alcuin. &c. itémque Pet. Bungus lib. de Myst. Numer.
[a] d. q. 172.

funebribus Christianorum probâsse putatur. Qui tamen si penitùs attendatur, non id agere perhibebitur; sed quorumdam opinionem damnare, qui propterea ad expiandos manes illa à Fidelibus adhiberi arbitrabantur, quòd olim fuissent à Gentibus in funeribus excogitata. Cùm & alioqui nec careat hic Novenarius numerus suo mysterio [b], etiámque in luctu Christianorum: & in variis Ecclesiarum consuetudinibus, quælibet non iniuriâ suo in sensu abundare permittitur.

b *Vid. Bung. lib. de Myst. Numer. num. IX.*

VI.
GENTILES QUOQUE SUOS HABUERUNT STATOS DIES.

Si enim sola ratio Novemdialium Gentilium excludere deberet commemorationes noni diei, ceterorum quoque dierum solemnitates, contra expressam eodem loco ipsius Augustini mentem, æquè periclitarentur: quandoquidem & fuerant apud Gentiles [c], præter Novemdiales, etiam Tertiæ, & Trigesimæ Inferiæ, ut Iulius [d] Pollux enumerat: Tertiæ, quæ die tertio à morte defuncti fiebant; Trigesimæ, quæ iustis omnibus peractis pacem funeri dare putabantur: itémque annuæ, & statæ: quæ dicebantur *Anniversaria* sacra, ac *Solemnia*; hoc est, (ut interpretatur Festus) quæ certis temporibus, annisque fieri solerent: quæ & Iurisconsulti [e] *Solemnia mortis* nuncupârunt; cùm fierent vel *quotannis*, vel singulis *mensibus*, ac sæpiùs. Erántque eiusmodi feriæ vel propriæ ac privatæ cuiusque familiæ; (putà quas modò diximus; itémque *Denicales* [f]: & fuisse aliis quoque diebus parentare privatim solitum, ex variis liquet scriptis, & inscriptionibus:) vel Publicæ, quæ *Feralia* dicta: nempè, ut Festus ait, dis Manibus sacrata festa, à ferendis epulis, vel à feriendis pecudibus: sive, ut Varro, ab inferis & ferendo, quòd ferrent tum epulas ad sepulchrum, quibus ius ibi parentare. *Parentare* namque dicebantur (ut etiam testatur Hieronymus [ff]) qui eiusmodi officia parentibus præstabant: & *Parentalia* ipsa officia; quòd *nihil sanctius* (ut loquitur [g] Ausonius) *habeat reverentia superstitum, quàm ut amissos venerabiliter recordetur.* Feraliúmque publicorum festorum solemnis ac status dies, (ut testatur Cicero [h]) extremus anni mensis: qui olim Februarius, posteà December: ciúsque apud Romanos

PARENTALIA GENTILIUM.

c *De his vid. Guther. de Iur. Man. lib. 2. cap. 11. & seqq. & Kirchm. lib. 4. c. 1. & seqq.*
d *Lib. 8. c. 14.*
e *L. Mavia. 44. de manum. test. l. libertas. 18. §. ult. de alim.*
f *Cic. lib. 2. de legib. Fest. verb.* Denical. *& Privat.*
ff *In Ierem. 16.*
g *In præf. Parental.*
h *Lib. 2. de leg.*

consuetudinis varias Plutarchus in Quæstionibus [i] rationes inquirit; cùm, ut ait [k], apud plerosque Latinos id mense Maio fieret. At verò apud Athenienses mensis Anthesterion eidem rei dicatus erat: (quem Martio Romano, sive Aprili respondere plurimi [l], alij Novembri, quidam etiam Februarij partem complecti volunt:) cùm, ut est apud Demosthenem [m], *Solon in legibus, & Deus in oraculo, mandâsset* Atheniensibus, *ut cognati & affines mortuis inferias certis diebus exhiberent.* Memorandúmque quod habet Plinius [n] de Milvis; rapacissimam & famelicam semper alitem, nihil esculenti rapere umquam ex funerum ferculis, nec Olympiæ ex arâ. quod idem habent Pausanias [o], & Ælianus [p]; omnes ex Aristotele tribuentes id milvorum religioni. Sed longè mirabilius equidem duxerim, quod in Athenæo [q] legitur; apud Apolloniam Chalcidicam urbem Macedoniæ, quo tempore vitâ functis parentare solebant, (priùs mense elaphibolione, posteà anthesterione) tantam piscium copiam è lacu Bolyce in Olynthiacum fluvium ascendere consuevisse, ut quamvis fluvius adeò parvus esset ut vix talum tegeret, nihilo tamen minùs ex iis piscibus omnes, qui circumiacerent populi salsamenta in usus suos abundè pararent; nec aliis mensibus pisces ascendere, quàm solis his duobus, quibus honore afficere mortuos consueverant: quasi divino calculo approbaretur pium eorum in mortuos officium; etsi versutiâ diaboli nihil eis profuturum, ob profanationes & corruptiones à perfido impostore divinæ huic, naturalique, atque omnium gentium consuetudini, in ruinam animarum illatas, quarum saluti remedium quærebatur.

[i] *Quæst. Rom.* 34.
[k] *Quæst.* 86.
[l] *Plut. in Syl. Appian. lib.* 2. *de bel. civil. Macrob.* 1. *Satur.* 12.
[m] *Orat. cont. Macart.*
[n] *Lib.* 10. *c.* 10.
[o] *Eliac.* 1.
[p] 2. *de animal.* 47.
[q] *Lib.* 8. *cap.* 3.



CAPUT XVII.

De EPULIS *feralibus*, & CONVIVIIS *funebribus*.

I.

PARENTABATUR autem Inferiis, & Epulis: dicebantúrque [r] *humana sacrificia*, quæ mortuorum causâ fiebant. Erant verò *Inferiæ*, inquit Festus, sacrificia quæ diis Manibus inferebant: unde & nomen acceperunt, nempè ab inferendo: sive, ut vult Servius [t], ab inferis. Et qui attentiùs antiquos auctores Græcos & Latinos legerunt, collegerunt [u] ex iis sex præcipuè rebus Inferias constitisse, videlicèt Aquâ, melle, lacte, vino, sanguine, comis; quorum exempla, & testimonia proferunt. Epulum verò vel mortuorum fuit, vel vivorum: mortuorum, cùm ad eorum bustum epulas ferales deferebant, quæ leviter degustatæ [x] à ductore funeris, igni cremabantur. Hócque propriè *Silicernium* dicebatur; quoniam (ut Servius [y] interpretatur) super silicem sepulchralem poneretur, non in mensâ; vel ut Donatus [z], quòd eam silentes cernerent umbræ, id est, possiderent: cùm essent veteres in illâ opinione, ut putarent animas defunctorum iis vesci, & delectari; ac propterea nomina defunctorum proferentes acclamarent, ut surgerent, comederent, ac lætarentur: sicuti præter Homerum [a], Lucianum [b], Virgilium [c], Ovidium [d], aliósque ex Gentilibus, Tertullianus [e], Epiphanius [f], Augustinus [g], & alij ex nostris affirmant. Vivorum autem funebre Epulum fuit, quòd amici & sanguine proximi ad sepulchra eorum quibus parentabant, solebant inire; cuius etiam frequens mentio apud utrosque [h]: præter publica illa, quibus interdùm ditiores in memoriam defunctorum solebant [k] populum excipere; vel epulas, & *viscerationes*

[r] *Fest. verb.* humanum.
[s] *Verb.* Infer.
INFERIÆ GENTILIUM.
[t] *In Æn.* 10.
[u] *Vid. Cerd. in Æn. 9. vers. 215. De variis autem Parentationum ritibus, Alex ab Alex. lib. 5. cap. 26. & ibi Tiraq.*
[x] *Æn. 5. & ibi Serv.*
[y] *Ibid.*
[z] *In Terent. Adelph. Afferuntur autem & alia huius vocis origines, ac pleraque vana.*
[a] *Odyss.* λ.
[b] *In Dialog.*
[c] *Æn.* 3.
[d] *Fast.* 2.
[e] *De resur. car. cap.* 1.
[f] *In Ancor.*
[g] *Ser. 15. de SS.*
[h] *Homer. Il.* ψ. *& ω. Herod. l. 3. Cic. orat. pro L. Flac. Tertul. de testim. anim. cap. 4. De iis Meurs. cap. 34. & Kirchm. lib. 4. cap. 6.* [i] *Guther. l. 2. cap. 10.*
[k] *Cic. or. in Vatin. Suet. in Iul. cap. 26. Horat. 2. ser. 3. Dio lib. 37. &c.*

consuetudinis varias Plutarchus in Quæstionibus [i] rationes inquirit; cùm, ut ait [k], apud plerosque Latinos id mense Maio fieret. At verò apud Athenienses mensis Anthesterion eidem rei dicatus erat: (quem Martio Romano, sive Aprili respondere plurimi [l], alij Novembri, quidam etiam Februarij partem complecti volunt:) cùm, ut est apud Demosthenem [m], *Solon in legibus, & Deus in oraculo, mandasset* Atheniensibus, *ut cognati & affines mortuis inferias certis diebus exhiberent.* Memorandúmque quod habet Plinius [n] de Milvis; rapacissimam & famelicam semper alitem, nihil esculenti rapere umquam ex funerum ferculis, nec Olympiæ ex arâ. quod idem habent Pausanias [o], & Ælianus [p]; omnes ex Aristotele tribuentes id milvorum religioni. Sed longè mirabilius equidem duxerim, quod in Athenæo [q] legitur; apud Apolloniam Chalcidicam urbem Macedoniæ, quo tempore vitâ functis parentare solebant, (priùs mense elaphibolione, posteà anthesterione) tantam piscium copiam è lacu Bolyce in Olynthiacum fluvium ascendere consuevisse, ut quamvis fluvius adeò parvus esset ut vix talum tegeret, nihilo tamen minùs ex iis piscibus omnes, qui circumiacerent populi salsamenta in usus suos abundè pararent; nec aliis mensibus pisces ascendere, quàm solis his duobus, quibus honore afficere mortuos consueverant: quasi divino calculo approbaretur pium eorum in mortuos officium; etsi versutiâ diaboli nihil eis profuturum, ob profanationes & corruptiones à perfido impostore divinæ huic, naturalíque, atque omnium gentium consuetudini, in ruinam animarum illatas, quarum saluti remedium quærebatur.

[i] Quæst. Rom. 34.
[k] Quæst. 86.
[l] Plut. in Syl. Appian. lib. 2. de bel. civil. Macrob. 1. Satur. 12.
[m] Orat. cont. Macart.
[n] Lib. 10. c. 10.
[o] Eliac. 1.
[p] 2. de animal. 47.
[q] Lib. 8. cap. 3.

CAPUT XVII.

De EPULIS *feralibus*, *&* CONVIVIIS *funebribus*.

I.

PARENTABATUR autem Inferiis, & Epulis: dicebantúrque [r] *humana sacrificia*, quæ mortuorum causâ fiebant. Erant verò *Inferiæ*, inquit Festus, sacrificia quæ diis Manibus inferebant: unde & nomen acceperunt, nempè ab inferendo: sive, ut vult Servius [t], ab inferis. Et qui attentiùs antiquos auctores Græcos & Latinos legerunt, collegerunt [u] ex iis sex præcipuè rebus Inferias constitisse, videlicèt Aquâ, melle, lacte, vino, sanguine, comis; quorum exempla, & testimonia proferunt. Epulum verò vel mortuorum fuit, vel vivorum: mortuorum, cùm ad eorum bustum epulas ferales deferebant, quæ leviter degustatæ [x] à ductore funeris, igni cremabantur. Hócque propriè *Silicernium* dicebatur; quoniam (ut Servius [y] interpretatur) super silicem sepulchralem poneretur, non in mensâ; vel ut Donatus [z], quòd eam silentes cernerent umbræ, id est, possiderent: cùm essent veteres in illâ opinione, ut putarent animas defunctorum iis vesci, & delectari; ac propterea nomina defunctorum proferentes acclamarent, ut surgerent, comederent, ac lætarentur: sicuti præter Homerum [a], Lucianum [b], Virgilium [c], Ovidium [d], aliósque ex Gentilibus, Tertullianus [e], Epiphanius [f], Augustinus [g], & alij ex nostris affirmant. Vivorum autem funebre Epulum fuit, quòd amici & sanguine proximi ad sepulchra eorum quibus parentabant, solebant inire; cuius etiam frequens mentio apud utrosque [h]: præter publica illa, quibus interdùm ditiores in memoriam defunctorum solebant [k] populum excipere; vel epulas, & *viscerationes*

[r] *Fest. verb.* humanum.
[s] *Verb.* Infer.
INFERIÆ GENTILIUM.
[t] *In Æn.* 10.
[u] *Vid. Cerd. in Æn.* 9. *vers.* 215. *De variis autem Parentationum ritibus, Alex. ab Alex. lib.* 5. *cap.* 26. *& ibi Tiraq.*
[x] *Æn.* 5. *& ibi Serv.*
[y] *Ibid.*
[z] *In Terent. Adelph. Afferuntur autem & alia huius voces origines, ac pleraque vana.*
[a] *Odyss.* λ.
[b] *In Dialog.*
[c] *Æn.* 3.
[d] *Fast.* 2.
[e] *De resur. car. cap.* 1.
[f] *In Ancor.*
[g] *Ser.* 15. *de SS.*
[h] *Homer. Il.* φ. *&* ω. *Herod. l.* 3. *Cic. orat. pro L. Flac. Tertul. de testim. anim. cap.* 4. *De iis Meurs. cap.* 34. *& Kirchm. lib.* 4. *cap.* 6. [i] *Guther. l.* 2. *cap.* 10.
[k] *Cic. or. in Vatin. Suet. in Iul. cap.* 26. *Horat.* 2. *ser.* 3. *Dio lib.* 37. *&c.*

[l] De iis frequens ap. Liv. mentio; Dionys. Halic. l. 5. Plin. de vir. ill. cap. 32. Cic. Offic. 2. &c.

(ut vocabant [l]) aut divisiones, tam omnis generis alimentorum, quàm etiam pecuniarum, largiri. Sicut & in libro Mahzor Hebræorum, de quo non semel superiùs, cùm post elationem funeris, qui illud comitati sunt in ædes mortui reverterunt, *Hazan*, seu minister qui officio præest, benedicens pani & vino, gratias agit Deo; commendátque misericordiæ eius animas Israëlitarum quæ ex hâc vitâ migrârunt; atque ubi omnes aliquantulùm ex benedictâ mensâ degustârunt, quisque domum suam repetit.

II.

CIBI AD MONUMENTA IUDÆORUM, ET CHRISTIANORUM.

[m] Tob. 4.

Quinimmò & fuisse aliquando apud eosdem Iudæos, necnon apud Christianos antiquos, consuetudinem cibos ad monumenta deferendi, & convivia funeralia celebrandi; ipsæ sacræ Scripturæ, & Patres nos docent. Sic enim legimus [m] Tobiam seniorem filio mandatum dedisse, *panem, & vinum suum super sepulturam iusti constituere*; sive, ut textus Græcus habet, *effundere panes suos in sepulchrum iustorum.* Sed non eo fine, quo Gentiles pravâ opinione dementati, qui cibos & potum ad sepulchra deferebant, (quod diximus) ut eos mortui ederent ac biberent. (Cuius ipsorum moris meminit etiam Scriptura in Ecclesiastico [n], cùm ait: *bona absconditain ore clauso*, esse *quasi appositiones epularum circumpositas sepulchro.* Significans non maiorem utilitatem, aut voluptatem, divitem ægrotum nauseantem percipere ex epulis exquisitis ori eius clauso admotis, quàm mortuos ex ferculis eorum sepulchris appositis. Eumdémque à quibusdam superstitiosis Christianis multo pòst tempore observatum in festo Cathedræ S. Petri (quod & inde aliquando *festum* [o] *Epularum* dictum reperimus) omni orationis vehementiâ exterminandum proclamavit Augustinus [p]; penitúsque proscripsit Turonicum [q] Concilium Secundum. Verùm id aliis prorsùs de causis; & tam vivorum intuitu, quàm mortuorum. Vivorum quidem, dupliciter: nimirùm, vel ut iis qui mortuos lugerent, consolationi foret cibus potúsque præbitus; cùm ipsi aut intenti funeri, aut præ dolore non possent, aut honestum non ducerent in eo rerum articulo de epulis cogitare: (quod quidem

[n] Eccli. 30.

[o] Guill. Durand. de divin. Offic. cap. 83.

[p] Hom. 15. de Sanct. ser. 110. de divers. & alibi.

[q] C. 23.

EIUS MORIS RATIONES.

quidem & Græcis eo fine in usu fuisse, intelligitur ex Apollonio [r] in Argonauticis, & Luciano de Luctu [s]: ac Iudæis, ex Ieremiâ [t] prophetâ, apud quem de mortuorum planctu & sepulturâ Dominus agens: *Ne ingrediaris*, inquit, *domum convivij, neque consoleris eos*: &, *Non frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo; & non dabunt eis potum calicis ad consolandum super patre suo, & super matre.* Ubi Hieronymus observat, moris fuisse lugentibus ferre cibos, & præbere convivium; quæ Græci περίδειπνα, Latini *parentalia* vocabant. Indéque & aliam scripturam [u] dicere; *Date siceram mærentibus, & vinum iis qui amaro sunt animo; & doloris sui non recordentur amplius.*) Vel ut ad iustorum sepulchra positi cibi, *per eorum merita sanctificarentur*; uti loquitur de his agens Augustinus [x]: sícque dum iis vivi homines pascerentur, aliquam etiam mortuorum iustorum sanctitudinem imbiberent, eorumdémque benedictione ac præsidio afficerentur. *Mortuorum verò causâ, itidem dupliciter: videlicèt, vel ut honor quidam iis esset: (cùm dignitatem humanæ naturæ etiam post mortem multis nominibus honore prosequendam esse abundè probârimus) quales fuerunt apud Gentiles epulæ quas diximus, & quarum præ aliis plurimis meminit antiquissimus Homerus [y] in funeribus Patrocli & Hectoris: (ubi Eustathius distinguit inter Epulum, quod in ipso sepulchro, & quod post sepulturam agebatur; illúdque vocari ait τάφον, à nomine sepulcri; hoc verò περίδειπνον; quod triduo post obitum celebrari consuevisse, clarè ex iisdem Apollonio, & Luciano percipitur. Observátque Cicero [z], ita eiusmodi epulum fuisse funebre, ut Munus esset funeris, Epulæ autem ipsæ dignitatis; ac proinde atratos quidem, seu pullatos, spectâsse munera, hoc est ludos; sed his peractis, albatos cœnâsse in templo aliquo: quia quasi supplicatio erat illud epulum, in supplicationibus autem necessariò essent [a] albati:) quæque à Iudæis observata legimus, tum in libris [b] Regum, ubi post exequias Abneri *venit universa multitudo cibum capere cum David Rege*; τὸ περιδειπνῆσαι ἕνεκα, id est, ut funebre convivium cum eo ageret:

[r] Lib. 2.
[s] In fi.
[t] Cap. 16.
[u] Proverb. 31.
[x] 8. de civit. ult.
[y] Il. ψ. & ω.
[z] Orat. in Vatin.
[a] Val. Max. lib. 2. cap. 1. ex. 15. Pers. Sat. 2. &c.
[b] 2. Reg. 3.

tum ex Iosepho [c], cùm scribit, Archelaum diebus septem in luctu patris sui Herodis consumptis, *epulas ferales prolixè populo exhibuisse*: húncque morem apud Iudæos ad inopiam multos redegisse, quòd qui eum neglexisset, impius haberetur: quæque item Christiani olim quidam, ad Martyrum sepulchra & basilicas celebrare consueverant, ut patet ex variis locis SS. Ambrosij [d], Augustini [e], aliorúmque [f] Patrum: qui ut huiusmodi epula ex pietate & observantiâ erga sanctos Martyres, locis sacris celebrari cœpta, quamdiù intra sobrietatis limites constitêre, excusanda censuerunt; ita postquam unà cum hâc consuetudine, perniciosa temulentiæ pestis non tantùm clàm irrepere, sed etiam palàm irrumpere cœpit, gravissimè in eamdem non iam consuetudinem, sed corruptionem atque perversitatem, invehi non destiterunt: donec tandem tam illa, quàm alia quæcumque eiusmodi epularum genera constitutionibus [g] Synodalibus, & Doctorum invectivis, (cùm nec à cautissimis ulla cautio sufficiens serpentibus abusibus adhiberi posset) ab Ecclesiis penitùs explosa sunt.

SUBLATÆ ILLÆ EPULÆ OB ABUSUS.

[c] 2. de bel. 1.

[d] Lib. de Eliâ. cap. 17. & in Luc. 9. in fi.

[e] 6. Confess. 2. de morib. Eccl. Cathol. c. 34. ep. 64. ad Aurel. 27. cont. Faust. 4. & 21.

[f] Ap. Cypr. de dupl. mart. Paulin. natal. 9. S. Fel. Greg. 9. ep. 71. ad Mellit. Chrys. orat. de S. Iulian. Basil. de reg. fus. c. 40. Theodor. lib. 8. de cur. Gr. affect.

[g] Conc. Laodic. c. 28. Carthag. III. c. 30. Trullan. c. 74. &c.

III.

ALIUD GENUS EPULARUM FUNEBRIUM PERMISSUM.

Secundò mortuorum iustorum causâ panis & vinum poni super sepulturam iustorum iubentur; ut hoc opus charitatis pro iis factum, auxilium esset pro culparum contractarum expiatione, per istámque eleemosynam ad orandum pro ipsis alij excitarentur: quo sensu tum durat usque in hodiernum diem per multas Catholicorum Ecclesias in Galliis & Hispaniis eadem religio & pietas, ponendi super sepulturas panem & vinum in usum sacerdotum, ut pro mortuis orent: (dignus est enim operarius cibo suo, ut Dominus [h] dixit:) tum & viguit semper laudabilis in universâ Ecclesiâ consuetudo, convocandi ad modestum funebre convivium propinquos & amicos, ac præcipuè clericos & pauperes, mortuo in subsidium & solamen ex hâc stipe & eleemosynâ. Huius igitur generis convivia in privatis ædibus celebrari solita nemo reprehendit, multi commendârunt. Inter quos vetus auctor Commentarij [i] in Iob, ab aliquibus Origenes putatus; *Parentum nostrorum, vel amicorum in fide morientium*,

[h] Matth. 10.

[i] Lib. 3. ap. Orig.

devotè memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quàm etiam nobis piam consummationem in fide postulantes. Celebramus nimirum religiosos cum Sacerdotibus convocantes, fideles unà cum Clero, invitantes adhuc egenos & pauperes, pupillos & viduas saturantes; ut fiat festivitas nostra in memoriam requiei defunctorum animabus quarum memoriam celebramus, nobis autem efficiatur in odorem suavitatis in conspectu æterni Dei. Et Chrysostomus [k]: *Cur post mortem pauperes convocas? Cur presbyteros orare obsecras? Non ignoro te responsurum; ut defunctus requiem adipiscatur, ut propitium Iudicem inveniat.* Qualitérque in iis se gerere deberent, cùm sacerdotes, tum alij fideles, luculenter omnes instruens Pastor Ecclesiæ Universalis Clemens [l] Romanus: *Qui in exequiis mortuorum ad convivium funebre invitati estis, ordine & cum timore Dei epulamini, ut possitis preces pro defunctis adhibere Deo. Qui enim presbyteri & diaconi estis, debetis semper sobrij esse tum vobis, tum aliis, ut possitis eos qui incomposite, & immoderatè vivunt, monere*, &c. *Verùm hoc non de iis tantùm dicimus qui sunt in Clero, sed etiam de omni laico Christiano*, &c. Extat porrò & apud S. Paulinum [m] illustre exemplum funeralis convivij pauperibus exhibiti Romæ in ipsâ basilicâ S. Petri, antequàm omninò iis locis proscriberetur, ab Aletio in funere Ruffinæ uxoris suæ: cuius Paulinus solicitam pro animâ defunctæ coniugis curam, & in egenis tunc reficiendis, vestiendis, omnique charitatis & misericordiæ genere refocillandis, munificentiam amplissimè laudavit, & commendavit. Fuerúntque insuper alia inter Christianos publicorum Epulorum genera: putà Natalitia, Connubialia, Eucharistica, (quæ ante & post sumptionem sacrosanctæ Eucharistiæ fieri consueverant) & quę in Dedicationibus Ecclesiarum, aliísque sacris solemnitatibus celebrabantur: quæ cuncta Gregorius Nazianzenus, & alij, *Sacra* vocant, ob pietatem, modestiam, & temperantiam, quæ in eis servabatur. De quibus, quòd ea minùs ad rem nostram pertineant, Lectorem illorum cupidum remittimus ad Scriptores [n] qui ea

[k] *Hom. 31. in Matth.*

[l] *8. Const. 44.*

[m] *Ep. 33. ad Aletn.*

[n] *Baron. Annal. to. 1. an. 57. num. 119. & seqq. Grets. de Fun. Christ. lib. 3. cap. 5. & 6.*

diligentiùs tractârunt. Hoc unum adnotantes, prædicta omnia vocata fuisse communi Patrum & Conciliorum loquutione *Agapas*; quia charitatis inter quoscumque Christianos conservandæ & ineundæ, & à ditioribus in pauperes exhibendæ, argumentum erant. Unde Tertullianus [o] agens de ordine ac ritu quo peragi consueverant, *Cœna nostra*, inquit, *de nomine rationem sui ostendit: vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos est. Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum: siquidem inopes quoque refrigerio isto iuvamus*, &c. Meminítque eodem sensu Iudas [p] Apostolus *Agaparum*: idem verò Tertullianus [q] aliquando Latino vocabulo *Dilectionem* appellavit: ac fortè inde apud omnium ferè gentium Christianos religiosiores etiamnum usus loquendi obtinet, ut qui quempiam ad convivandum invitet, invitare dicatur *ad faciendam charitatem*.

AGAPÆ CHRISTIANORUM.

[o] *Apol. cap.* 19.

[p] *In ep. cath.*

[q] *Cont. Marcion. lib.* 1.

CAPUT XVIII.

De aliis ELEEMOSYNIS *funeralibus.*

I. CETERÙM præter huiusmodi convivia Funebria, alias etiam *Eleemosynas* iam olim, quemadmodùm & hodie, pauperibus erogari in funeribus consuevisse pro defunctorum salute; hócque remedium efficacissimum, post Orationem, & Sacrificium, mortuorum animabus subveniendi, existimatum; multa sunt Patrum testimonia quæ doceant: & inter alia, quæ nuper ex Origene & Chrysostomo, & anteà ex Augustino retulimus; quæ que alibi idem Augustinus [r] habet: & quæ profert Paulinus tum in laudibus quas diximus Aletij, ubi eleemosynas ab eo pauperibus post obitum uxoris distributas, ait *infusas* esse *eius animæ*; tum ubi [s] Pammachium celebrat, quòd defunctæ coniugis funus *remediis salutaribus, & vivis opibus, hoc est eleemosynis prosecutus esset.* & quod apud Clementem [t] legimus mandatum,

[r] *Ep.* 64. *ad Aurel* & 8. *de civit.* 27.

[s] *Paulin. ep.* 37.

[t] *Ep.* 1.

diligenter defunctorum exequias peragere, próque eis eleemosynas dare: Et aliàs [u], *in anniversariis suppeditare ex bonis defuncti pauperibus, ad recordationem eiusdem.* Sunt & alia eiusmodi Athanasij nomine publicata in Quæstionibus [x] ad Antiochum: & in elegantissimâ oratione, quam de iis qui è vitâ discesserunt edidisse traditur [y].

[u] 8. Conf. 42.
[x] Quæst. 14.
[y] Ap. Io. Damasc. orat. de fidel. def.

II. VIS ELEEMOSYNÆ PRO DEFUNCTIS.

Sed præ ceteris omnibus Chrysostomum habemus, ut crebrò, ita & graviter ad hoc pietatis officium defunctis præstandum cohortantem: *Si peccator moritur,* (inquit alicubi [z]) *is deflendus est; vel potiùs minimè, cùm nihil illi afferat utilitatis: sed ea facienda, quæ ei aliquid conferre possint, Eleemosynæ, Oblationes,* &c. *Honor mortuo non fletus est, non eiulatus; sed hymni, & psalmi, & vita optima. Vis mortuum honorare? aliâ viâ aggrediendum est: fac Eleemosynas.* Et aliàs [a]: *Eam morientium curam habeamus, quæ & nobis & illis conferat ad gloriam Dei. Largas pro eis Eleemosynas faciamus, mittamus ei pulcherrima viatica,* &c. *Cùm ergo quispiam moriturus est, qui morituro familiaris est; illi comparet iusta funebria, & discedenti ægroto persuadeat ut indigentibus aliquid relinquat: cùm his emittat indumentis, Christum heredem relinquat. Hæc sunt funera pulcherrima; hæc & remanentibus, & obeuntibus proficiunt. Si ita sepeliemur, in resurrectione clari apparebimus: quòd si curato corpore animam neglexerimus, multa illic gravia perpetiemur,* &c. Item: *Si peccator excessit; quoad fieri potest ei succurrere oportet, non lachrymis, sed Precibus & supplicationibus, & Eleemosynis, & Oblationibus.* Ac rursùm: *Luge eos qui in divitiis sunt mortui, cùm ex divitiis nullum animabus suis solatium comparâssent. Hos lugeamus, opera pro viribus feramus, aliquod ipsis auxilium comparemus. Quomodò, quâve ratione? cùm ipsi preces fundentes, tum alios ut pro ipsis fundant obsecrantes; ac pro ipsis dantes perpetuò Eleemosynas pauperibus.* Et alia eiusmodi sæpè. Quemadmodùm & Hieronymus [b] Pammachium valdè commendat, quòd cùm *ceteri mariti super tumulos coniugum spargerent violas, rosas, lilia, floresque purpureos; & dolorem pectoris his officiis consolarentur; ipse sanctam favillam* Paulinæ coniugis suæ defunctæ, *ossaque veneranda, Eleemosynæ balsamis rigaret; hisque pigmentis atque odoribus fo-*

[z] Hom. 61. in Ioan.
[a] Hom. 84. in Ioan. ad fi. hom. 41. in 1. Cor. 15. hom. 3. ad Philip.
[b] Ep. 26. ad Pam.

veret cineres quiescentes; sciens scriptum[c]*: Sicut aqua extinguit ignem, ita Eleemosyna peccatum.*

III. Ubi & alium morem antiquorum vides, floribus tumulos exornandi: de quo iam aliàs dictum, occasione rituum Gentilitiorum. Quapropter haud illi ampliùs immorandum ducimus; sicuti nec Orationibus funebribus, Epitaphiis, Titulis & Inscriptionibus, Cippis, Columellis, ceterísque sepulchrorum signis & ornamentis; Vestibus lugubribus; aliísque eiusmodi, omnibus gentibus & Religionibus communibus, quorum pleni sunt auctorum libri; nec propriè ad ritus ordinarios sepulturæ pertinent: Nec denique nonnullis minutioribus funerum Christianorum ceremoniis, quæ parùm difficultatis aut controversiæ habent; quásque nimisquàm longum foret hic cunctas recensere. Claudátque hunc de iis tractatum, observatio una de *Crucibus* sepulchris appositis; & altera de *Lampadibus* ad ea accensis; ex antiquiori illâ vetustate, uti ceteræ depromptæ.

[c] Eccli. 3.

CAPUT XIX.

De CRUCIBUS *ad Sepulchra appositis.*

I. SIQUIDEM de sepulchris CRUCE ornari consuetis, fidem imprimis faciunt Acta [d] S. Gregorii Magnæ Armeniæ Præsulis, (qui in Persecutione Diocletiani multa gravia passus, tandem in pace quievit:) dum habent, ipsum super unumquodque sepulchrum eorum qui mortem pro fide Christi obierant, statuisse venerandam Christi Crucem. Itémque Gregorius noster Turonensis; dum ait sepulchrum S. Iuliani Martyris ornatum fuisse Cruce variis gemmis coruscante. Repertáque Romæ sepulchra Probi & Probæ illustrissimorum priscæ Romanæ nobilitatis, & Christianæ pietatis coniugum, Imagines referunt Salvatoris Crucem tenentis, & Apostolorum. Quarum formas Cæsar Baronius [e] repræsentans, insuper monet, huiusmodi piorum ornamentorum in

[d] Ap. Sur. 10. Sep. ex Metaphr. & citantur ab Euthym. Panopl. par. 2. tit. 20.

[e] Annal. to. 4. an. 393.

veterum Christianorum monumentis innumera Romæ exempla suppetere. Idque ipsum longè uberiùs diligentissimus Cœmeteriorum investigator Ant. Bosius in suâ Româ subterraneâ demonstrat. Confirmátque de aliis itidem locis Iac. Gretserus in accuratissimo opere de Cruce. Nec sanè immeritò; ut vel hâc notâ demonstrarent se sub vexillo Crucis militâsse, vitámque in fide Christi consummâsse.

II. ALIA A GENTILIBUS SIGNA SEPULCHRIS APPOSITA.

Longè planè alio fine, quàm olim Athenienses: quos refert Suidas [f], cenotaphiis eorum qui per calamitatem mortui, & extra Atticam sepulti essent, crucem ligneam apponere consuevisse. (ἴκριον, simile patibulo, cui Iudæi Salvatorem affixerunt.) Crux enim Christianorum sepulchris addita, non calamitatem, sed potiùs summæ cuiusdam felicitatis argumentum, & beneficiorum per Crucem acceptorum, testimonium est: significátque insuper, sepultum ad Crucifixi curam & providentiam pertinere; immò eius virtute ac numine è tumulo illo ad Regni sui cælestis participationem evocandum: ac denique Crucem insigne esse professionis suæ, & signum sub quo militaverit. Quemadmodùm extitit & apud Gentiles mos antiquissimus, ut in sepulchris defunctorum vitæ genus insigniretur, quale illi in vitâ exercuissent; ut militum arma, tubicinum tubæ, nautarum remi. Indéque apud Homerum [g], Elpenori olim in vivis viro forti & insigni remigi, Ulysses arma mortui busto aggesto, & desuper cippo erecto, fixit in summo sepulcro fabrefactum remum. Et apud Virgilium [h] Ænæas Miseno,

Qui lituo pugnas insignis obibat & hastâ,

Viróque nautico,

——ingenti mole sepulchrum

Imponit, suáque arma viro, remúmque, tubámque.

Et ad sepulchrum Archimedis, viri geometricæ, ac machinalis, sideralisque scientiæ, omnium quotquot umquam fuerunt peritissimi, columellam cum sphæræ figurâ, & cylindri, appositam fuisse, Cicero [i], qui detexit, scripsit: idque ab amicis petiisse Archimedem adhuc viventem, Plutarchus asserit in Vitâ Marcelli. Longobar-

[f] Verb. ἴκριον.

[g] Odyss. μ.

[h] Æn. 6.

[i] Tuscul. 5.

dis verò extra patriam extinctis, consanguineos eorum intra sepulchra sua perticas cum superpositis columbis ligneis illuc versis ubi illorum dilecti obiissent, figere consuevisse, auctor est Paulus [k] VVarnefridus Diaconus Foroiuliensis in Rebus eorum gestis. Cetera huiusmodi omittimus.

[k] Lib. 5. de gest. Long. cap. 34.

CAPVT XX.

De LAMPADIBUS ad Sepulchra.

I. DE *Lampadibus* autem, seu Cereis sepulchralibus, testimonia quædam prolaturus; haud equidem iis insisto, quæ in honorem Sanctorum Martyrum & Confessorum accendi consueverant ad eorum tumulos, seu ad altaria & Ecclesias in quibus eorũ reliquiæ quiescerent; quorum numquam finis esset, si singula enumerare vellem: cùm adeò hoc usitatum in antiquâ Ecclesiâ Catholicâ fuerit, ut hæreticus Vigilantius, è nostrorum sectariorum progenitoribus unus, inde Orthodoxos calumniis incessendi ansam arripuerit: quem fortiter æquè ac eleganter more suo S. Hieronymus confutavit. Sed de iis ago, quæ ad quorumvis defunctorum monumenta accendi consueverant. Quorum locupletissimus testis Magnus Athanasius in elegantissimâ illâ oratione (ut eam nuncupat Ioannes [l] Damascenus) quam de iis qui è vitâ discesserunt edidit; dum sic scripsit: *Etiamsi in aere collocatus sit ille, qui cum pietate diem vitæ extremum egit, tamen imploratâ Christi Dei ope, Oleum ac Ceram ad ipsius sepulchrum accendere ne recuses. Grata enim & accepta hæc Deo sunt, ingénsque ab eo præmium referunt. Oleum enim ac Cera holocausti instar sunt: incruentum autem Sacrificium Deum placat: beneficentia denique erga pauperes, bonæ omnis remunerationis incrementum est.* Húncque morem miraculo divinitùs comprobatum legimus apud Gregorium [m] Turonensem; dum agens de transitu Pelagiæ matronæ Lemovicinæ, B. Aredij Abbatis matris, ait, cùm *postquàm sepulta esset, posuissent*

[l] Orat. de Fidel. def.

[m] De glor. Conf. cap. 104.

posuissent Cereum ad caput eius dicentes, Parum nobis est ceræ, & iam nox prolixior habetur; cùm ad matutinum consurgimus, tunc accendatur cereus iste; & clauso ostio abiissent: expleto somno ingressos basilicam, invenisse cereum ardentem, quem extinctum reliquerant.

II.

Quòd verò huic mori opponi dicitur Canon Concilij Eliberitani[n], durante adhuc Gentilium persecutione in Hispaniâ celebrati; quo prohibitū est, *per diem in cœmeterio cereos incendi*, quòd *inquietandi sanctorum spiritus non sint*: frustrà fit. Non enim simplicem luminum accensionem, quam diximus, Patres vetuerunt; quæ fit ad significandum animas vivere, & suo tempore etiam corpora resurrectura; & Christianos defunctos, esse filios lucis, non tenebrarum: sed illam, quæ fiebat ex superstitione Gentilium; vel ob errorem de animarum circa sepulchra centenariâ oberratione, de quâ aliàs diximus; vel ad evocandas per incantamenta, & carmina magica, defunctorum animas; eo modo, quo in libris [o] Regum à Pythonissâ dicitur evocata rogatu Saulis anima Samuelis ad exitum belli exquirendum: qui etiam evocatus dixit, *Quare inquietâsti me, ut suscitarer?* Et apud Lucanum [p] Erichtho maga, rogatu Pompeij animam militis nuper occisi in corpus revocavit, non sine *lumine, carmine facto,* ut eventum belli cognosceret: quando

[n] Cap. 34.

CONCILII ELIBERITANI CANON DE CEREIS SEPULCHRALIBUS EXPONITUR.

[o] 1. Reg. 28.

[p] Lib. 6.

EVOCATIONES ANIMARUM PER NECROMANTIAM.

Adspicit adstantem proiecti corporis umbram,
Exanimes artus, invisáque claustra timentem
Carceris antiqui: pavet ire in pectus apertum,
Visceráque & ruptas lethali vulnere fibras.
Ah miser, extremum cui mortis munus iniquæ
Eripitur, non posse mori!

Et in Plinio [q] legimus, ubi de verbis & incantamentis carminum agit, solitos fuisse *ad mentionem defunctorum testari, memoriam eorum ab ipsis non sollicitari*: videlicèt ob frequentem usum advocandi, ac (ut aiebant) *sollicitandi*, seu *inquietandi* animas defunctorum: quo & usus Ulysses apud Homerum [r]; Canidia & Sagana apud Horatium [s]; Tiresias apud Senecam [ss] & Statium [t]; Scipio apud Silium [tt]; apud Flaccum [u] Æson; apud Dionem [x] Cara-

[q] Lib. 28. cap. 2.
[r] Odyss. λ.
[s] 1. Satyr. 8.
[ss] In Oedip.
[t] Theb. 4.
[tt] Lib. 13.
[u] In Argon.
[x] In Caracal.

calla; apud alios alij. Háncque Necromantiæ magiam (cuius duas invenias species, unam Necyomantiam dictam, quâ cadaver ipsum erigebatur ad futura eloquenda; nec fiebat absque sanguinis effusione: alteram Sciomantiam, quâ sola umbra per invocationem evocata, epotóque sanguine libato, ventura prædicebat.) Tertullianus [y] & Augustinus [z] exagitant: Iustinus [a] Martyr & Lactantius [b] ex eâ argumentum sumunt adversus Philosophos interitûs animarum assertores.

[y] Apol. cap. 23. & de anim. cap. 57.
[z] 7. de civit. 15.
[a] Apol. 2. ad Impp.
[b] Lib. 7. cap. 13.

III. DISCRIMEN LUMINUM SEPULCHRALIUM, GENTILIUM ET CHRISTIANORUM.

Et quamvis sciamus etiam extra magiam consuevisse Gentiles (licèt non absque idolorum suorum superstitione; & quòd his crederent umbras defunctorum illuminari, iisque indigere:) non solùm in inferiis & parentalibus [c] faces ac lucernas accendere, verùm etiam continuò accensas [d] tenere: (præter lucernas illas, quas intra ipsa monumenta, unà cum corporibus, sepelire moris fuisse, fidem facit quòd in omnibus ferè sepulchris quæ aperiri contigit, eiusmodi lucernæ [e] repertæ sunt.) haud tamen ideò minùs Christiani id agere debere censendi sunt; cùm finis diversus utrosque discriminet: nam quod Gentiles agebant, id ut vanis erroribus patrocinarentur agebant: quod Christiani, id in honorem Dei, & in eius fidei, quâ defuncti claruerunt, & hinc excesserunt, testimonium, necnon ad vivorum animos in spem æternæ vitæ excitandos. Quare & in antiquis quoque Cœmeteriis Christianorũ Lucernas innumerabiles passim repertas esse Bosius testatur. Et ut egregiè disputat S. Hieronymus adversus Vigilantium, qui immundo spiritu pugnans contra Christi Spiritum, Martyrum negabat sepulchra esse veneranda; *quicumque accendunt cereos, secundùm fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo, Unusquisque in suo sensu abundet. Idololatras appellas huiusmodi homines? Non diffiteor, omnes nos qui in Christo credimus, de idololatriæ errore venisse: non enim nascimur, sed renascimur Christiani. Et quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, & idcircò detestandum est: hoc fit Martyribus, & idcircò recipiendum est.* Quòd siqua in

[c] Ovid. lib. 2. Fast. Suet. in Octav. cap. 98. &c.
[d] Herodot. lib. 2. cap. 130. l. Mævia. 44. de manum. test. Dio lib. 67 in conviv. larv. Domit. Petron. in satyr. &c.
[e] Vid. Guther. lib. 2. cap. 32. Laz. de Rep. Rom. lib. 3. cap. 18. Aldrouand. Ornithol. lib. 1. &c.

his superstitionis labes subesset, non minùs sanè Ecclesia Catholica ea prohiberet, quàm in sacrâ Oecumenicâ Synodo [f] Tridentinâ (quod ad lumina Missarum attinet) *candelarum certum numerum, magis à superstitioso cultu quàm à verâ religione inventum,* (cui videlicèt ita innitantur illis utentes, ut credant eo aucto vel minuto preces carere effectu) *omninò removendum* decrevit: quippe quæ constituta sit à Domino, (ut docet [ff] Apostolus) *columna & firmamentum veritatis;* hoc est (ut Patres [g] interpretantur) columna in veritate firma, & alios in eâdem firmans: Benè firmata in fide, & veritate, per infallibilem ac continuam & perpetem præsentiam Spiritûs sancti, à Christo promissam, quando dixit [h]; *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum,* Spiritum veritatis: & iterùm [i]: *Cùm venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem veritatem:* Ac benè firmans in veritate fideles, ut (quemadmodùm ait idem Apostolus [k]) *iam non sint parvuli fluctuantes, & circumferantur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris.* Cuius *tantæ ostensiones cùm sint,* (inquit S. Irenæus [l]) *non oportet apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cùm Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissimè in eam contulerint omnia quæ sint veritatis; uti omnis quicumque velit, sumat ex eo potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt & latrones: propter quod oportet devitare quidem illos; quæ autem sunt Ecclesiæ, cum summâ diligentiâ deligere, & apprehendere veritatis traditionem.* Atque hæc esto felix clausula funebribus Christianorum Ceremoniis: quas sicut attigi magis ex argumenti necessitate, quàm ut singulas plenâ manu tractarem; ita nervosiùs, quàm verbosiùs rem peregisse confido: ut non adversus ista tam antiqua, támque solida divinæ Scripturæ, sacrorúmque Conciliorum, ac sanctorum Patrum testimonia, ac certissima vetera monumenta, tempestatis huius Novatoribus reliquum esse validi quid videatur, quod opponere possint.

[f] *Sess. 22. decr. de observ. & evit. in celebr. Miss.*

VIGILANTIA ECCLESIÆ IN SUPERSTITIONIBUS TOLLENDIS.

[ff] *1. Tim. 3.*

[g] *Chrys. Theod. Theophyl. Bed. &c.*

[h] *Ioan. 14.*

[i] *Ioan. 16.*

[k] *Ephes. 4.*

[l] *Lib. 3. cap. 4.*

LIBRI I. PARS IV.

HÆRETICORUM, SCHISMATICORUM, & MAHOMETANORUM, *sententia de Sepulturâ & Funeribus. Ac de* ANIMANTIUM *instinctu ad ea.*

EBUS igitur Christianorum expeditis, ut iam ex ordine proposito ad HÆRETICOS & SCHISMATICOS transeamus; quamvis ex antiquioribus nonnulli reperti sint, qui sacras Catholicorum ceremonias floccifecerint, ac damnaverint: (non tam sanè, ut puto, propriâ eorum optione, quàm piâ Dei providentiâ, ut nullum se post mortem animarum suarum levamentum expectare significarent, qui eas in vitâ per defectionem adversario devovissent:) nulli tamen, quod sciam usquam extiterunt, qui ipsam Sepulturam improbaverint; quive non eam inter sacros, & inviolabiles (quales quales ij tandem fuerint) sectarum suarum ritus connumeraverint [a].

[a] *Intelligetur hoc specialius, ex iis quæ post dicentur de Hæreticis.*

CAPVT I.

De SCHISMATICIS.

I. SCHISMATICORUM ET HÆRETICORUM DISCRIMEN.

DE SCHISMATICIS res est expeditior: quos constat, quamdiù solùm in schismate perstant, nullum Ecclesiæ dogma, nulla eius sacra damnare. Licèt enim *separent quidem* (ut loquitur Hieronymus [b]) *deceptam multitudinem ab Ecclesiâ Dei; tamen hoc non faciunt*

[b] *In Amos I. in fi.*

crudelitate quâ hæretici; sed in eâdem regulâ fidei permanentes, dilatare cupiunt terminos suos, & nomen gloriæ in posteros mittere. Quorum differentiam breviùs Augustinus [c] insinuans: *Hæretici*, inquit, *de Deo falsa sentiendo, ipsam fidem violant; Schismatici dissensionibus iniquis à fraternâ charitate dissiliunt, quamvis ea credant quæ credimus.* Sanè *Græcos*, antequàm schismate primùm, deinde & hæresi separarentur ab Ecclesiâ Catholicâ, iisdem cum reliquis Orthodoxis, ceremoniis in funeribus & sepulturâ suorum usos esse, locupletissimis superiùs probavimus auctoritatibus. Eadem verò fermè omnia observata deinceps ab eis fuisse, sive in lotione, aut abstersione, atque vestitione corporum; sive in elatione, ac deductione cum piis psalmodiis, cereísque, atque depositione in loco sacro & religioso; seu denique in precibus pro defunctis ad ipsam sepulturam; & sacrificiis Deo offerendis, eleemosynisque pauperibus erogandis: testatur ipsorum Euchologium [d], seu Officium Ecclesiasticum; ubi ritus exequiarum & sepulturæ traduntur, singillatim seorsimque monachorum, sacerdotum, laicorum tam virorum quàm feminarum, ac denique infantium: etiámque num in ipsâ infelicissimâ eorumdem servitute, quantum fieri potest, actitari, & scribunt qui eorum regiones perlustrârunt, ac mores exquisierunt [e]; & confirmant Græci Catholici, qui frequentes sunt in Italiâ, de his à nobis interrogati. Quos ritus ita qui vixit anno 1574. Constantinopoli, seu Peræ, Stephanus Gerlachius recensuit [f]: Aliquo Græco mortuo, cognati ei exequias eo anno sæpiùs celebrant magnis sumptibus. Calogeri & presbyteri ad ea sacra convenientes, cum aliquot scholasticis canunt, multiplici Crucis signatione utentes. Diaconus preces, & suffitum, aliquoties super oblationes facit, petens ut anima defuncti in pace quiescat. Precibus & suffitibus finitis, legumina omnis generis, & vinum optimum ante sacrarium allata præsentibus distribuuntur, in signum mutuæ dilectionis. Ante hanc collationem, fit collatio Eleemosynarum. Mortuis persolvuntur Tertia, Nona, Quadragesima: Tertia, quòd mortuus die tertio immutetur, agni-

DE GRÆCIS RECENTIORIBUS.

[c] *De fid. & symb. cap. 10.*

[d] *Cap. 118. & seqq.*

[e] *Crus. in Not. ad Turcogræc. lib. 2. Salom. Schweig. in Hodœpor. l. 2. uterque licèt Lutheranus.*

[f] *Ap. Crus. ibid.*



LIBRI I. PARS IV.

HÆRETICORUM, SCHISMATICORUM, & MAHOMETANORUM, *sententia de Sepulturâ & Funeribus. Ac de* ANIMANTIUM *instinctu ad ea.*

REBUS igitur Christianorum expeditis, ut iam ex ordine proposito ad HÆRETICOS & SCHISMATICOS transeamus; quamvis ex antiquioribus nonnulli reperti sint, qui sacras Catholicorum ceremonias floccifecerint, ac damnaverint: (non tam sanè, ut puto, propriâ eorum optione, quàm piâ Dei providentiâ, ut nullum se post mortem animarum suarum levamentum expectare significarent, qui eas in vitâ per defectionem adversario devovissent:) nulli tamen, quod sciam usquam extiterunt, qui ipsam Sepulturam improbaverint; quive non eam inter sacros, & inviolabiles (quales quales ij tandem fuerint) sectarum suarum ritus connumeraverint [a].

[a] *Intelligetur hoc specialiùs, ex iis quæ post dicentur de Hæreticis.*

CAPVT I.

De SCHISMATICIS.

I. SCHISMATICORUM ET HÆRETICORUM DISCRIMEN.

DE SCHISMATICIS res est expeditior: quos constat, quamdiù solùm in schismate perstant, nullum Ecclesiæ dogma, nulla eius sacra damnare. Licèt enim *separent quidem* (ut loquitur Hieronymus [b]) *deceptam multitudinem ab Ecclesiâ Dei; tamen hoc non faciunt*

[b] *In Amos I. in fi.*

crudelitate quâ hæretici; sed in eâdem regulâ fidei permanentes, dilatare cupiunt terminos suos, & nomen gloriæ in posteros mittere. Quorum differentiam breviùs Augustinus [c] insinuans: *Hæretici*, inquit, *de Deo falsa sentiendo, ipsam fidem violant; Schismatici dissensionibus iniquis à fraternâ charitate dissiliunt, quamvis ea credant quæ credimus.* Sanè *Græcos*, antequàm schismate primùm, deinde & hæresi separarentur ab Ecclesiâ Catholicâ, iisdem cum reliquis Orthodoxis, ceremoniis in funeribus & sepulturâ suorum usos esse, locupletissimis superiùs probavimus auctoritatibus. Eadem verò fermè omnia observata deinceps ab eis fuisse, sive in lotione, aut abstersione, atque vestitione corporum; sive in elatione, ac deductione cum piis psalmodiis, cereísque, atque depositione in loco sacro & religioso; seu denique in precibus pro defunctis ad ipsam sepulturam; & sacrificiis Deo offerendis, eleemosynisque pauperibus erogandis: testatur ipsorum Euchologium [d], seu Officium Ecclesiasticum; ubi ritus exequiarum & sepulturæ traduntur, singillatim seorsimque monachorum, sacerdotum, laicorum tam virorum quàm feminarum, ac denique infantium: etiámquenum in ipsâ infelicissimâ eorumdem servitute, quantum fieri potest, actitari, & scribunt qui eorum regiones perlustrârunt, ac mores exquisierunt [e]; & confirmant Græci Catholici, qui frequentes sunt in Italiâ, de his à nobis interrogati. Quos ritus ita qui vixit anno 1574. Constantinopoli, seu Peræ, Stephanus Gerlachius recensuit [f]: Aliquo Græco mortuo, cognati ei exequias eo anno sæpiùs celebrant magnis sumptibus. Calogeri & presbyteri ad ea sacra convenientes, cum aliquot scholasticis canunt, multiplici Crucis signatione utentes. Diaconus preces, & suffitum, aliquoties super oblationes facit, petens ut anima defuncti in pace quiescat. Precibus & suffitibus finitis, legumina omnis generis, & vinum optimum ante sacrarium allata præsentibus distribuuntur, in signum mutuæ dilectionis. Ante hanc collationem, fit collatio Eleemosynarum. Mortuis persolvuntur Tertia, Nona, Quadragesima: Tertia, quòd mortuus die tertio immutetur, agni-

DE GRÆCIS RECENTIORIBUS.

[c] *De fid. & symb. cap. 10.*

[d] *Cap. 113. & seqq.*

[e] *Crus. in Not. ad Turcogræc. lib. 2. Salom. Schvveig. in Hodœpor. l. 2. uterque licèt Lutheranus.*

[f] *Ap. Crus. ibid.*

tione faciei amissâ: Nona, quòd nono die totum corpus diffluit, præter cor: Quadragesima, quòd quadragesimo die ipsum quoque cor perit. Sive, quòd Christus tertio die resurrexit: quòd post octo dies, qui erat nonus, rursùs apparuit: & quadragesimo in cælos ascendit. Ita ille.

II. De Æthiopibus.

Æthiopas sub latissimo Preteiannis, sive Presbyteri-ioannis, aut Pretiosi Ioannis (utcumque tandem voluerint appellari Abassinum Monarcham) imperio degentes, quædam religio mihi sit schismaticis, vel hæreticis annumerare; quos diligens Lusitanorum sæculo præterito investigatio Christianos esse detexit, & ad fidem profitendam, ac obedientiam Summo Christianorum Pontifici exhibendam promptos in Europam allexit. Quòd tamen sæculis retroactis non ita visi sint sincerè credidisse, ut non pluribus erroribus aspersa eorum dogmata conspicerentur; sicut non eos omninò etiam tum inter alienos (quippe quos non tam malitiâ, & animi obstinatione, quàm excusabili quâdam ignorantiâ ductos tradant) recenseri debuisse existimamus; ita nec inter perfectè Orthodoxos. Quæ porrò ipsis funerum ac sepulturæ praxis antiquis temporibus esset, breviter quidem, sed satis dilucidè explicavit unus eorum Episcopus Zagazabus nomine, missus à Davide Æthiopum Imperatore ad Ioannem Tertium Lusitaniæ Regem; in enarratione fidei & religionis Æthiopum, quam Damianus à Goës Lusitanus Eques, eidem familiaris factus, Latinam fecit, & promulgavit [ff]; his nempè verbis: *Mortui cum Crucibus, & orationibus sepeliuntur in certo loco; ac super eos præcipuè inter alias orationes, initium Evangelij Ioannis dicimus: & sequenti die à sepulturâ, eleemosynas pro eis offerimus: idque etiam posteà facimus certis diebus, in quibus funebribus epulis indulgemus.* Quemadmodùm & de eiusdem generis Christianis Cranganorensibus, Malabaribus, aliisque Indiæ Orientalis, antequàm eò Lusitani penetrâssent, scribit Hieronymus Osorius [g] Silvensis Episcopus, illos eodem quo nos ritu, & eâdem religione, mortuos sepelisse: ac deinde cognatos & affines epulum dedisse, & octo diebus in conviviis mortuorum gratiâ instructis, accubuisse,

[ff] *Ext. to. 2. Rer. Hispan.*

[g] *Lib. 3. Vit. Emmanuel. Reg. Lusit. ad fi.*

& illorum memoriam celebrâsse, ac pro eorum sempiternâ salute Christum veneratos esse.

III. DE MOSCIS, ET RUTHENIS.

Moscis verò, sive Moscovitis schismatis Græcanici studiosissimis asseclis, occaso sole nemo sepelitur: existimant enim hanc mortuorum coronam, videre solem antequàm sepeliantur. Plurimúmque meretur, qui ossa mortuorum condit. Celebrant quoque Missas pro animabus defunctorum cum fumigationibus, panibus, & tritico cocto, atque kuthiâ, quâ peractis exequiis utuntur in Ecclesiâ. Quod autem pro defunctis funebre sacrum faciunt, credunt eo posse tolerabiliorem animabus impetrari locum. Cœmeteria pro sepeliendis corporibus non consecrant: aiunt enim, corporibus inunctis & consecratis terram ipsam, non corpora terrâ consecrari: prout totidem verbis refert Sigismundus liber Baro in Commentariis rerum Moscoviticarum; quos scripsit post alteram initam ad eorum Principem, Imperatorum nomine legationem. Quæ eadem habet etiam Alexander Guagninus in descriptione Sarmatiæ Europeæ, agens de Religione Moscovitarum, omniúmque Russorum, sive Ruthenorum, qui fidem Christianam sequuntur Græcorum ritu: addítque agreste vulgus circa mortuorum sepulturam variis ceremoniis, licèt plerumque superstitiosis, uti. Sepulturas autem eorum in silvis esse & agris, ubi tumulos aggestis lapidibus muniũt, signúmque Crucis superimponunt. Et Paulus Iovius ex relatione Demetrij eius gentis legati ad Clementem Septimum, religionem gentis moresque describens; defunctos ait comitantibus presbyteris efferri, & in septis ac exterioribus templorum vestibulis sepulturæ tradi; iisque quadragenis diebus parentari, cùm tamen purgatorium negent. Anonymus quidam hæreticus de religione illius gentis ad Davidem Chytræum scribens [h], eos ait cadavera mortuorum lavare, & ornare vestibus quas habuerunt in vitâ pretiosissimas: deinde processionaliter cum scholasticis, sacerdotibus, alióque comitatu, cantu lugubri, & fumigatione ad fugandos dæmones, ad locum sepulturæ accedere; & prolixas ibi preces concipere pro-

[h] *Lib. de Russor. relig. impress. Spir. an. 1582. Sunt enim & Moscovitæ Russi.*

requie animarum; Crucésque sepulchris superimponere: cadavere vero in fossam demisso, sacerdotē sicci pulveris tantùm urnæ superiniicere, quantùm manu tenere potest, ceteros deinde mortuum sepelire: eodémque die cœnam satis opiparè instruere, ad quam etiam mendicos cum sacerdotibus, & consanguineis vocant; aliásque nonnullas ceremonias sibi sacras peragere. Tantumdem & aliæ eiusmodi gentes consuevêre.

CAPVT II.

De HÆRETICIS *recentioribus.*

I. DE nostri porrò sæculi Hæreticis dubitare quis posset, num funera ac sepulturam probaverint; si in facta solùm oculos intenderet, quibus omnium sæculorum barbariem exuperantes, nihil non immanitatis in corpora defunctorum Catholicorum, & sacra sepultorum monumenta exercuerunt. At non ita eorumdem scripta sonant. quamvis enim hæc atrocissima, in contrariæ religionis homines patraverint; haud tamen adeò omnem humanitatis speciem exuerunt, quin suorum saltem aliquantam sepulturæ curam gesserint; eámque omni licèt pietatis indicio, ac ceremoniarum sanctitudine nudam, locísque impuris atque profanis maximè placitam, sanctam & inviolabilem reputaverint, & exemplis antiquorum comprobare nisi fuerint; arcanâ quâdam veritatis vi adacti ita fateri.

II. Audi namque *Calvinum*, Galliæ nostræ opprobrium, ac desolationem, facémque Europæ, & pestilentissimæ sectæ architectum. Is enim in suâ Institutione disputans adversùs Atheos, & Sadducæos, negantes animarum immortalitatem, & resurrectionem corporum; *Nequem*, inquit [1], *levaret crassa hæc ignorantia, ipso naturæ instinctu increduli semper effigiem resurrectionis habuerunt ante oculos. Quorsùm enim sacer & inviolabilis mos sepeliendi, nisi ut arrha esset novæ vitæ? Neque excipere licet ex errore hoc esse natum;*

[1] 3. *Inst.* 25. *sect.* 5. & 8.

CALVINI SENTENTIA DE SEPULTURA, EIÚSQUE CEREMONIIS.

tum; quia & sepulturæ religio apud sanctos Patres semper viguit; & Deus apud Gentes manere voluit eumdem morem, ut obiecta resurrectionis effigies, earum torporem expergefaceret. Quamvis autem profectu caruerit ceremonia illa, utilis tamen nobis est, si prudenter finem spectamus; quia non levis est incredulitatis refutatio, omnes simul professos esse quod nemo credebat. Et paulò pòst: *Huc aromata quoque, aliaque immortalitatis symbola spectârunt; quibus sub Lege adiuta fuit, non aliter quàm sacrificiis, doctrinæ resurrectionis obscuritas. Nec morem illum peperit superstitio: quando videmus Spiritum in narrandis Sepulturis non minùs diligenter insistere, quàm in præcipuis fidei mysteriis. Et Christus officium hoc tamquam non vulgare commendat: non aliâ certè de causâ, nisi quia à sepulchri, quod omnia corrumpit & abolet, intuitu in spectaculum renovationis oculos attollit. Præterea tam sedula observatio ceremoniæ, quæ laudatur in Patribus, satis comprobat rarum illis fuisse, & pretiosum fidei adminiculum. Neque enim adeò sollicitè curâsset Abraham uxoris sepulchrum, nisi religio illi proposita fuisset ante oculos, & utilitas mundo superior; nempè ut mortuum uxoris corpus insignibus resurrectionis exornans, suam & familiæ fidem confirmaret.* Diceres Catholicum loqui; tanta religio sepulturæ! tanta hâc de re in perfidissimo hæresiarchâ vis veritatis! Quis credat huiusmodi doctrinæ homines ausos esse tot nefandissima moliri in cadavera & sepulchra defunctorum, quot ubique perpetrârunt? aut huiusmodi molitores atque demolitores, animarum immortalitatem, & resurrectionem corporum, & quæ ex iis procedit sepulturæ sanctitatem credidisse?

III.

ALIUD FORTIUS TESTIMONIUM EIUSDEM.

Sed audi eosdem rursùm expressiùs, in eiusdem sui prophetæ [k] oraculis. *Quod ad sepeliendi ius attinet; quanta eius rei omnibus sæculis, & apud omnes populos religio fuerit, satis notum est. Dissimiles quidem fuerunt ceremoniæ, & variis superstitionibus certatum fuit; interim commune fuit omnibus sepelire mortuos. Neque id studium vel ex stultâ curiositate, vel ex inani solatij voto, vel ex superstitione profectum est; sed ex naturæ sensu, quem Deus hominum mentibus indidit, neque umquam evanescere passus est, ut sibi ipsis testes essent futuræ vitæ. Nec credibile est ex animo locutos eos, qui in sepulturæ ludi-*

[k] *Id. in Gen. 23. & in Caten. Marlor.*

brium immanes quasdam voces iactárunt. Forti quidem animo sepulturam, non aliter quàm divitias & honores, & reliqua vitæ commoda, contemnere nos oportet, ut privari æquo animo feramus: negari tamen non potest, quin sepeliendi curam secum ferat religio. Et certè (quemadmodùm diximus) divinitùs hoc ab initio populis omnibus insculptum fuit, ut mortuos sepelirent: unde & sancta illis fuerunt sepulchra. Fatemur non semper venisse profanis hominibus in mentem, superstites esse à morte animas, & spem etiam resurrectionis corporibus relinqui, nec se tam pia meditatione exercuisse quoties mortuos in sepulchris condebant. Sed non facit eorum incogitantia, quin eorum oculis subiecta fuerit imago futuræ vitæ, ut essent inexcusabiles. Abraham verò cùm spem resurrectionis haberet penitùs infixam in corde suo, visibile eius symbolum sedulò (ut decebat) coluit. Quanti autem fecerit, hinc apparet, quòd se pollutionis reum fore putavit, si corpus uxoris post mortem cum aliis misceret. Nam in hunc finem speluncam emit, ut sibi ac suis sanctum purúmque sepulchrum haberet. Pedem terræ ubi tentorium figeret habere non curavit, sepulchri tamen habuit curam. Et alia eiusmodi passim suis in Scripturam commentariis, ubicumque sese offert sepulturæ commendatio.

IV. LUTHERI FUNUS.

Lutherani quoque non solùm eius religionem verbis fatentes, verùm etiam opere exequentes; *Lutheri* Divi sui, tertiique (ut vocant) Eliæ fœditissimum cadaver, campanarum [l] sonitu, præeuntibus crucibus, cum processione & cantu ad tumulum deportârunt in templum: nauseante maximè ad has ceremonias Calvini stomacho; dum in libello *de vitandis superstitionibus*, ceteras inter causas, quibus suadet (atque utinam persuasisset in æternum!) ut Evangelio suo imbuti provincias Catholicorum deserant, etiam hanc reddit, quòd *solemnes exequiæ mortuorum, quales fiunt in Papatu, meræ sint abominationes.* Ita sanè si abominosis credatur dæmonibus, eorúmque abominandis ministris.

[l] *Ext. eâ de re epist. civis Mansfeld. post lib. Cochl. de Act. Luth. in edit. Paris. & ap. Gretf. lib. 1. de sacr. Process. cap. 13.*

V. BRENTII UBIQUETARII TESTIMONIUM.

Magnificè verò *Ioannes Brentius* [m], ex Lutheranis Prædicantibus non ultimus, quinimmò & ex fastu factus *Ubiquetariorum* princeps, Sepulturæ & Cœmeteriorum sanctitudinem deprædicans; *Quamquam Domini sit terra,*

[m] *Hom. 69. in Luc.*

(inquit) *& plenitudo eius, ac planè nihil conferat saluti defunctis, quocumq; loco sepultus sit: attamen ut superstites admoneantur, tum mortis quò resipiscant à peccatis, tum resurrectionis quò bonam concipiant spem etiam in ipsâ morte; decet Christianos habere loca sepulturæ, & honesta, & à profano usu separata.* Et posteà: *Sentiendum quidem est, Domini esse terram, nec referre quâ terræ parte corpus mortuum computrescat; homo tamen mortuus non est abiiciendus vt cadaver asini, sed magno honore & reverentiâ mandandus est honestæ sepulturæ.* Ac post aliquot huius rei rationes, sumptas ex charitate in defunctos, & emendatione morum, hanc demũ addit: *Postremo honesta debent esse funera, & sepulturæ Christianorum, ut testemur fidem resurrectionis nostræ. Non honestè sepelimus defunctum asinum aut bovem, quia non resurget; sed id honoris homini proximo impendendum est, ut ipsâ re significemus, aliam esse nostram conditionem quàm bestiarum. Nos enim resurgemus unà cum corpore ad vitam æternam.* (Non vos certè Lutherani, & Calviniani, quia *non* [n] *resurgent impij in iudicio* ad gloriam cælestem, sed ad gehennam sempiternam.) *Quare corpora nostra, tamquam sacræ reliquiæ, terræ mandandæ sunt; & locus sepulturæ non aliter est habendus, quàm sacrum quod dicitur κοιμητήριον, hoc est dormitorium, in quo piorum corpora requiescunt, non omninò mortua, sed potiùs dormientia, & expectantia diem illum, in quo gloriosa in cælum ascendent, & cum Christo perpetuò regnabunt.* Hæc Brentius; & alia eiusmodi variis locis.

[n] *Psalm. 1.*

VI. ZUINGLIANORUM TESTIMONIA.

Rodulphus verò Gualterus [o] Tigurinus: *Cæmeteria veteres templis vicina esse voluerunt, ut in resurrectionis fide magis confirmarentur; & simul intelligerent, mortuos quoque ab Ecclesiâ nequaquàm exclusos esse, cùm nec mors nec vita (sicuti Paulus ait) nos separare possint à dilectione Dei.* Et alio loco [p]: *Ut honestè tumulentur corpora defunctorum, iubet communis humanitatis lex; cuius observationem ita nobis Deus commendat, ut ne facinorosorum quidem cadavera diutiùs* [q] *in cruce relinqui voluerit. Et Moabitis* [r] *inter excidij causas obiicitur, quòd legum naturæ obliti Regis Idumæi ossa combussissent. Quid? nónne inter gentes malè audierunt olim, qui mortuorum corpora feris dilanianda obiecerunt, vel per negligentiam illa*

[o] *Hom. 45. in Marc.*
[p] *Hom. 132. in Marc.*
[q] *Deuter. 21.*
[r] *Amos 2.*

[s] De orig. Templ. lib. 3. cap. 1.

sepulturæ honore fraudarunt? Rodolphus Hospinianus [s], & ipse Tigurinus: *Decet Christianos homines Cœmeteria, seu sepulchra publica, loca sacra putare, neque permittere ut ullis profanis usibus violentur. Etsi enim improborum petulantia defunctis nihil incommodet; eadem tamen frenanda, & disciplinæ Christianæ legibus coërcenda est, ne eorum fidem ridere, & iis insultare videamur, quorum corpora cùm in vivis essent, Spiritûs sancti templa fuerunt, nunc autem in Christo sopita quiescunt.* Petrus Martyr, qui & Lutheranus, & Zuinglianus, ac prætereà de suâ sectâ *Martyrianus* fuit, præcipui inter segreges nominis, de sepulturâ Prophetæ Samuëlis agens [t]; *Fuit mos ille antiquissimus cohonestandi sanctorum hominum sepulturas. Fuítque ista cura non contemnenda: erat enim præclarum testimonium resurrectionis. Deinde corpora nostra sunt templa Dei, & organa Spiritûs sancti: itaque non sunt temerè abijcienda sine honore. Volunt etiam pij unà sepeliri cum aliis fidelibus, ut vel mortui testificentur unitatem & consensum in religione & cultu Dei.* Addit, hunc quidem modum excessisse Ethnicos, & antiquos Christianos in multis; *haud tamen negligendam esse rationem sepulturæ, haberi ex sacris Litteris, quòd is honor pertineat ad promissiones Dei.* Similia & ceteri cuiusvis sectæ Prædicantes. E quibus unius *Felicis Bidembachij Promptuarium exequiale*, licèt non paucam infelicis hæresis contineat sementem, plurima nihilominùs suppeditat commendandæ honestæ sepulturæ, & damnandæ eius incuriæ themata; utilissimáque ex hâc materiâ deducendi in confusionem despicientium, & consolationem exhibentium, argumenta & documenta: adeò insita est (sæpiùs hoc repetam) quorumvis hominum animis religio & dignitas huius officij, ut etiam ab irreligiosissimorum faucibus & calamis veritatem eliciat, eosdémque ad suî cultum & venerationem pertrahat.

PETRUS MARTYR.

[t] Comment. in Lib. 1. Reg. c. 25.

CAPVT III.

De MAHOMETANIS.

IDEM in *Mahometanis* apparet. Siquidem lex est apud Turcas accuratè religioséque servata, quam refert Thevetus [a], *Nequis demoliatur, effringat, aut aperiat sepulchrum alicuius Turcæ, Mauri, Iudæi, Arabis, Persæ, Gentilis, Christiani, aut alterius cuiusquam: Qui secùs fecerit, pœna esto indignatio Principis, & mors.* Adeò ut cùm Selimus Turcarum Imperator expeditionem in Ægyptum faciens Iudæam transiret, & aliquot eius milites prope urbem Gazarensem medici cuiusdam monumentum effregissent, suspicantes thesaurum illic absconditum, civésque urbis factum illud ad Selimum detulissent; eius statim præcepto, quatuordecim ex illis laqueo suspensi, tres palis suffixi, omnes sacrilegij participes variis mortis generibus interfecti fuerint. Qui etiam Ierosolymis quamplurima cernens Principum Christianorum, qui Gothofredi Bullionij auspiciis, & Francorũ potissimùm armis, Terram Sanctam olim recuperaverant, & per multa lustra possederant, severè prohibuit [d] ne qua illis iniuria inferretur. Narrátque Villamontius [e] in suis Peregrinationibus; sibi aliquando apud Ierosolymam accidisse, ut cùm sepulchra Turcarum iumento insidens prætervehеret, ab adstantibus Turcis lapidum grandine ad pedes desilire coactus fuerit; reique causam ab interprete sciscitatum, intellexisse Turcas magnâ veneratione sepulchra suorum colere, velléque ut & ceteri eamdem eis reverentiam præstent. I.

[a] *Lib. 6. Cosmogr. cap. 7.*

[d] *Vid. Bellefor. Cosmograph. tom. 2.*

[e] *Lib. 2. cap. 28.*

Sed & illud planè egregium in homine barbaro, quod scribit Tyrius [f] de Noradino Turcarum Principe; cùm mortuo Beryti Balduino Tertio præclarissimo Ierosolymorum Rege, corpus eius regalibus exequiis deferretur, ut iusserat, Ierosolymam; quidámque Noradino suggererent, ut fines Christianorum ingrederetur interim dum II.

[f] *Lib. 18. in f.*

exequiis operam darent: respondisse ipsum, compatiendum potiùs esse, & indulgendum iusto eorum dolori de amisso Principe, qualem reliquus orbis non haberet. Sic [g] Zubi-enzar fortissimus ipsorum dux, cùm in obsidione septennali urbis Constantinopolis, (cuius etiam Græci auctores sub Imperio Constantini Pogonati meminére) quodam certamine sagittâ letaliter ictus pereundum sibi esse sentiret; suis præcepit pugnam continuare, quatenùs durante conflictu corpus suum ita humo mandaretur, ut hostes minimè deprehenderent, nec locum sepulturę agnoscere possent ad corpus effodiendũ. Quod idem præcavens posteà Suliman filius Orchanis Secundi Regis familiæ Othomanicæ; dum lecto mortis decumberet in hostili terrâ Christianorum, ducibus suis præcepit omnibus viribus prohibere, ne Christiani reliquias suas auferrent ignominiâ afficiendas.

[g] Leunclav. Annal. Turc. lib. 3. & 4.

III. TURCORUM CEREMONIÆ IN SEPULTURIS.

Funerum verò Turcicorum ceremonias, ac sepulturæ modum, tam idem Villamontius, quàm ante eum Bellonius [h], Lonicerus [i] ex Menavino, Georgievicius [k], Postellus [l], Guichardus [m], Gyraldus [n], Cotevicius [o], & alij tractantes, conveniunt omnes; Turca cùm moritur, eos qui sunt ex amicis proximi, vel Thalisinani (hoc est, ipsorum Sacerdotes, qui precibus præeunt aliis: Antistites enim superstitionis suæ, *Muphtos* vocant:) hymnos aliquot super ipsum recitare: deinde cadaver cinctum chordâ insertâ globulis ex ligno aloës, in medio atrio substratis tapetiis collocare, non supinum, aut resupinum, sed incumbens in latus dextrum, facie ad meridiem conversâ; (quasi Mecham versùs, ubi sepultus est eorum propheta Mahometes: nomine enim meridiei Mecham intelligunt) eâdémque posteà ad circumstantes versâ, Thalismanos orare ut Deus misereatur eius: tum aquâ calidâ cum sapone ablutum, linteis funeralibus abstergere, & exsiccare: rursúmque aquâ rosaceâ, addito thymiamate, aspergere: ac vestibus pretiosis, pileóque, seu turbante, floribus exornato indutum, Thalismanos cum hymnis & canticis, præeuntibus etiam cum cereis & facibus Dervisis, (qui sunt ipsorum religiosi, seu monachi)

[h] Observat. lib. 3. & de oper. ant. præst. lib. 1.
[i] Chron. Turc. lib. 2. par. 1. Menavin. de Turc. Relig. par. 2.
[k] De mor. Turc. cap. de cerem. sepult.
[l] De relig. Turc. cap. de sepult.
[m] Lib. 3. de Funer.
[n] De var. sepel. rit.
[o] Itin. Ierosol. & Syriac. lib. 4. cap. 12.

primùm ad fores templi deferre, ibique fusis precibus, inde extra urbis mœnia ad cœmeterium deducere, ubi quisque pro suarum rerum conditione sepulchrum, vel lateritium, vel marmoreum sibi extruxit. Esséque omnia sepulchra altarium instar, in altum assurgentia, ne polluantur à bestiis; & meridiem maximè spectantia. Recondito demùm cadavere, dictisque rursùm pro defuncto precibus, & sepulchro floribus ornato; ceteros quosque ad proprias, sacerdotes autem ac religiosos ad domum defuncti recedere, mercedem operis, convivium & stipem accepturos. Si verò pauper fuerit defunctus; pro laboribus eorum plateatim collectas pecunias solere illis offerri. Gaudere etiam Turcas in viridariis sepeliri: ideóque Optimates hortulos floribus circumseptos, & & arboribus adumbratos, muris cingere, ne bestiæ insultare, aut locum conspurcare queant; & in eis conditoria erigere: sed & sacella nonnullos extruere, in quibus condātur, (quod de Principibus Osmanidis expressum habetur in eorum Libitinario [p] Indice: ita tamen ut non sub terrâ ponantur, sed plerumque sandapilis impositi, suis in ædiculis collocentur:) alios ea iuxta sepulchra ædificare, ut in eis perpetuò orent Sacerdotes pro earum animabus: ac prætereà Xenodochia construere in pauperum ac peregrinorum usum, amplis assignatis redditibus in eorum ac sacerdotum sustentationem & subsidium.

[p] *Ap. Leunclav. post hist. Musulman.*

IV. Quæ verò de Turcis diximus, (quorum est latissimum Imperium) eadem & Persis, Mauris, Tartaris, aliisque Legis Mahometis sectatricibus gentibus, communia esse auctores tradunt. Quocircà hæc pauca omnibus sufficiant, cùm affatim adstruant quæ probanda suscepimus. Simúlque sit hic terminus deductæ per omnium Religionum ritus, per omnium Iurium placita, per cunctarum gentium omnísque generis hominum sententias & exempla, religionis & sanctitatis Sepulturæ, Funerum, ac Sepulchrorum. Quam nisi naturaliter cognitam comprehensámque animis habuissent; non tam stabilis eius opinio permansisset, nec confirmata fuisset diuturnitate temporis, nec unà cum sæculis ætatibúsque hominum

inveterare potuisset. Siquidem opinionum cõmenta (ut loquitur Cicero [q]) delet dies, Naturæ iudicia confirmat.

[q] Lib. 2. de nat. Deor.

CAPVT IV.

Contra Sepulturæ contemptores.

I.

IMPIÆ VOCES CONTRA SEPULTURAM.

QUò magis deploranda censetur illorum cæcitas, aut detestanda improbitas, quibus cordi sunt voces illæ desperantium hominum: *Facilis [r] iactura sepulchri: Non [s] tumulum curo: Tabésne [t] cadavera solvat, an rogus, haud refert: Cælo [u] tegitur, qui non habet urnam: Sepulchrum [x] non sentienti supervacuum, sentienti onus: Nihil [y] interest, humíne an sublime putrescas: Nihil [z] corpus ad nos, non magis quàm pili aut ungues: Nihil [a] refert igne comburi, aut supra terram existentem, à canibus aut corvis devorari, aut defossum à vermibus.*

Nam si, ut alius [b] ait, *in morte malũ est malis morsúq; ferarũ*
Tractari, non invenio qui non sit acerbum,
Ignibus impositum calidis torrescere flammis,
Aut in melle situm suffocari, atque rigere
Frigore, cùm in summo gelidi cubat æquore saxi:
Urgerívе supernè obtritum pondere terræ.

aliæq; eiusmodi voces: quę licèt sensum habere sinũ non desinant, si sanè proferantur; ac veluti in consolationem aliquam, cùm iniustâ vi, aut casu, sepultura denegatur; quemadmodùm declaravimus aliàs: quotiescumque tamen in contemptum sepulturæ effutiuntur, ablegandæ sunt illæ penitùs, unà cum totâ illâ rigidiorum Stoicorum ab omni humanitate remotâ scholâ, vel Cynicorum sectâ canum, atheorúmque, ac similibus Philosophorum larvis; qui resurrectionem corporum miserabiliter ignorantes, aut sceleratè negantes, nullam prorsùs eorum post mortem habendam esse rationem, pari fastu atque impietate persuadere conati sunt. Nec quidem mirum. Cùm enim iam pleriq; eorum omnem divinitatem negare ausi sint, non potuêre, abiectâ pietate in Deum, non etiam omnem sanctitatem ac religionem tollere; nec his subla-

tis,

[r] Ap. Virg. Æn. 2.
[s] Ap. Sen. ep. 92.
[t] Ap. Lucan. lib. 7.
[u] Ibid.
[x] Ap. Sen. de rem. fort.
[y] Ap. Cic. Tuscul. 1.
[z] Ap. Sext. Empir. 3. hypotyp. 25.
[a] Ap. Stob. serm. 38.
[b] Lucret. lib. 3.

tis, ſepulturam non contemnere, quæ pietate, religione, & ſanctitate conſiſtit. Digni, qui ad Troglodytas & Lotophagos relegarentur, quorum pluſquàm ferinam naturam ſectabantur. Nam & iſtis, aliiſque nonnullis ex ultimâ barbarie gentibus, ſunt qui [c] ferant nullam ſepulchrorum fuiſſe curam; parùm referre arbitrantibus, igne, terrâ, vel aquâ diſſolverentur.

[c] *Vid. Alex ab Alex. lib. 3. cap. 2.*

II.

Quantò meliùs Quintilianus [d] nepos: (lubet enim iterùm in his paululùm immorari, in confirmationem eorum omnium quæ hactenùs de politioribus populis, Iuribúſque omnibus dicta ſunt:) *Neminem non mortalium favere hominis ſepulturæ convenis, quia hæc una res eſt, cuius exemplum ad omnes pertineat. Etiam ſiqua ſunt iura quæ obſtent, ſi tamen anguſtus ſaltem detur acceſſus, per quem intrare humanitas poſſit, vera clementia occaſione contenta eſt*, &c. *Certè rerum natura, ut in generandis alendíſque hominibus, quæ neceſſaria erant ex ſe ipſâ proſpexit; ita cùm rursùs opus ſuum reſolvit, corpora noſtra quamprimùm reducere ad principia feſtinat; ut deſertis etiam locis circa cadaver tracta imbribus terra concreſcit, aggerant pulverem venti, & liquefacta multâ die membra paulatim humus bibit, etiamſi nullus operit, at ipſa longo tempore in terram oſſa deſidunt. Nobis verò adverſus exanimes genuit non ſolùm miſerationem, quæ cogitationi noſtræ ſubit, ſed etiam religionem. Inde ignotis quoque corporibus tranſeuntium viatorum collatitia ſepultura; inde iniecta ab alienis humus.* Quod quidem efficaciùs idem auctor [e] aliàs ex eo procedere ait, quòd *voluit nos ille mortalitatis artifex Deus in commune ſuccurrere, & per mutuas auxiliorum vices in altero quemque quod pro ſe timeret aſſerere*, &c. Quid [f] enim legem naturalem in cordibus hominum ſcribit, niſi Deus? Eſt enim illa idem quod Ratio naturalis; id eſt, vis quædam ipſius Naturæ, quam habet ad diſcernendum inter operationes convenientes, & diſconvenientes eidem ipſi Naturæ: quam & *Legem Æternam* Auguſtinus [ff] vocat, hoc eſt, *rationem divinam, vel voluntatem Dei, ordinem naturalem conſervari iubentem, perturbari vetantem*: quámque Cicero ſignificantiſſimè deſcripſiſſe dicitur [g] his verbis; *Eſt quidem verò Lex, recta ratio naturæ*

[d] *Declam. 6.* corp. proiect. *Add. ſen. 8. controv. 4.*

ALIÆ RELIGIONIS SEPULTURÆ PROBATIONES, EX LEGE NATURALI.

[e] *Quintil. Declam. 5.* Æger red.

[f] *Aug. lib. 2. de ſerm. Dom in mont.*

[ff] *22. cont. Fauſt. 37.*

[g] *Ap. Lact. lib. 8 cap. 8.*

congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium iubendo, vetando à fraude deterreat: quæ tamen neque probos frustrà iubet aut vetat, nec improbos iubendo aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex eâ aliquid licet, neque abrogari tota potest. Nec verò aut per Senatum, aut per populum solvi hâc lege possumus: neque est quærendus explanator, aut interpres eius alius: neque erit alia lex Romæ, alia Athenis; alià nunc, alià posthàc: sed & omnes gentes, & omni tempore, una lex, & sempiterna, & immortalis continebit: unúsque erit communis quasi magister & Imperator omnium Deus: ille legis huius inventor, disceptator, lator: cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur; atque hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cetera supplicia, quæ putantur, effugeret. Hæc ille penè divinâ voce, inquit Lactantius ea referens.

III. [h] Rom. 2. Vis Iuris, seu Rationis naturalis.

Quæ planè divinitùs firmavit Paulus [h] Apostolus; dum postquàm dixisset, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex:* quasi declarans, quomodò sibi sint lex, & quæ sit illa lex, subiungit: *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum.* Est enim conscientia, opus rationis. Unde fit, ut qui ratione naturali utantur, seu, ut alij vocant, naturâ rationali, errare non possint in discernendo quid sit iustum vel iniustum, honestum vel turpe, agendum vel non. Sicut & Aristoteles [i] definivit, *Ius Naturale esse*, quod non ex eo quòd ita videtur, æquum & bonum est; sed quia suâ naturâ & per se bonum est. Ac post illum Paulus [k] Iurisconsultus respondit, *Ius pluribus modis dici: uno modo, cùm id quod semper bonum & æquum est, Ius dicitur; ut est Ius Naturale.* Quare etsi cura sepulturæ non esset absolutè necessaria de iure Naturæ; est tamen adeò conveniens Naturæ, ut naturaliter propagata fuerit cum humano genere, & ab omnibus omninò gentibus absque aliquâ lege scriptâ spontè acceptata. Quod autem ab omnibus gentibus observatum est, (sicut argumentabatur apud Xenophontem Socrates [l]) id nonnisi à Deo sancitum esse dicendum est. Ac Seneca [m] Philosophus, *Apud nos ve-*

[i] 5. Ethic. 7.

[k] L. ius plurib. D. de iust. & iur.

[l] Lib. 4. de dict. & fact. Socr.

[m] Ep. 117.

vitatis argumentum est, aliquid omnibus videri: tamquam deos esse inter alia sic colligimus, quod omnibus de diis opinio insita est. Cicero [n] verò: *Omni in re consensio omnium gentium, Lex Naturæ putanda est.* Sæpéque idem Aristoteles [o] edixit; Quod in omnibus, aut in pluribus inest, id secundùm naturam; quod est præter hæc, id præter naturam æstimandum esse. Et de sepulturâ speciatim apud Senecam [p] Controversiarum scriptorem, patrem Philosophi; *Quædam iura non scripta, sed omnibus scriptis certiora sunt: quamvis filius familias sim, licet mihi & stipem porrigere mendico, & humum cadaveri:* quippe quoniam [q] iura naturalia corrumpere civilis ratio non potest; ideò ne iure quidem patriæ potestatis fieri possit, ut non liceat, aut potiùs ut non cuivis necesse sit, ex illo pietatis atque humanitatis naturæque humanæ communi iure atque officio, terram homini mortuo etiam ignoto sepeliendi causâ iniicere.

n *Tuscul. 1.*
o *In lib. Physic & de calo.*
p *1. Controvers. 1.*
q *L. iura sanguinis. D. de reg. iur.*

IV.

Adeò ut seclusâ positivâ ac legitimâ sepulturæ prohibitione, (de quâ posteà) non possit officium Sepulturæ omitti, quin deleatur ipsa ratio naturalis è mentibus hominum; quæ dictat honestum & iustum esse faciendum. Ac proinde quæ circa illam quælibet gentes religiosè præstiterunt, vel decreverunt; non fuerint nisi ad conservationem, & confirmationem Iuris naturalis divinitùs insiti. Nec nocet, quòd earum plurimæ usæ sint multis ceremoniis & ritibus, contrariis rationi & honestati naturali. Potest enim in his singularibus errari absque læsione principij universalis, quod docet ministrandam esse quocumque sanctiori ritu sepulturam. Hoc enim solum esse Iuris naturalis divinitùs infusi dicimus; ritus verò singulares Iuris positivi, seu privati: in quo non negamus potuisse aliquas gentes, non solùm variare, sed etiam errare: non quidem culpâ Iuris naturalis, quod non potest non esse rectum; sed gentium culpâ, quæ ex depravatione & obscuratione intellectûs, non potuerunt agnoscere eius rectitudinem: cùm alioqui hoc unum universi populi in variis illis suis ritibus spectârint, ut id quampiissimè & religiosissimè præstarent. Sicuti & su-

SEPULTURA EST IURIS NATURALIS DIVINI.

periùs diximus, in ipso cultu Dei contigisse: quippe qui quamvis sit absolutè de Iure Naturali, tamen quoniam determinatio eius specifica & particularis est de Iure positivo, magnâ fuit diversitate celebratus, & post depravatam vitiis hominum legem naturalem, gravissimis erroribus conspersus; etiamsi in eo singulæ nationes quammaximam adhibuerint curam, ut sanctissimis opinione suâ perageretur mysteriis. Tanta enim vitiorum, pravarúmque consuetudinum tyrannis & immanitas est, ut naturæ lucem obscurare, ac synteresin evertére, homini denique hominem eripere possit; numquam tamen ita ut totum, aut penitùs.

CAPVT V.

De ANIMANTIUM *curâ Sepulturæ.*

1. [r] 8. de hist. anim 1.

QUÒD autem (ut scribit Aristoteles [r]) sicut in homine ars, sapientia, prudentia, sic in nonnullis brutis insit vis quædam eiusmodi altera naturalis; paritérque Ius aliquod naturale iis cum hominibus commune esse viderimus: ac propterea, nequid ullâ ex parte deesset plenissimæ argumenti nostri illustrationi, eorum quoq; exequialibus officiis sepulturæ religionem testatam reddere promiserimus; eo quidem credibilioribus, quò simplicioribus, & omni fuco ac dissimulatione liberioribus: Ut promissum exolvamus, & pensum absolvamus; præstabimus id exemplis nobilissimarum omnium generum ANIMANTIUM, Aëriarum sive Volatilium, Terrestrium sive Quadrupedum, Serpentium, Aquatilium, Insectarum. Non quidem ea modò repetentes, quæ de nonnullis iam diximus [s], earum ministerio Deum, cuius ceu Creatoris nutui omnia serviunt, ad sepulturam quorumdam piorum virorum extra communem rerum ac naturæ ordinẽ usum esse: sed de illis tantùm agentes, quæ solo naturali instinctu, & quâdam nativâ velut honesti cognitione, ad hoc pietatis officium propensæ & inclinatæ noscuntur.

[s] Supr. par. 1. cap 7.

II. DE ALITIBUS.

Aligerum porrò agmen ducat, qui non nisi multo ceterarum volucrum comitatu, novam faciem mirantium, umquam volare conspectus est; *Phœnix* inquam, sacra in Arabiâ Soli avis, una semper toto orbe; quæ nec coitu concepta, nec partu generata, confecto quingentorum, seu fortè plurium annorum numero, suis in terris, super exaggeratam variis odoribus struem incubans, vim genitalem ei adfundit; ac deinde putrescentium membrorum tabe concrescens, ipsa se concipit, atque ex se rursùs renascitur. Cui prima adultæ cura *sepeliendi* patris; cùm ossa pristini corporis inclusa myrrhâ in Ægyptum exportans, & in urbem, cui Heliopolis nomen, fragrantibus nardo bustis inferens, ínque Solis arâ deponens, *memorando funere consecrat*. Ita enim rem magnam, mirámque describunt Plinius [ſſ], Tacitus [t], Mela [u]: præter illos alios, quorum iam anteà nomina, verbáque recensuimus [x] occasione aromatum in testimonium futuræ corporum resurrectionis adhiberi funeribus consuetorum: ubi & letalis ipsius, seu veriùs natalis nidi, sive sepulchri aromatici, ex quo & idem & alius exurgit ac renascitur, descriptionem adduximus ex antiquo quodam Poëtâ [y], qui historiam Phœnicis avis eleganti carmine posteritati commendavit. Sepulturam quoque exuviarum, in quâ iam versamur, idem describit. Sed præstat eam, vel oblectandis lectorum animis styli varietate, Claudiani [z] versibus, quamvis recentioribus, illam repræsentare.

DE PHOENICIS FUNERE.

Qui fuerat genitor, natus nunc prosilit idem,
Succeditque novus: gemina confinia vitæ.
Exiguo medius discrimine separat ignis.
Protinùs ad Nilum Manes sacrare paternos,
Auctorémque globum Phariæ telluris ad oras
Ferre iuvat: velox alienum pergit in orbem,
Portans gramineo clausum velamine funus.
Clara per Ægyptum placidis notissima sacris
Urbs Titana colit, centúmque immane columnis
Invehitur templum, Thebano monte revulsis.
Illic, ut perhibent, patriam de more reponit
Congeriem; vultúmque Dei veneratus herilem,

[ſſ] *Lib. 10. cap. 2.*
[t] *Lib. 6. Annal.*
[u] *Lib. 3. cap. 4.*
[x] *Sup. par. 3. cap. 3.*
[y] *Ap. Lact. carm. de Phœnic.*
[z] *Epigr. 1. de Phœn.*

Iam flammæ commendat onus: iam destinat aris
Semina, relliquiásque suî: mirata relucent
Limina, divino spirant altaria fumo,
Et Pelusiacas productus ad usque paludes
Pervenit Indus odor, penetrat, complétque salubri
Tempestate viros, & nectare dulcior aura
Ostia nigrantis Nili septena vaporat.

Describit porrò vetustior ille auctor pluribus, speciosissimam ac regalem Phœnicis formam; quâ & homines in suî admirationem,& reliquas omnes volucres in venerationem,& comitatum rapit. Quâ & ego paulò fortè nimiùm, ut in unicâ, nec visâ magnopere Ave, retardatus; iam ad notiores propero.

III. DE AQUILA.

E quibus *Aquilæ* maximus honos,maxima & vis, vt loquitur Plinius [a]: quam & Reginam avium appellant, & poëtæ Iovis alitem, eiúsque armigeram, ac fulminum subministratricem fabulantur; quia sola avium & fulminis ictu non læditur, & fulgorem solis micantibus & inconniventibus oculis potest intueri: quæ & ipsa typus est resurrectionis,ob renovationem iuventutis,cuius meminit sacra [b] Scriptura. De hâc igitur tali alite ex Phylarcho Ælianus [c] memoriæ prodidit; puerum avium studiosum, Aquilæ pullum, quem dono accepisset, diligentissimâ curâ educâsse: indéque mutuò adeò sese amâsse, vt cùm puerum ægrotare contigisset, aquila assiduitate officij assideret; ac demùm cùm è vitâ excessisset, funus ad monumentum prosecutam esse; póstque ubi cremaretur, in medios rogos sese immisisse. Cui simile (nisi fortè idem, mutato apud alterutrum sexu) quod Plinius [d] refert, apud Seston urbem educatam à Virgine aquilam, retulisse gratiam, aves primò, mox deinde venatus aggerentem: defunctáque postremò, in rogum accensum eius iniecisse sese,& simul conflagrâsse. Nempè cum quâ vixerat, voluit eidem, eodémque modo consepeliri: nam & utrique unum commune factum fuisse monumentum, Plinius addit. *Accipitrem*, sacrum apud Ægyptios [e] Soli & Apollini alitem, quòd nullâ oculorum læsione Solis radios intueatur, & futurorum sit prænuncius; eundém-

DE ACCIPITRE.

[a] *Lib. 10. cap. 3.*

[b] *Psalm. 102.*

[c] *6. de animal. 29.*

[d] *Lib. 10. c. 5. ubi clarè puella, ap. Æl. ὁ παῖς.*

[e] *Herod. lib. 2. Strab. lib. 17. Diodor. lib. 1. par. 2. Ælian. 7. de anim. 9. & lib. 10. c. 14. & 24.*

que de Avibus (ut inquit Ælianus [f]) longè hominum studiosissimum, mansuetissimúmque, quem & ipsum annuâ pennarum mutatione renovari ex S. Iobi [g] historiâ intelligitur; tradit idem Ælianus [h], necnon Plutarchus [i], si hominem mortuum inhumatum perspexerit, iniectâ supervolando glebâ humare. Eumdémque in sui generis alitibus sepeliendis amore excellere, alij [k] observârunt. Idémque Ælianus [l] de *Gruibus*, (quas Aristoteles [m] inter *civiles animantes*, sicut & hominem, collocat, quarum videlicèt opus communi efficitur operâ: earumdémque sagacitatem in præsagiendis temporum varietatibus, solertiam in conficiendis suis migrationibus, prudentiam in observandis ordinibus & excubiis militaribus; tam iidem [n] auctores, quàm & Cicero [o], Virgilius [p], Plinius [q], & alij commendant:) ait, cùm Thraciam patriam suam adveniente frigore relinquunt ad calidiores regiones migraturæ, frequentes congregari quodam loco, ibique quæ fuerit extremo tempore ætatis affecta, ter universum gregem circumeundo emensam cadere, morique: eam vero reliquas primò *sepulturæ*, seque subinde itineri tradere. Hócque nobilissimo quadrigarum curru sufficiat alitum gregem, triumphum naturalis pietatis ac religionis agere. Nam quòd *Alaudas* legimus ad obitum S. Francisci magnâ multitudine super tectum domûs apparuisse, & tamquam iusta solverent sancto viro, qui eas præ ceteris avibus, quòd laudes decantare Deo continuè videantur, dilexerat, insolitâ quâdam iubilatione rotantes visas esse: hoc illæ non tam ex naturali sepulturæ observatione, quàm speciali ad id operis motione, sicut de aliis iam vidimus, fecisse noscuntur.

f 2. de anim. 42.
g Iob. 39. & ibi Greg. lib. 31. cap. 18.
h d. cap 42.
i Tract. de Isid.
k Aldrouand. in prolegom. ad Ornithol.
l 2. de anim. 1.
m 1. de hist. anim. 1.
DE GRUIBUS.
n Arist. 8. de hist. anim. 12. & lib. 9. c. 10. Ælian. lib. 3. cap. 13. & 14. & lib. 7. cap. 7.
o Lib. de nat. deor.
p Georg. lib. 1. & Æn. 10.
q Lib. 10. c. 23. & lib. 18. c. 35.

IV.
DE TERRESTRIBUS.

Terrestrium Animalium bigam dabimus, etsi mole corporis longè disparium, at ingenio & sagacitate haud multùm inter se dissimilium. *Elephantum* dico, & *Canem*. Illum, quem Aristoteles [r] ait sensu & sagacitate ingenij excellere; quem Ælianus [s] scribit naturali ingenio & prudentiâ valere; quo Tullius [t] dixit belluarum nullam prudentiorem esse; esséque [u] quamdam illi cum genere humano societatem; quem Plinius [x] appellavit proxi-

r 9. hist. animal. 46.
s 16. de animal. 15.
t De nat. deor. lib. 1.
u 7. ep. fam. 1.
x Lib. 8. cap. 1

[y] *Lib. 15.* mum humanis sensibus; Strabo [y], animal ratione prædictum: cuius docilitatem, probitatem, prudentiam, religionem, pudorem, omnes omninò auctores non satis prędicare sufficiunt: Hunc igitur idem Ælianus [z] testatur, cùm alterum perspexerit mortuum, non prætcrire quin humum promuscide haustam, veluti sanctâ & mysticâ quâdam ceremoniâ iniiciat, communem naturam miseratum mortuo parentantem; hócque non facere, impium & execrabile ducere: quandóque verò ad hoc nefas vitandum, satis ei esse vel ramum iniicere. Quid ampliùs Gentiles, cum suâ glebæ seu pulveris iniectione? Sed addit insuper Ælianus, eosdem Elephantos, cùm ex vulnere sive in bello sive in venatione accepto proximi sunt morti; aut herbam, aut pulverem allevantes, in cælum suspicere, eámque herbam, seu pulverem iacere, & simul voce suâ lamentari. Quod quidem ipse Ælianus eos facere existimavit, tamquam Deum obtestarent [?], ob ea quæ indignè & iniustè sustinent: nos potiùs cum Plinio [a], veluti tellurem precibus allegantes. Ex ritu videlicèt superiori, tamquam eamdem sepulturam sibi deprecantes, vel etiam in quantum possunt exhibentes, quam ipsi aliis deferre consueverunt. Qui etiam, ut idem [b] habet, deciduos casu aliquo, vel senectâ, dentes defodiunt.

[z] *Lib. 5. c. 49.*

DE ELEPHANTO.

[a] *d. cap. 1.*

[b] *d. l. 8. c. 3.*

V.

DE CANIBUS.

Canum porrò fidem & amorem erga dominos, memoriam, vigilantiam, ratiocinationem [z], quis auctorum non decantat? adeò quidem, ut etiam novenas ei animas antiqui [a] tribuerint, ob multiplices atque insignes naturæ eius proprietates, ac propè dixerim miracula, quæ satis essent nobilitandis totidem aliarum animantium speciebus. Quot verò istorum exempla proferri possint, qui se ipsos in funeralem dominorum rogum ultrò coniecerunt, vel alia sepulturæ genera unà cum illis propriæ vitæ damno inire elegerunt? Subministrant plura Ælianus [b], Plutarchus [c], Plinius [d], Pollux [e], alij. Quot item populi, qui illis pro honestissimo omnium sepulchro usi sunt? Diximus aliàs. Illustre illud eorum pietatis facinus [f], quod refert Appianus de cane Lysimachi, unius ex Alexandri Magni ducibus ac successoribus. nempè cùm

[z] *Ratiocinationem & dialecticam ei tribuit Ælian. lib. 6. cap. 59.*
[a] *Etymolog. & Hesych. parœmy nom ne citant* Ἐννεάψυχος κύων.
[b] *Lib. 6. c. 25. lib. 7. cap. 40.*
[c] *Utra anim. plus rat. hab.*
[d] *Lib. 8. c. 40.*
[e] *Lib. 5. cap. 5.*
[f] *Appian. de Bel. Syr.*

cùm is in prælio adversus Seleucum occubuisset; eius corpus Canem domesticum diù protexisse, alitésque ac feras arcuisse, donec Thorax Pharsalius inventum sepelivit. Itémque illud, quod etiam Pyrrhum [g] Epirotarum Regem in admirationem rapuit: qui cùm in expeditione quâdam incidisset in Canem, occisi hominis cadaver summâ diligentiâ custodientem nequis illud violaret; intellexissétque illum istic tertium iam diem ferentem inediam durauisse: hunc miseratus, cadaver sepulturæ tradi iussit: Canémque hoc officio delinitum secum abduxit, blanditiisque & inescantibus cibis ad se amandum allexit. Cui similem casum Cedrenus sub Imperatore Constantino Pogonato contigisse scribit; nimirùm ut occiso à latronibus quodam viatore, Canis qui eum comitabatur, domini corpus sedulò custodierit, donec alius quidam iter illâc agens misericordiâ motus cadaver occisi sepulturæ traderet: ídque officij Canis pergratum habens, se ultrò homini comitem ac servum adiunxerit. Alij [h]; in Cimbrico bello contra Caium Marium, pro dominis suis atrociter pugnavisse Canes; Cimbrorúmq; cadavera custodientes, numquam abigi potuisse, sed ea mirâ sedulitate à feris alitibúsque defendisse. Quidámque, licèt inter prodigia relatus à Dione [i], sanè utilissimum hominibus exemplum præbens quid ipsos invicem sibi præstare deceat, caninum cadaver ad Cereris proripuit, terrâque pedibus effossâ ibi sepeliit.

[g] Ælian. l. 7. cap. 10. Plut. ibid.

[h] Olaus lib. 17. cap. 7.

[i] Lib. 47.

VI. DE SERPENTIBUS.

De *Serpentibus* grave admodùm mihi agere, quòd hoc genere animantis nullum sit in omni naturâ deterius aut execrabilius; nullum perniciosius infestiúsve homini veneno & morsibus; nullum, quò faciliùs diabolus usus sit ad seducendos primos parentes, quóve communius ad idololatriam propagandam; maledictum denique inter omnia animantia & bestias terræ. Sed quoniam vincimus in eâ [k] quæ caput eius contrivit, conterítque, tuti ab eius veneno & spiris redditi, attrectare non dubitabimus; quatenùs ostendere valeamus, quantum etiam in detestabili formâ & formidandâ, valere possit naturalis omnibus sepulturæ religio. Inter cunctas autem Serpen-

[k] Gen. 3.

De' Dracone.

tum species, *Draconem* multis nominibus primatum obtinere cùm notum sit; (inde etenim & veteribus magno in cultu [l] habitus) de uno ex iis narrat Ælianus [m]; cùm Pindus Lycaonis Emathię Regis filius Draconem ingentis magnitudinis oblatione prædæ à se in venatione captæ mitigâsset, sibique amicissimum reddidisset; ac post inde Pindus à fratribus interfectus fuisset: Draconem auditâ ipsius dum invaderetur exclamatione, è specu suâ prodeuntem interfectores exanimâsse, & cadaver tamdiù custodisse, dum Pindi proximi ad eum sepeliendum advenissent; sed cùm nec ipsi præ timore Draconis propè accedere auderent, draconem hoc cognito tranquillè recessisse, quò commodiùs nullâ interpellatione supremam gratiam Pindus honore sepulturæ consequeretur.

[l] Ælian. l. 11. cap. 2. 16. 17. aliisque passim: & vid. Pier. hieroglyph. lib. 14.
[m] Lib. 10. cap. 48.

VII.

De Aquatilibus.

Aquatilium animantium multa de sepulturâ proferre exempla, ægrè permittit & aquæ elementum, quod illas à consortio hominum ferè penitùs excludit; & piscium ipsorum natura, quę vix huiusmodi officij capax videtur, nisi eo loci quò non facilè datur ceteris animalibus penetrare. Cùm tamen habeamus Maris & Piscium Regem, ánnon unus omnium instar erit? *Delphinum* inquam, qui solus (ut apud Plutarchum [n] legimus) hominem hoc solùm nomine diligit quod sit homo; cùm ceterorum animalium vel nullum, vel quæ mansuetiora sunt, nutricatores modò & familiares colant suos: Delphinis autem illa summis philosophorum tantopere desiderata, omni sorde omníque fraude carens amicitia, solis cum homine natura intercedat: cuius ipsorum in eos benignitatis, & allatæ opis, non rara extant apud auctores [o] exempla; in quibus & nonnulla de mortuis hominibus (& inter alios de Hesiodo proditoriè confecto) illæsis ad littus deportatis, ne lacerarentur à reliquis piscibus; & sicut creditu facile, ut delati in terram traderentur communi hominum sepulturæ. Sane de quodam Cœrano ferunt [p], cùm iactum piscium à piscatoribus pecuniâ redemisset in eóque Delphinos captos liberos dimisisset; aliquanto post tempore eodem Cœrano naufragium

De Delphino.

[n] Utr. anim. plus hab. rat.
[o] Plut. ibid. & in Conviv. sept. Sap. Ælian lib. 6. cap. 15. & l. 11. cap. 45. Plin. lib. 9. c. 8. &c.
[p] Ælian. lib. 8. cap. 3. Plut. ibid. Athen. lib. 13. cap. 8.

faciente, unum ex iis Delphinis ipſum dorſo exceptum, ſalvum in terram deduxiſſe: & cùm demùm mortuus eſſet, ac iuxta mare ei funus à proximis fieret, frequentes ad littus accedentes Delphinos, ita ſeſe palàm oſtentâſſe, quaſi exequiis intereſſe ſignificarent, & funus adiuvarent; cùm non antè diſceſſerint, quàm rogo extincto, & iuſtis planè peractis. Iam verò quantâ Delphini ſollicitudine hoc ipſum officij ſui generis cadaveribus præſtent, teſtis imprimis locuples Ariſtoteles [q]; dum ſcribit conſpectum eſſe Delphinorum gregem maiorum & minorum promiſcuum, ac poſt eum duos alios viſos eſſe delphinulum defunctum in ſummâ pelagi dorſo evehere, ne ab aliquâ belluâ marinâ devoraretur. Quod & breviter notavit Plinius [r]. Ælianus [ſ] expreſſiùs; ſolitos illos ſuorum corpora ſubeuntes, ad ſummam aquam allevare; tum ad continentem velut funere efferentes, hominibus ſepelienda tradere.

[q] 9. de hiſt. anim. 48.

[r] Lib. 9. cap. 8. in fi.

[ſ] Lib. 12. c. 6.

VIII.

DE INSECTIS.

Reſtant *Inſecta*; quorum omnium officioſiſſimum, & præ ceteris ferè omnibus animalibus, genus *Formicarum* & *Apum* eſſe, ſcripſit [t] Ariſtoteles: qui & eaſdem inter *civiles* [u] *animantes*, ſicut de Gruibus vidimus, collocat. Itemque Plinius [x] inter omnia Inſecta, principatum Apibus tribuit, & præcipuam admirationem; ſolis ex eo genere, hominum causâ genitis: quarum & prudentiſſimam politiam, reique ſuæ publicæ adminiſtrationem, ingenium, artificium, mores, tam ipſe, quàm etiam Ariſtoteles [y], Ælianus [z], & alij plurimi copiosè & eleganter deſcripſerunt. Sicut & inter Poëtas Virgilius [a].

--------- *totius ex ordine gentis*
Mores, & ſtudia, & populos, & prælia dixit.

Quæ adeò admiranda apparent, ut quemadmodùm ait,

His quidam ſignis, atque hæc exempla ſecuti,
Eſſe Apibus partem divinæ mentis, & hauſtus
Ætherios dixère.

[t] 9. de hiſt. anim. 38.

[u] Ibid. lib. 1. cap. 1.

[x] Lib. 11. cap. 5. & ſeqq.

DE APIBUS.

[y] d. lib. 9. cap. 40.

[z] Lib. 1. c. 59. & 60. & lib. 5. cap. 10. & ſeqq.

[a] Georg. 4.

DE FORMICIS.

Formicis item Cicero [b], & Plinius [c], mentem, rationem, & memoriam tribuunt. Et Plutarchus [d] totius virtutis ſignificationem in eis clariſſimè relucere, atque amicitiæ, fortitudinis, temperantiæ, providentiæ, iuſti-

[b] Lib. 3. de nat. Deor.

[c] Lib. 11. c. 30.

[d] Utra anim. plus rat. hab.

tiæ, semina & argumenta esse dixit: idémque pluribus Ælianus [e] prosequitur. Ac denique Rex Salomon [f] pigros ad utrumque hoc genus animantis *discendæ sapientiæ* causâ remittit. Siquidem in Editione Septuaginta, postquàm de *Formicis* loquutus est, mox ad *Apes* remittit, & ad operosissimam earum solertiam: quæ in Hebræo, & versionibus ab eo deductis desunt: agnoscunt tamen sancti Patres Clemens [ff] Alexandrinus, Basilius [g], Ambrosius [h], Hieronymus [i]. Sicut & alij iisdem Apibus sapientiam [k], prudentiam [l], rationem [m] & ingenium tribuunt.

[e] *Lib. 2. c. 25. lib. 6. cap. 43. & 50. lib. 16. cap. 15. & alibi.*
[f] *Proverb. 6.*
[ff] *Strom. 4.*
[g] *Hexam. homil. 8.*
[h] *5. Hexa. 21.*
[i] *In Ezech. 3.*
[k] *Plut. de amor. prol.*
[l] *Arist. 2. de part. anim. 2.*
[m] *Var. de re rust. lib. 3.*

IX.

APUM CURA SEPULTURÆ.

Quod autem ad utrarumq; tam Apum quàm Formicarum sepulturæ curam; de *Apibus* quidem quod Aristoteles ait, si qua intra alveum interierit, ceteras statim foras cadaver educere; & Ælianus [n], Apes sui generis extinctas ab alveis extrahere: hoc disertiùs Virgilius [o] dixit,

> --------- *Corpora luce carentum*
> *Exportant tectis, & tristia funera ducunt.*

ac Plinius [p], *progerere defunctas, funerantiúmque more comitari exequias.* Ex quibus verbis eumdem Plinium memoriâ lapsum arguas, dum posteà [q] de formicis agens scripsit, eas *sepelire inter se viventium solas, præter hominem.* Sed & possis eumdem monere de Elephantis, quos æquè vidimus suorum sepulturæ curam gerere: nisi dicas Elephantos non plenam sepulturam, sicut apes & formicas, solemni ritu ac funere dare.

[n] *Lib. 5. cap. 49*
[o] *Georg. lib. 4.*
[p] *Lib. 11. cap. 18.*
[q] *d. l. 11. c. 30.*

X.

ITEMQUE FORMICARUM.

Sanè apud Hieronymum [r] sanctus monachus Malchus in eremo aspiciens formicarum gregem, suis quasque muneribus diligenter incumbentes, inter alias vidit etiam quasdam *luctu celebri corpora defuncta deportare.* De quibus & planè admirabile, quod Plutarchus [s] & Ælianus [t] ex narratione Cleanthis philosophi referunt; ipsum aliquando otiosè sedentem, contemplatum esse Formicas mortuam formicam alicundè in aliarum formicarum domicilium ferentes, in cavernæ faucibus subsistere; atque inde continuò alias prodire, & cum externis velut quiddam colloquentes & contrahentes, iterùm & sæ-

[r] *In Vit. Malchi.*
[s] *Utra anim.*
[t] *Lib. 6. c. 50.*

piùs ultrò citróque commeare: denique lumbricum has tamquam redemptionis mortuæ pretium attulisse, cúmque alteras accepisse, & simul quam ferrent mortuam dimisisse, ipsámque alteras gratanter velut fratrem aut filium recepisse. Tradunt[u] insuper, earum formicariam aulam, tripertitam habere mansionem; quarum una sit, ubi suos cœtus & comitia celebrant; altera, ubi grana eduliáque recondunt; tertia, in quâ mortuas & elatas, velut in quodam cœmeterio reponunt; in granorum[x] folliculis eas condentes, sicut homines consueverunt in urnis loculisve parentes suos vel amicos. Quò & pertinere videtur Epigramma[y] Græcum incerti auctoris in formicam, cui tumulũ in agro segetifero arida gleba dedit.

[u] Plut. ibid.

[x] Ælian lib. 5 cap. 4. infi

[y] Antholog. lib. 3. cap. 24

XI. ET BOMBYCUM.

Nec *Bombycem* prætereo, quin è delicatissimis eius filis vestem huic operi texuerim: in cuius admirabili generatione, vitâ, & immutatione, providentissimi Creatoris omnes sapientiam, non tam suscipiunt, quàm suspiciunt: qui primùm ovo exclusus vermiculus, alimento satiatus obdormiscit; pelléque exutus, demùm ubi quater pastus, quater obdormiens, quater pellem renovârit, alvo ritè purgatâ folliculo includitur; indefesśique laboris fructum à centro ad circumferentiam protrudit filum ovali figurâ; absolutóque operi immoritur informis: ac denuò prodiens alatus papilio, brevis ævi iacturam fœtificatione reparaturus, peracto cum feminâ concubitu uterque emoritur; relicto à feminâ instar granorum milij semine, è quo rursùm nascuntur vermiculi. Est de his egregium poëma Hieronymi Vidæ Cremonensis, quo huius insecti miracula accuratissimè descripsit. In quibus imprimis observes cum S. Basilio[z], dilucidum, atque certissimum Resurrectionis typum: deinde verò, quod rem nostram propiùs spectat, animal istud statim ab ortu mortem ruminare: & ne insepultum remaneat, pretiosissimum sibi monumentum fabricare; donec resurgat ipsum quidem, sed non idem.

[z] Hom. 8. in Hexam.

CAPVT VI.

De Sepulturâ BRUTIS *datâ.*

I. CÆTERÙM quòd non tantùm ex religione, & misericordiá animi, vel dignitatis humanæ reverentiá; sed etiam in signum amoris & benevolentiæ, ac veluti in virtutis præmium, & laborum mercedem, sepultura concedi consueverit: inde quoque factum est, ut eius exhibendæ, non solùm servis, quos ferè brutorum loco habebant, quibúsque hanc humanitatem non denegâsse vidimus; verùm etiam ipsissimis brutis quæ chara habuissent, non minor antiquorum plurimis cura fuerit, quàm, propè dixerim, liberis hominibus; si sacra tollas, quæ nulla in brutis esse potuerunt. Quos cùm sciamus huiusmodi exæquationis à multis accusari, nos excusare malumus; quòd non rei sacræ profanatione, sed simplici ac naturali affectione, quæ etiam in bruta cadere possit, ad hunc qualemcumque honorem eis deferendum accesserint: ac prætereà quòd ex iis actibus ac ministeriis, quibus gratiam dominorum meruerunt, existimata sint aliquem habere sensum, non multùm à ratione aberrantem: præsertim cùm tantò animosiores istiusmodi conspectu, ad virtutes sectandas, & illustria facinora patranda, fidémque Principibus ac dominis suis servandam, reddi potuerint homines, meritæ speremunerationis, ac debiti honoris & præmij expectatione, quantò viderent hæc in brutis æstimari.

II. *ÆGYPTIORUM IN IIS VANITAS.* De funeribus autem ac sepulturâ brutorum, cùm innumerabilia propè sint tam Græcorum quam Latinorum exempla; iis tamen longè præponenda Ægyptiorum, quos promiscuè omnis fermè generis animalia, volatilia, terrestria, aquatilia, pro sacris habuisse, ob utilitatem, qua vitam hanc communem, & societatem hominum adiuvant; & quod licet Ægyptus sit Libyæ finitima, non tamen admodùm bestiis abundet, aliísque diversis de

causis; defunctáque aromatibus condire, & in sacratis singulorum sepulchris, vel etiam in templis religiosè ac sumptuosissimè condere consuevisse; Herodotus [a], Diodorus [b], Strabo [c], multa eiusmodi generum animalia recensentes testantur. Ut egregiè dixerit Maximus [d] Tyrius de iisdem disserens, mori in Ægypto deos ac lugeri; eorúmque & templa ostendi, & sepulchra.

[a] Lib. 1.
[b] Lib. 1. par. 2.
[c] Lib. 17.
[d] Dissert. 38.

III.
CORVI ROM. FUNUS AMPLISSIMUM.

De *Volucrum* verò apud ceteras gentes sepulturâ, memorandum maximè exemplum *Corvi* illius Romani sutoris Tiberio Principe, insuetæ loquelæ usu quàm naturalis crocitûs elegantiâ decantatioris: quem (ut refert Plinius [e]) sermoni assuefactum, omnibúsque matutinis evolantem in rostra, Tiberium, dein Germanicum & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem populum Romanum salutantem, ac posteà ad tabernam remeantem; cùm post plurium annorum assiduum officium, sive æmulatione, sive iracundiâ subitâ, proximæ sutrinæ manceps exanimâsset: funus innumeris Aliti celebratum est exequiis; constratum lectum super Æthiopum duorum humeros, præcedente tibicine, & coronis omnium generum, ad rogum usque qui constructus ad secundum ab Urbe lapidem. Adeò satis iusta causa Populo Romano visa est exequiarum, ingenium avis. At iustior Marrhi Ægypti Regi; ut *Cornicem*, quâ ocyssimi tabellarij vice, quocumque terrarum literas perferri vellet, multo tempore feliciter usus, mortuam insignis sepulchri & cippi honore decoraret: sicut testatur Ælianus [f]. Quo etiam referente [g], novimus Lacydem philosophum *Anserem*, qui ei ita comes perpetuò adhæserat, (ut etiam Plinius [h] scribit) nusquam ut ab eo non in publico, non in balneis, non noctu, non interdiù digrederetur; mortuum non minùs ambitiosè, quàm aut filium aut fratrem, sepulturæ honore affecisse. Itémque Poliarchum [i] Atheniensem Gallinaceos gallos, quibus delectatus fuisset, mortuos extulisse publicè, & amicos convocâsse ad funus, splendidéque sepelisse; atque erexisse in monumentis columnas, in eisque illorum epitaphia insculpsisse. Auctórque est insuper Diodorus [k], Agrigen-

[e] Lib. 10. cap. 43.

ALIORÚMQUE ALITUM.

[f] Lib. 6. de animal. cap. 7.
[g] Lib. 7. cap. 41.
[h] Lib. 10. cap. 22.
[i] Ael. 8. var. 4.
[k] Lib. 13.

tinos etiam Aviculis, quæ domi à virgunculis & pusionibus educabantur, sepulchra erigere consuevisse. Ac denique in Græcorum Anthologiâ plurima videre est elegantissima diversarum avium, atque etiam Insectarum animantium, epigrammata, ad earum sepulchra & monumenta insculpta.

IV.

[l] *In Attic.*

QUADRUPEDUM ITEM.

De *Quadrupedibus* singulare, quod ex Pausaniâ [l] discimus; cùm apud Ægyptios complura essent Serapidis dei templa, omnium tamen clarissimum habuisse Alexandrinos, antiquissimum Memphiticos; quò neque exteris hominibus, neque Sacerdotibus ipsis aditus pateret, priusquàm *Apim bovem* humâssent: quem immensis impensis funerare solitos, Diodorus tradit. In ceteris

PUTA EQUORUM.

verò gentibus insigne imprimis exemplum *Bucephali* Equi Alexandri Magni: qui quòd sæpè dominum suum è durissimis certaminibus sospitem operâ suâ extulisset, mortem eius Alexander tulit graviter, non secùs ac si familiarem & amicum amisisset; eidémque exequias duxit, eximium sepulchrum fecit, urbémque eius nomine tumulo circumdedit: ut testantur Plinius [m], Plutarchus [n], Solinus [o], Strabo [p], aliique quotquot de Alexandro, ac Bucephaliâ scripserunt. Fecit verò & Augustus (ut narrat idem Plinius [q]) Equo tumulum; ac de eodem Germanicus Cæsar carmen. Et Adrianum Dio [r] refert equo *Borysthem*, quo libenter in venationibus utebatur, mortuo monumentum ædificâsse, erexisséque columnam inscripto epigrammate. Pariterque Lucium Verum *Volucri* equo prasino sepulchrum in Vaticano fecisse, Capitolinus narrat. Alij [s] Agrigentinos equis in certamine quondam probatis, sepulchra & pyramides erexisse. Cimonémque Atheniensem, & Evagoram Laconem, equas, quibus ter Olympiis vicerant, magnificæ sepulturæ [t] tradidisse: quorum etiam non pauca extant alia exempla in Pausaniæ Eliacis. Et in Laconicis memorabile est Equi illius ad Spartam monumentum; ad cuius mactati execta exta, Tyndareus Helenæ procos iuramento adstrinxit, eos Helenæ, & cui eius connubium præ ceteris esset adiudicatum, opem laturos, siquâ iniuriâ

[m] *Lib. 8. cap. 42.*
[n] *In Alex.*
[o] *Cap. de Cappad.*
[p] *Lib. 15.*
[q] *d. c. 42.*
[r] *Lib. 69.*
[s] *Plin. & Solin. ibid. Diodor. lib. 13.*
[t] *Herod. lib. 6. Plut. in Catone maior. Aelian. Lib 12. de animal. cap. 40.*

riâ laceſſerentur. *Canis* quoque Peritæ nomine Alexandrum Magnum, alito à ſe, & in deliciis habito, urbem conſtruxiſſe ei cognominem, Plutarchus [u] ſcripſit. [u] *In Alex.*

V.

Itémque [x] Canes domeſticos & familiares, cùm multos alios, tum Xantippum Priſcum, diligentiſſimè ſepeliendos curâſſe. Et Ælianus [y] Poliarchum Athenienſem Canibus id ipſum præſtitiſſe, quod gallinaceis vidimus. Sed & Adrianum Imp. ſicut equis, ita & canibus quos amâſſet ſepulchra conſtituiſſe, Spartianus ſcribit in eius Vitâ. Habétque plura eiuſmodi humationis Caninæ exempla Pollux [z]: & inter alia Gargitij fratris Cerberi, cui ab Hercule occiſo, Iberi ſepulturam & monumentum extruxerunt: & Auræ caniculæ Atalantæ, quam ab apro Dalydonio peremptam eodem honore Calydonij affecerunt. Denique & Caſpiis Scythiæ populis (ut canit Valerius [a] Flaccus.)

[x] *In Cato. maior.* [y] *8. Var. 4.* ET CANUM. [z] *Lib. 5. cap. 5.* [a] *Argon. lib. 2.*

—— Turba Canum non ſegniùs acres
Exilis ad lituos, pugnáſque capeſſit heriles.
Inde etiam par mortis honos, tumulíque recepti
Inter avos, poſitúſque virûm.

Sicuti & de prædictorum animalium apud alios populos ſepulturis Statius [b]: [b] *Silv. ar. lib. 2. in epiced. Piet.*

—— Gemit inter bella peremptum
Parthus Equum: fidóſque Canes flevêre Moloſſi,
Et Volucres habuêre rogum, Cervúſque Maronis.

VI.

E' *Piſcibus* quoque *Delphinus* in Græcorum Anthologiâ [c], qui horridâ tempeſtate ad littus pulſus fuerat, à ſupervenientibus hominibus ſepultus legitur. Et ille, qui Arionem [d] inſignem illum citharœdum, dum ab Italiâ Corinthum navigaret, à nautis eius auri cupidine in mare ſeſe præcipitem dare coactum, dorſo ſublatum Corinthum incolumem perduxit; cùm onere depoſito exanimatus in littore permanſiſſet, à Periandro Rege [e] ſepulturam accepit; ac monumentum, ad quod nautæ ſceleris pœnas luerunt. Aliúſque apud Ælianum [f] & Plinium [g], in Iaſo urbe pueri amore ſpectatus longo tempore, cùm ſeſſorem ſuum incautè peremiſſet, ad littus unà cum eo invectus, ſepulchrum quoque cum eo com-

ATQUE ETIAM PISCIUM. [c] *Lib. 5. cap. 17.* [d] *Herod. lib. 1. Plut. in Conviv. ſept. ſap. Lucian. in Dial.* DELPHINUS ARIONIS. [e] *Hygin. fab. 194.* [f] *6. de anim. 15.* [g] *Lib. 9. cap. 8.*

mune à Iasensibus habuit. Et Lucius Crassus ille disertus, qui quàm gravis etiam atque serius habitus sit, Cicero docet; etiam Censor, & inter clarissimos cives princeps, *Murænam*, quæ vocem appellantis domini agnoscebat, & de manu eius cibum accipiebat; in piscinà domûs suæ mortuam, atratus tamquam filiam luxit, atque honore sepulturæ affecit. Neque id obiicienti collegæ Cnæo Domitio consiteri erubuit; sed ultrò etiam gloriatus est Censor, piam affectuosámque rem fecisse se: quemadmodùm scribunt Ælianus [h] atque Macrobius [i]. Nec modus exemplorum: quæ observârunt plures, observabúntque alij plura, quibus id volupe erit. Nos interim maximam partem instituti itineris emensi, tantisper interquiescimus, dum novas vires ad reliquam viam accipimus.

MURÆNA CRASSI.

h. Lib. 8. cap. 4.

i. 3. Satur. 15.

LIBER II. PARS I.

De SEPULCHRORUM DISTINCTIONE *inter omnes Religiones: déque propriorum incommunicatione; & facinorosorum privatione.*

CUM hactenùs omnes Religiones, cunctáque Iura, Sepulturam, Sepulchra, & Funera, pro sacris, religiosis, & inviolabilibus, naturali documento divinitùs infuso, ac cælesti comprobatione, omniúmque gentium observatione habuisse, probatissimis omnis generis & temporis auctoritatibus testatissimum reddiderimus: Altera iam nobis susceptæ tractationis pars ineunda, quâ eâdem incedentes viâ, quam in superioribus haud infelici progressu tenuimus, demonstremus; Nullamu spiam ab Orbis conditu fuisse Religionem seu veram seu falsam, quæ non propria Sepulchra habuerit: inquibus non solùm suis condi gratissimum, iisque privari molestissimum fuerit; verùm etiam cùm exterarum gentium, ac familiarum homines, tum verò graviorum criminum reos, & omnium maximè sequiorum Religionum sectatores, diligentissimâ sollicitudine ab iis arcuerit: ac denique quæ non privationem sepulturæ, magnæ calamitatis atque infelicitatis loco duxerit: omnique penitùs, quantum potuit, vel saltem patriâ, aut maiorum Sepulturâ, privaverit quos detestabiles & memoriâ hominum indignos iudicavit: Nullúmque aliquando Ius, seu privatum seu publicum, usquam usurpatum aut cognitum fuisse, quod non istud confirmârit & commendârit: Quinimmò id ipsum cunctis sæculis calculo divino cælitùs comprobatum extitisse: Ac denique ab ipsis etiam brutis Animantibus, naturali instinctu observatum. LIBRI II. SYNOPSIS.

CAPVT I.

De LEGIS NATURÆ *propriis Sepulchris.*

I. VT autem eamdem rationem ordinis in recenſendis ſingulis Religionibus ſequamur, quam in priori tractatu obſervavimus; nempè Legis Naturę, Gentilium, Iudæorum, Chriſtianorum, Hæreticorum, Mahometanorum: ante omnia in Lege Naturæ illuſtriſſimum habemus exemplum Patris credentium *Abrahami*: qui peregrinus in terrâ Chanaan, nec pedem ubi poneret quicquam poſſidens, mortuâ Sarâ coniuge, primùm quidem ita locutus ad Hethæos, inter quos verſabatur, ut ipſi exiſtimarent eum ius petere ſepulturæ in ipſorum monumentis, quod minimè extraneis iure communi competebat; *Advena*[a] (inquiens) *ego ſum apud vos, date mihi ius ſepulchri vobiſcum, ut ſepeliam mortuum meum*: deinde iiſdem liberaliter offerentibus, tamquam principi viro, eximiéque venerando, electiſſima quæque ſepulchra ſua ad Saram condendam; ubi intellexit, eos non eſſe mentem ipſius aſſecutos; horrénſq; poſt mortem Idololatris commiſceri, quibuſcum vivens converſari non dubitabat; apertè ſibi proprium locum pretio concedi popoſcit, agrum purum Ephronis cum ſpeluncâ duplici; ubi tum Sara, tum ipſe deinde Abraham, ac deinceps poſteri eius ſepelirentur: eumdémque ſolemni contractu, publicóque totius populi teſtimonio, ſibi ſuiſque in perpetuum firmauit; ne aliquando poſteri Ephronis venditum agrum repetere, vel etiam communem in eo ſepulturam poſtulare poſſent. Docens pariter (quod iam aliàs ex Paulino[b] diximus) *quia ſibi iſti deberent homines providere; cum is qui ad Dei verbum de terrâ patriæ cognationis exierat, nihilque prætereà de pervagatis natione diverſâ ſpatiis comparaverat, omnis terræ advena, ſolum tamen agrum ſepulchro, id eſt non temporalem, ſed æternam poſſeſſionem, nec terram avaritiæ, ſed quietis emiſſet.*

ABRAHAMI CURA DE PROPRIO SEPULCHRO.

[a] *Gen.* 23.

[b] *Ep.* 17. *ad Pammach.*

II. INGENS IACOBI SOLLICITUDO DE SEPULTURA PATRIA.

Quâ in re pariter accuratâ consideratione dignum, quantoperè Iacob Abrahæ nepos, & Ioseph pronepos, morientes in Ægypto, abhorruerint ibi sepeliri, cōcupierintque in terram Chanaan deferri ad patres suos; eidemque monumento inferri, quo Abraham cum Sarâ, Isaac cum Rebeccâ, ipsiusque etiam Iacobi uxor Lia conditi fuissent: *Si inveni gratiam in conspectu tuo* (inquit [c] Iacob ad Ioseph) *pone manum tuam sub femore meo*; (quod genus summæ adiurationis fuit Patriarchis, tamquam adiurarent per Messiam ex semine suo nasciturum) *& facies mihi misericordiam & veritatem, ut non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis; & auferas me de terrâ hac, condasque me in sepulchro patrum meorum.* Cui cùm respondisset Ioseph, se facturum quod pater iussisset; rursùm Iacob: *Iura ergo*, inquit, *mihi*: non quidem diffidens verbo Iosephi, sed cùm solicitudinem ei iniiciens rei diligentiùs exequendæ; tum per eiusmodi iuramenti obstrictionem, causam præbens excusationis apud Regem Ægypti, si fortè corpus ibi retinere vellet. Iosephóque iurante, *adoravit Israel Deum*; tamquam pro gratiarum actione acceptæ tanti beneficij pollicitationis. Qui & rursùm in ipso mortis articulo, post impertitam singulis filiis suis propriam benedictionem, absolutè *præcepit* [d] *eis*, (nequa videlicèt in ullo esset tergiversatio) *dicens, Sepelite me cum patribus meis*, &c. Pariterque Ioseph moriens [e] *adiuravit* fratres suos hisce verbis; *Deus visitabit vos; asportate ossa mea vobiscum de loco isto.* Cuius tam ardentis desiderij cùm multæ possint, consueverintque afferri causæ; has ad rem nostram adducere sufficiat: tum quoniam nihil dulcius, (ut inquit ille [f]) suâ patriâ, neque parentibus est: &

Nescio [g] *quâ natale solum dulcedine cunctos*
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

sitque naturaliter adeò parentum charorúmque dulcis amor, ut non solùm vivi eos desideremus dum absumus, verùm etiam mortui non nisi apud eos placidè quiescere posse nos putemus: Tum verò maximè, ne cadavera sua idololatrarum quodam quasi commercio profanarentur;

[c] Gen. 47.
[d] Gen. 49.
[e] Gen. 50.
[f] Ulysses ap. Hom. Odyss. 1.
[g] Ovid. 1. de Pont. 4.

ſed ad terram deferrentur Abrahæ promiſſam, & ſemini eius, in quâ Templum Domini futurum erat; in quâ ſolâ omnium totius Orbis ſciebant verum Deum quem ipſi coluerant, publicâ & ſincera religione colendum fore; in quâ ſeſe ſperabant participes fore precum, & ſacrificiorum illic offerendorum; in quâ prophetico ſpiritu noverant Meſſiam Chriſtum Dominum ex ſemine & cognatione ſuâ naſciturum, converſaturum, mundum ſuâ morte redempturum, ac denique reſurrecturum; & in quâ demùm ipſorum ſepulchra omnibus poſteris futura eſſent viva fidei, pietatis, ac religionis, quam ipſi profeſſi fuiſſent, monumenta pariter & incitamenta. Ceterùm Ioſephum cumulatiſſimè præſtitiſſe Iacobo quod promiſerat, accuratiſſimè Moſes [h] tamquam rem magni momenti deſcripſit. Et quod per fidem Ioſeph (ut loquitur Apoſtolus [i]) de oſſibus ſuis mandaverat, fideliter etiam adimplevit idem Moſes [k], cùm educens populum Iſraël de terrâ Ægypti, *tulit quoque oſſa Ioſeph ſecum*: quæ tamquam in triumpho mediis Iſraëlitarum caſtris honorificè geſtata, deductaque fuêre; donec poſt adeptam Terræ promiſſionis poſſeſſionem primò cōdita ſunt in Sichem, & inde tranſlata in Hebronicum maiorum ſepulchrum: in quod & reliquorum undecim Patriarcharum fratrum Ioſephi oſſa æquè illata fuiſſe, teſtimonio S. Stephani Protomartyris in Actis [l] Apoſtolorum, & Ioſephi Iudæi in Antiquitatibus [m] ſuæ gentis, aſſerunt multi: ut iam omittam agere de tempore huiuſmodi illationum, ſive tranſlationum; quod hactenus Interpretum non parùm exercuit ingenia.

[h] *Gen.* 50.
[i] *Hebr.* 11.
[k] *Exod.* 13.
[l] *Act.* 7.
[m] *Lib.* 2. *cap.* 4.

III. Sicut ergo (ut libro ſuperiori probatum eſt) fuit ſepultura Iuris Naturæ, ipſiúſque Divini dicti; ita & Diſtinctio ſepulchrorum, quamvis quoad materiam magis pertinere videatur ad Ius Gentium, quo [n] rerum in genere diviſio, ſeu diſtinctio dominiorum introducta eſt; vel etiam ad Civile, quo rerum particularium attributio atque poſſeſſio perſonis particularibus competit: tamen quoad ipſum Ius ſacrum ſepulturæ, & religionem ac ſanctitatem ſepulchris inhærentem; necnon quoad ipſos

[n] *L. ex hoc iure. D. de iuſt. & iur. l. 1. D. de acquir. rer. dom. Inſt. de rer. diviſ. §. ſingulorum.*

actus, circa quos præcipuè versatur eorum sanctitas & religio; haud est dubium, eorum distinctionem eiusdem esse iuris quo ipsa sepultura; ac proinde necessario dependere ab eâ Religione, quam profitentur qui illa sibi fabricantur; hoc est ab eo cultu divino, & ceremoniis externis, quas singulæ Religiones sibi seorsùm ab aliis constituerunt: quoniam sepulchra per consecrationem (ut aliàs vidimus, & Iura [o] loquuntur) humani iuris esse desinunt: & non solùm religioni destinata sunt, sed etiam religiosa efficiuntur. Ideóque in nullius bonis aut dominio censentur; nec vendicari à quoquam iure dominij possunt; nec quasi propria in rem actione peti: quia vendicatio, & in rem actio, non competit nisi ei, qui dominus est vel iure gentium vel civili; quorum neutro aliquis dominus est rerum religiosarum. Quamvis quoad usum, qui ea ædificârunt, aut alio legitimo modo acquisierunt, sint eorum quasi domini, propter ius quod habent ad illa, ut in iis sepeliri possint: atque ideò siquid in eis vi aut clàm fiat, ij & actione & interdicto experiri [p] possint; hócque ipsum ius sepulturæ (quod non solùm à dominio, verùm etiam à religione [q] sepulchri, atque adeò ab ipso [r] sepulchro diversum est) tam ad eos qui ex eâdem familiâ prodierint, vel ad heredes quoscumque transferre, quàm etiam extraneis communicare: quod nequaquàm possunt iure dominij, aut religionis sepulchrorum successione, vel translatione; quæ nihil ad eorum conditores pertinet.

SEPULCHRA SUNT PROPRIA RELIGIONIS, USUS ILLORUM QUI EA CONSTRUUNT.

[o] L. caveri D. com prœd. l. 1. C. de sep. viol. L. 1. D. si serv. vend. c. l. denique. §. quæsitum. D. quod vi aut clàm: l. si sepulchrum. C. de relig. l. interim scio §. 1. l. qua religiosis. D. de rei vendic.

[p] d. §. quæsitum.

[q] Cic. lib. 2. de legib.

[r] L. monumenta. C de legat.

IV. Ex quibus intelligas, tempore illo Legis Naturæ ita Hethæos sepulchra sua obtulisse Abrahæ, non ut ea donarent, aut alienarent; quæ quòd in nullius bonis essent, nullo modo poterant ab iis donari, aut alienari; sed ut ius concederent inferendi in ea mortuum suum. Itémque Ephronem, cùm prædium suum ei vendidit, non sepulchrum vendidisse, aut locum religiosum; sed purum prædium, seu profanum, quod nullâ adhuc religione tenebatur, licèt fortè futuræ sepulturæ destinatum esset. Quòd verò non dubitârunt iidem Hethæi sepulchra sua communicare Abrahæ, & extraneo, & alterius Religio-

QUOMODO HETHÆI SUA SEPULCHRA ABRAHAMO OBTULERINT.

sed ad terram deferrentur Abrahæ promissam, & semini eius, in quâ Templum Domini futurum erat; in quâ solâ omnium totius Orbis sciebant verum Deum quem ipsi coluerant, publicâ & sincera religione colendum fore; in quâ sese sperabant participes fore precum, & sacrificiorum illic offerendorum; in quâ prophetico spiritu noverant Messiam Christum Dominum ex semine & cognatione suâ nasciturum, conversaturum, mundum suâ morte redempturum, ac denique resurrecturum; & in quâ demùm ipsorum sepulchra omnibus posteris futura essent viva fidei, pietatis, ac religionis, quam ipsi professi fuissent, monumenta pariter & incitamenta. Ceterùm Iosephum cumulatissimè præstitisse Iacobo quod promiserat, accuratissimè Moses [h] tamquam rem magni momenti descripsit. Et quod per fidem Ioseph (ut loquitur Apostolus [i]) de ossibus suis mandaverat, fideliter etiam adimplevit idem Moses [k], cùm educens populum Israël de terrâ Ægypti, *tulit quoque ossa Ioseph secum:* quæ tamquam in triumpho mediis Israëlitarum castris honorificè gestata, deductaque fuêre; donec post adeptam Terræ promissionis possessionem primò cōdita sunt in Sichem, & inde translata in Hebronicum maiorum sepulchrum: in quod & reliquorum undecim Patriarcharum fratrum Iosephi ossa æquè illata fuisse, testimonio S. Stephani Protomartyris in Actis [l] Apostolorum, & Iosephi Iudæi in Antiquitatibus [m] suæ gentis, asserunt multi: ut iam omittam agere de tempore huiusmodi illationum, sive translationum; quod hactenus Interpretum non parùm exercuit ingenia.

[h] *Gen.* 50.
[i] *Hebr.* 11.
[k] *Exod.* 13.
[l] *Act.* 7.
[m] *Lib.* 2. *cap.* 4.

III. Sicut ergo (ut libro superiori probatum est) fuit sepultura Iuris Naturæ, ipsiúsque Divini dicti; ita & Distinctio sepulchrorum, quamvis quoad materiam magis pertinere videatur ad Ius Gentium, quo [n] rerum in genere divisio, seu distinctio dominiorum introducta est; vel etiam ad Civile, quo rerum particularium attributio atque possessio personis particularibus competit: tamen quoad ipsum Ius sacrum sepulturæ, & religionem ac sanctitatem sepulchris inhærentem; necnon quoad ipsos

[n] *L. ex hoc iure. D. de iust. & iur. l. 1. D. de acquir. rer. dom. Inst. de rer. div. §. singulorum.*

actus, circa quos præcipuè versatur eorùm sanctitas & religio; haud est dubium, eorum distinctionem eiusdem esse iuris quo ipsa sepultura; ac proinde necessario dependere ab eâ Religione, quam profitentur qui illa sibi fabricantur; hoc est ab eo cultu divino, & ceremoniis externis, quas singulæ Religiones sibi seorsùm ab aliis constituerunt: quoniam sepulchra per consecrationem (ut aliàs vidimus, & Iura [o] loquuntur) humani iuris esse desinunt: & non solùm religioni destinata sunt, sed etiam religionis efficiuntur. Ideóque in nullius bonis aut dominio censentur; nec vendicari à quoquam iure dominij possunt; nec quasi propria in rem actione peti: quia vendicatio, & in rem actio, non competit nisi ei, qui dominus est vel iure gentium vel civili; quorum neutro aliquis dominus est rerum religiosarum. Quamvis quoad usum, qui ea ædificârunt, aut alio legitimo modo acquisierunt, sint eorum quasi domini, propter ius quod habent ad illa, ut in iis sepeliri possint: atque ideò siquid in eis vi aut clàm fiat, ij & actione & interdicto experiri [p] possint; hócque ipsum ius sepulturæ (quod non solùm à dominio, verùm etiam à religione [q] sepulchri, atque adeò ab ipso [r] sepulchro diversum est) tam ad eos qui ex eâdem familiâ prodierint, vel ad heredes quoscumque transferre, quàm etiam extraneis communicare: quod nequaquàm possunt iure dominij, aut religionis sepulchrorum successione, vel translatione; quæ nihil ad eorum conditores pertinet.

SEPULCHRA SUNT PROPRIA RELIGIONIS, USUS ILLORUM QUI EA CONSTRUUNT.

[o] L. cæteri D. com. præd. l. 1. C. de sep. viol. L. 1. D. si serv. vend. c. l. denique. §. quasitum. D. quod vi aut clàm: l. si sepulchrum. C. de relig. l. in rem actio §. 1. l. quæ religiosis. D. de rei vendic.

[p] d. §. quasitum.

[q] Cic. lib. 2. de legib.

[r] L. monumenta. C. de legat.

IV.

QUOMODO HETHÆI SUA SEPULCHRA ABRAHAMO OBTULERINT.

Ex quibus intelligas, tempore illo Legis Naturæ ita Hethæos sepulchra sua obtulisse Abrahæ, non ut ea donarent, aut alienarent; quæ quòd in nullius bonis essent, nullo modo poterant ab iis donari, aut alienari; sed ut ius concederent inferendi in ea mortuum suum. Itémque Ephronem, cùm prædium suum ei vendidit, non sepulchrum vendidisse, aut locum religiosum; sed purum prædium, seu profanum, quod nullâ adhuc religione tenebatur, licèt fortè futuræ sepulturæ destinatum esset: Quòd verò non dubitârunt iidem Hethæi sepulchra sua communicare Abrahæ, & extraneo, & alterius Religio-

sed ad terram deferrentur Abrahæ promissam, & semini eius, in quâ Templum Domini futurum erat; in quâ solâ omnium totius Orbis sciebant verum Deum quem ipsi coluerant, publicâ & sincera religione colendum fore; in quâ sese sperabant participes fore precum, & sacrificiorum illic offerendorum; in quâ prophetico spiritu noverant Messiam Christum Dominum ex semine & cognatione suâ nasciturum, conversaturum, mundum suâ morte redempturum, ac denique resurrecturum; & in quâ demùm ipsorum sepulchra omnibus posteris futura essent viva fidei, pietatis, ac religionis, quam ipsi professi fuissent, monumenta pariter & incitamenta. Ceterùm Iosephum cumulatissimè præstitisse Iacobo quod promiserat, accuratissimè Moses [h] tamquam rem magni momenti descripsit. Et quod per fidem Ioseph (ut loquitur Apostolus [i]) de ossibus suis mandaverat, fideliter etiam adimplevit idem Moses [k], cùm educens populum Israël de terrâ Ægypti, *tulit quoque ossa Ioseph secum*: quæ tamquam in triumpho mediis Israëlitarum castris honorificè gestata, deductaque fuêre; donec post adeptam Terræ promissionis possessionem primò cōdita sunt in Sichem, & inde translata in Hebronicum maiorum sepulchrum: in quod & reliquorum undecim Patriarcharum fratrum Iosephi ossa æquè illata fuisse, testimonio S. Stephani Protomartyris in Actis [l] Apostolorum, & Iosephi Iudæi in Antiquitatibus [m] suæ gentis, asserunt multi: ut iam omittam agere de tempore huiusmodi illationum, sive translationum; quod hactenus Interpretum non parùm exercuit ingenia.

[h] *Gen.* 50.

[i] *Hebr.* 11.

[k] *Exod.* 13.

[l] *Act.* 7.

[m] *Lib.* 1. *cap.* 4.

III. Sicut ergo (ut libro superiori probatum est) fuit sepultura Iuris Naturæ, ipsiúsque Divini dicti; ita & Distinctio sepulchrorum, quamvis quoad materiam magis pertinere videatur ad Ius Gentium, quo [n] rerum in genere divisio, seu distinctio dominiorum introducta est; vel etiam ad Civile, quo rerum particularium attributio atque possessio personis particularibus competit: tamen quoad ipsum Ius sacrum sepulturæ, & religionem ac sanctitatem sepulchris inhærentem; necnon quoad ipsos

[n] *L. ex hoc iure. D. de iust. & iur. l. 1. D. de acquir. rer. dom. Inst. de rer. divis. §. singulorum.*

actus, circa quos præcipuè versatur eorum sanctitas & religio; haud est dubium, eorum distinctionem eiusdem esse iuris quo ipsa sepultura; ac proinde necessario dependere ab eâ Religione, quam profitentur qui illa sibi fabricantur; hoc est ab eo cultu divino, & ceremoniis externis, quas singulæ Religiones sibi seorsùm ab aliis constituerunt: quoniam sepulchra per consecrationem (ut aliàs vidimus, & Iura [o] loquuntur) humani iuris esse desinunt: & non solùm religioni destinata sunt, sed etiam religionis efficiuntur. Ideóque in nullius bonis aut dominio censentur; nec vendicari à quoquam iure dominij possunt; nec quasi propria in rem actione peti: quia vendicatio, & in rem actio, non competit nisi ei, qui dominus est vel iure gentium vel civili; quorum neutro aliquis dominus est rerum religiosarum. Quamvis quoad usum, qui ea ædificârunt, aut alio legitimo modo acquisierunt, sint eorum quasi domini, propter ius quod habent ad illa, ut in iis sepeliri possint: atque ideò siquid in eis vi aut clàm fiat, ij & actione & interdicto experiri [p] possint; hócque ipsum ius sepulturæ (quod non solùm à dominio, verùm etiam à religione [q] sepulchri, atque adeò ab ipso [r] sepulchro diversum est) tam ad eos qui ex eádem familiâ prodierint, vel ad heredes quoscumque transferre, quàm etiam extraneis communicare: quod nequaquàm possunt iure dominij, aut religionis sepulchrorum successione, vel translatione; quæ nihil ad eorum conditores pertinet.

SEPULCHRA SUNT PROPRIA RELIGIONIS, USUS ILLORUM QUI EA CONSTRUUNT.

[o] L. caveri D. com præd. l. 1. C. de sep. viol. L. 1. D. si serv. vend. c. l. denique. §. quæsitum. D. quod vi aut clàm: l. si sepulchrum. C. de relig. l. in rem actio. §. 1. l. quæ religiosis. D. de rei vendic.

[p] d. §. quæsitum.

[q] Cic. lib. 2. de legib.

[r] L. monumenta. C de legat.

IV.

QUOMODÒ HETHÆI SUA SEPULCHRA ABRAHAMO OBTULERINT.

Ex quibus intelligas, tempore illo Legis Naturæ ita Hethæos sepulchra sua obtulisse Abrahæ, non ut ea donarent, aut alienarent; quæ quòd in nullius bonis essent, nullo modo poterant ab iis donari, aut alienari; sed ut ius concederent inferendi in ea mortuum suum. Itémque Ephronem, cùm prædium suum ei vendidit, non sepulchrum vendidisse, aut locum religiosum; sed purum prædium, seu profanum, quod nullâ adhuc religione tenebatur, licèt fortè futuræ sepulturæ destinatum esset. Quòd verò non dubitârunt iidem Hethæi sepulchra sua communicare Abrahæ, & extraneo, & alterius Religio-

nis cultori; non ex contemptu accidit religionis ſepulchrorum, aut ex ignorantiâ, vel neglectu diſtinctionis eorumdem: ſed magis quòd cùm Abrahamum, ut *principem Dei* (ſicut Scriptura loquitur) agnoſcerent; ac venerarentur; hoc eſt, non ſolùm potentem, verùm & ſanctum, iuſtum, ac Deo dilectum, quaſique miſſum cælitùs, ut loco Dei eſſet apud ipſos: ac propterea ſit admodùm credibile, multos ex iis per longum Abrahæ apud eos incolatum, eiuſdem monitionibus & exemplo, ſi non omninò ab idololatriâ retractos, ſaltem à corruptione morum ad meliorem frugem reductos eſſe, & ad agnitionem multorum veræ fidei & pietatis dogmatum, ac præcipuè futuræ corporum reſurrectionis: (cuius & alioqui notitiam aliquam, ſeu ſpem, lumine rationis naturalis inſitam fuiſſe primitùs omnium fermè populorum animis, atque inde ortam adeò ſolicitam honeſtæ corporum ſepulturæ curam, iam aliàs vidimus:) his, inquam, de cauſis, non ſolùm eos non abhorruiſſe à conſortio ſepulturæ cum ipſo, eiuſque coniuge, ac poſteris; verùm etiam illud magnoperè deſideràſſe, & ultrò atque certatim flagitàſſe; ut quemadmodùm eorum corporibus copularentur in ſepulchris, ita in gloriâ reſurrectionis eiſdem aſſociarentur: at Abrahamum noluiſſe ea acceptare, quòd pleniorem habens cognitionem Iuris Divini ac Naturalis, omninò ſciret, quibuſcum viventibus non eſt communicatio in fide, & morum doctrinâ, cum iiſdem mortuis communicari non poſſe; ut tractabitur poſteà accuratiùs.

V. Distinctio Sepulchrorum in familia Abrahami.

Quinimmò & eamdem diſtinctionem in ipſámet familiâ Abrahami obſervatam ſcimus: dum legentes, ipſum unà cum Iſaaco, Iacobo, ac coniugibus eorum; necnon & duodecim Patriarchas, capita Tribuum Populi Dei, procul licèt mortuos; ſepultos fuiſſe uno eodémque monumento in Terrâ Promiſſionis: haud tamen reperimus, filios eiuſdem Abrahæ ex Agare & Ceturâ, vel Eſau filium Iſaaci, eò illatos fuiſſe; ſed in diſiunctiſſima loca amandatos, eò quòd ad propagationem Populi Dei non pertinerent, neque ad promiſſiones ſpirituales divinitùs factas Abrahamo, & ſemini eius. Quippe (ut

(ut ait Apostolus [s]) *non qui semen sunt Abrahæ, omnes filij: id est, non qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis æstimantur in semine.* Atque hæc modò sufficiant de usu piorum & impiorum tempore Legis Naturæ, ex vi solius rationis naturalis; antequàm aliquo Iure positivo quicquam de his determinatum fuisse reperiatur. [s] Rom. 9.

CAPUT II.

De PRIVATIONE *Sepulturæ sub Lege Naturæ.*

VERùm ne iisdem temporibus exempla privationis sepulturæ nos defecisse putentur; quod ait Iosephus [t], Cainum, postquàm interfecit fratrem suum Abelem, *cadaver eius abdidisse, rem clàm fore putantem;* apertè indicat, nullam ipsum eius sepulturæ curam habuisse, idque tantùm curâsse ut nusquam appareret. Disertiùs in historiâ Iob (cuius cùm scriptorem fuisse Mosen communis sit plurimorum sententia, hunc illo posteriorem fuisse necesse est;) Eliphas Themanites, illa quæ homini impio contingere solerent percensens, inter alia ait [u] eum *decretum esse in manus ferri, & ordinatum in escas vulturum;* ut quidem legitur in Editione Septuaginta. Quam elucidans Olympiodorus, *Divino est,* inquit, *sancitum imperio, ferro illi vitam eripiendam esse; & à vulturibus consumptum cadaver iacere debere insepultum. Quod quidem certè illius ætatis hominibus grave iudicatum est genus animadversionis.* Agénsque Philo in Vitâ Mosis de durissimâ servitute quâ opprimebantur Hebræi ab Ægyptiis, cùm multos eorum ab immoderatâ operum exactione emori contingeret, *eos* (inquit) *proiiciebant insepultos, nec pulverem sinentes iniicere corporibus, nec lachrymis mortuos prosequi.* Longè tamen gravius illud, sive dixeris privationis, sive exhibitionis Sepulturę genus, quo Schismatici [x] Core, Dathan, & Abiron cum suis sequacibus,

I.

[t] 1. ant. 3.

[u] Iob. 15. vers. 22.

SEPULTURA FACINOROSIS DENEGANDA.

[x] Numer. 16

nis cultori; non ex contemptu accidit religionis sepulchrorum, aut ex ignorantiâ, vel neglectu distinctionis eorumdem: sed magis quòd cùm Abrahamum, ut *principem Dei* (sicut Scriptura loquitur) agnoscerent, ac venerarentur; hoc est, non solùm potentem, verùm & sanctum, iustum, ac Deo dilectum, quasique missum cælitùs, ut loco Dei esset apud ipsos: ac propterea sit admodùm credibile, multos ex iis per longum Abrahæ apud eos incolatum, eiusdem monitionibus & exemplo, si non omninò ab idololatriâ retractos, saltem à corruptione morum ad meliorem frugem reductos esse, & ad agnitionem multorum veræ fidei & pietatis dogmatum, ac præcipuè futuræ corporum resurrectionis: (cuius & alioqui notitiam aliquam, seu spem, lumine rationis naturalis insitam fuisse primitùs omnium fermè populorum animis, atque inde ortam adeò solicitam honestæ corporum sepulturæ curam, iam aliàs vidimus:) his, inquam, de causis, non solùm eos non abhorruisse à consortio sepulturæ cum ipso, eiusque coniuge, ac posteris; verùm etiam illud magnoperè desideràsse, & ultrò atque certatim flagitàsse; ut quemadmodùm eorum corporibus copularentur in sepulchris, ita in gloriâ resurrectionis eisdem associarentur: at Abrahamum noluisse ea acceptare, quòd pleniorem habens cognitionem Iuris Divini ac Naturalis, omninò sciret, quibuscum viventibus non est communicatio in fide, & morum doctrinâ, cum iisdem mortuis communicari non posse; ut tractabitur posteà accuratiùs.

V. Distinctio Sepulchrorum in familia Abrahami.

Quinimmò & eamdem distinctionem in ipsâmet familiâ Abrahami observatam scimus: dum legentes, ipsum unà cum Isaaco, Iacobo, ac coniugibus eorum; necnon & duodecim Patriarchas, capita Tribuum Populi Dei, procul licèt mortuos; sepultos fuisse uno eodémque monumento in Terrâ Promissionis: haud tamen reperimus, filios eiusdem Abrahæ ex Agare & Ceturâ, vel Esau filium Isaaci, eo illatos fuisse; sed in disiunctissima loca amandatos, eò quod ad propagationem Populi Dei non pertinerent, neque ad promissiones spirituales divinitùs factas Abrahamo, & semini eius. Quippe (ut

(ut ait Apostolus [f]) *non qui semen sunt Abrahæ, omnes filij: sed est, non qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis æstimantur in semine.* Atque hæc modò sufficiant de usu piorum & impiorum tempore Legis Naturæ, ex vi solius rationis naturalis; antequàm aliquo Iure positivo quicquam de his determinatum fuisse reperiatur. [f] *Rom. 9.*

CAPVT II.

De PRIVATIONE *Sepulturæ sub Lege Naturæ.*

VERùM ne iisdem temporibus exempla privationis sepulturæ nos defecisse putentur; quod ait Iosephus [t], Cainum, postquàm interfecit fratrem suum Abelem, *cadaver eius abdidisse, rem clàm fore putantem;* apertè indicat, nullam ipsum eius sepulturæ curam habuisse, idque tantùm curâsse ut nusquam appareret. Disertiùs in historiâ Iob (cuius cùm scriptorem fuisse Mosen communis sit plurimorum sententia, hunc illo posteriorem fuisse necesse est;) Eliphas Themanites, illa quæ homini impio contingere solerent percensens, inter alia ait [u] eum *decretum esse in manus ferri, & ordinatum in escas vulturum;* ut quidem legitur in Editione Septuaginta. Quam elucidans Olympiodorus, *Divino est,* inquit, *sancitum imperio, ferro illi vitam eripiendam esse; & à vulturibus consumptum cadaver iacere debere insepultum. Quod quidem certè illius ætatis hominibus grave iudicatum est genus animadversionis.* Agénsque Philo in Vitâ Mosis de durissimâ servitute quâ opprimebantur Hebræi ab Ægyptiis, cùm multos eorum ab immoderatâ operum exactione emori contingeret, *eos* (inquit) *proiiciebant insepultos, nec pulverem sinentes iniicere corporibus, nec lachrymis mortuos prosequi.* Longè tamen gravius illud, sive dixeris privationis, sive exhibitionis Sepulturę genus, quo Schismatici [x] Core, Dathan, & Abiron cum suis sequacibus,

I.

[t] *1. ant. 3.*

[u] *Iob. 15. vers. 22.*

SEPULTURA FACINOROSIS DENEGANDA.

[x] *Numer. 16*

dirupta terrâ sub pedibus eorum, descenderunt vivi in infernum operti humo. Operti nimirùm ita, ut quemadmodùm eleganter ait suo more Ambrosius [y], *ab omnibus mundi huius ablegarentur elementis; ut nec aërem haustu, nec cælum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro;* etiamsi animabus eorum in infernum descendentibus, corpora remanserint in visceribus terræ. Sicuti & illi alij, quos ignis [z] à Deo immissus eâdem vindictâ interfecit, ita *sunt* (ut habent Iosephus [a] & Philo) *absumpti, ut ne minimum quidem membrum reliquum esset, quod sepulchris posset inferri.*

[y] Ep. 25. ad Eccl. Vercell.
[z] d. cap 16
[a] 4. antiq. 3. Phil. de Vit. Mos. lib. 3.

II.

Sed quod dixi de privatione sepulturæ; ne & hoc existimes contrarium esse propositioni illi, quâ superiùs asseruimus Sepulturam esse de Iure Naturali, quod immutabile [b] semper manere dicitur: scias velim, Ius quidem Naturale, quoad communia eius præcepta, putà Bonum esse faciendum, malum fugiendum; Deum colendum, parentes honorandos, homicidium non committendum, & alia huiusmodi tam affirmativa quàm negativa, esse omninò in se & per se immutabile: quoniam cùm recta ratio ex instinctu naturæ dictet hæc bona vel mala esse, sítque Ius Naturale nihil aliud quàm naturale dictamen rectæ rationis; hoc necesse est ubique & semper idem esse, quia natura rationalis semper eadem & immutabilis est: nec posse deleri à cordibus hominum, quin ipsa naturalis ratio deleatur. Verumtamen per accidens, talem per Ius Positivum hominum fieri posse mutationem in materiâ Iuris Naturalis, ut ratione illius mutationis varietur etiam Iuris Naturalis obligatio. Quod & Aristoteles [c] aliquibus exemplis probat: & expressiùs Iurisconsulti [d] ac Theologi [e] tradunt, Ius Naturale recipere additionem, & detractionem: non quidem in se, ut aliqua nova lex à naturâ promi possit, (sic enim in ipsâ naturâ novitas quædam oriretur, quod impossibile est:) vel ita aliquid ei detrahi, ut quod naturaliter rectum aut pravum est, possit non esse: sed interpretativè, ratione eius circumstantiarum. Sicque additionem recipere dicitur; vel cùm per Ius divinum & humanum aliqua specialiter addun-

[b] Arist. 5. Ethic. 7. Cic. lib. 3. de Rep. Instit. de iur. nat. gent. & civil. §. pen. Grat. dist. 5. in pr. & 6. in fi. S. Th. 1. 2. q. 94. art. 5.

IUS NATURALE IN QUIBUS MUTATIONEM RECIPIAT.

[c] d. c. 7.
[d] L. ius civile. D. de inst. & iur.
[e] S. Th. ib. art. 4. & 5.

tur, quibus ratione actionum, rerum, temporum, locorum, personarum, ac multiplicium circumstantiarum, determinantur ac variantur ea quæ per Ius naturale determinata non sunt, sed tantùm generaliter continentur in eius principiis moralibus: (putà præceptum generale Iuris Naturalis colendi Deum, determinatur à Iuribus positivis per multa, eaque apud plerosque diversa, præcepta particularia de sacrificiis, orationibus, sacramentis, eorúmque ritibus ac ceremoniis:) vel cùm per nova præcepta aliquid additur Iuri Naturali, quod utile aut necessarium sit ad acquirendas & conservandas virtutes, seu ad finem aliquem bonum consequendum: putà cùm per Iura positiva introducta sunt rerum divisio & proprietas, bella, servitutes, varij contractus; plurimæque leges tam civiles quàm Ecclesiasticæ, tum ad vitandum otium, tum ad iustitiam & pacem Reipublicæ conservandam: quæ quamvis non sint de primariâ intentione Iuris Naturalis, tamen cùm iustè fiunt, non cadunt sub eius prohibitione, quæ tantùm iniusta fieri vetat, & iusta præcipit; sed magis illud interpretantur, firmant, & ad perfectum usum hominum reducunt. Detractionem autem recipere dicitur Ius Naturale, cùm per appositionem alicuius circumstantiæ ex parte obiecti sive materiæ, cessat eius obligatio: putà, cùm Iure naturæ obligemur depositum reddere deponenti, si tamen deponens reddatur furiosus, vel Reipublicæ hostis, & periculum alteri nocendi timeatur; fit ut ob novam ex parte materiæ sive obiecti circumstantiam, cesset prior obligatio reddendi depositum; consurgátque contraria ac fortior naturalis obligatio non reddendi, ne damnum proximi vel Reipublicæ inde emergat. Hócque non est relaxatio Iuris Naturalis; cuius obligatio, quamdiù manent eædem circumstantiæ sub quibus obligat, non potest relaxari: sed est relaxatio alicuius vinculi seu debiti, quod ob novam circumstantiam non ampliùs obligat.

III. PRIVATIO SEPULTURÆ IUSTA, NON OFFICIT IURI NATURALI.

Cùm igitur nihil prædictorum officiat immutabilitati Iuris Naturalis, in se & per se considerati; ut iam ad rem nostram accedamus, etiamsi dixerimus Sepulturam esse

Iuris Naturalis, eiusdémque Divini dicti; haud tamen eius privatio efficiet quominùs reverâ talis semper remaneat, manentibus iisdem circumstantiis sub quibus exhibitio sepulturæ præcipitur. Sicut enim quamvis libertas naturaliter conveniat omnibus hominibus, quos natura vellet liberos nasci & permanere; haud tamen privatio eius nocet immutabilitati Iuris Naturalis, quia non eam præcepit absolutè & simpliciter, vel prohibuit ne auferri possit: sed è contrario suppositâ hominum culpâ vel iniuriâ, servitutem approbat, tum quando iusto bello quis magis servare voluerit (unde & servi [f] dicti) quos iustè occidere potuit; tum etiam quando Princeps vel Respublica per altiorem potestatem quam habet ad regendos homines, aliquos in pœnam delictorum libertate privare expedire iudicaverit. Siquidem Natura non prohibet nisi iniustam servitutem, quæ absque rationabili causâ imponitur. Ac pariter, sicut quamvis natura dederit homini vitam quoad usum eius ac possessionem, & tam Iure Naturali quàm Divino prohibita sit hominis occisio; nihil tamen alterutri Iuri nocet, ut homo facinorosus vitâ privetur à Magistratu: quin potiùs est rationalis executio iustitiæ, quam divinum & naturale ius dictat ad conservationem Reipublicæ; quemadmodùm ex corpore abscinduntur membra putrida, ne totum intereat: nec item iisdem Iuribus officiat, ut privatus vim alterius iniquam cum moderamine inculpatæ tutelæ repellens, vel etiam in bello iusto pugnans adversarium occidat; cùm vim vi repellere, & hostem occidere iure naturali & divino liceat, quæ non omnem hominis necem, sed tantùm iniustam & irrationabilem prohibent: Ita quamvis sepultura in se & per se considerata sit Iuris naturalis, quod illam honestè defunctis exhibere præcipit: per accidens tamen, suppositâ culpâ defuncti, potest ille Iure Naturali & Divino, quæ delicta puniri iubent, per legitimos Magistratus eâ in pœnam propriam, & ad alios huiusmodi ignominiâ à delictis deterrendos, iustè & rationabiliter privari. Non quòd Natura præcisè hanc pœnam, sicuti nec alias speciales, quæ hominibus vivis aut

[f] *L. libertas. D. de stat. ho. Instit. de iur. person. §. servi autem.*

QUOMODÒ POSSIT IUS NATURALE RECIPERE MUTATIONEM.

defunctis irrogantur, determinaverit: sed quia generaliter pręcepit malefactores esse puniendos, ex eo principio cetera Iura auctoritatem sumpserunt determinandi pœnarum genera, quæ in malefactores statuenda essent. Atque ita præceptum naturale, quo prohibetur privatio sepulturę, cùm non sit ex iis quæ simpliciter & semper obligant, positis quibuscumque circumstantiis; (cuiusmodi sunt ea, quibus prohibentur odium Dei, idololatria, periurium, *&c.* quorum obligatio numquam cessare potest) sed tantùm obliget sub certis circumstantiis; veluti ut non liceat homines probos & benè merētes illâ privare: quamdiù quidem manent hæ circumstantiæ, tamdiù obligat: quando verò mutantur, non amplius obligat; sed alia ratio fortiùs obligans subintroducitur ab eâdem Naturâ, quæ improbos & immerentes eâ indignos declarari iubet. Ut autem non semper & ubique hoc ita observetur, duplici de causâ accidere potest: alterâ quidem malâ; videlicèt quia apud quosdam homines seu populos, etiamsi non penitùs possit aboleri Ius naturale, quod iusta præcipit & iniusta prohibet; nihilominùs tamen quoad quædam particularia quæ ex eo deducuntur, fieri potest: ut per falsas opiniones, aut pravas peccandi con- [g] *S. Th. 1. 2.*
suetudines, ita obscuretur eorum intellectus, ut in parti- *q. 94. art. 6.*
culari vix attendant quid rectum & honestum sit; quinimmò multa licita reputent, quæ apertè Iure Naturali prohiberi agnoscunt illi qui rectitudine iudicij & rationis utuntur: *tenebris obscuratum habentes intellectum*, (ut loquitur Apostolus[h]) *alienati à vitâ Dei per ignorantiam* [h] *Ephes. 4.*
quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum. Alterâ autem bonâ & æquâ: nimirùm quòd Ius Civile (ut ait Ulpianus[i]) etsi ex parte Iuri Naturæ consentiat, (id est æqui- [i] *l. ius civile. 6. D. de iust. & iur.*
tati, quæ est inseparabilis à Iure Naturali: unde & Cicero[k] dixit, Naturam esse normam legis, & fontem Iuris: [k] *Lib. 2. de legib. & lib. 3. Offic.*
& siquæ leges positivæ naturali iuri repugnent, eas planè necesse est iniustas esse, nec nomen Iuris aut legis mereri:) haud tamen per omnia ei inserviat, id est non semper & in omnibus consideret quæ pluribus locis secun-

dùm naturalem æquitatem obſervantur, ſed maiorem rationem habeat neceſſitatum illius Reipublicæ, ſive ſocietatis civilis, cuius adminiſtrationi & regimini inſervire debet, ac morum qui magis ibi quàm alibi communiter inter reliquos homines vigent: ac propterea huiuſmodi neceſſitates, ratione & æquitate naturali ſæpè iubeant propter frequentiam criminum augere pœnas, aut propter mores ſæviores & barbaros duriùs ſtatuere; interdùm verò contrariis cauſis pœnas minuere, & aliter atque aliter leges temperare.

CAPVT III.

De propriis GENTILIUM *Sepulchris; & Privatione Sepulturæ.*

CAPVT I.

De ÆGYPTIIS, *&* PERSIS.

I. QUIBUS ſic neceſſariò explicatis, ut ad inſtitutam probationem diſtinctionis ſepulchrorum, & privationis ſepulturæ redeamus; & quæ fuerit eâ in re Ethnicorum Iure gentium ac Civili obſervatio, ordine ſemel poſito perſcrutemur: ſicuti cùm de ipſorum ſanctitate, & religione ſepulturæ agendum fuit, ab antiquiſſimis *Ægyptiis* exordium meritiſſimò duximus; ita cùm de eiuſdem conſervatione, ſimul & pœnâ privationis, quæſtio tractanda ſuſcipitur, primas aliis quibuſvis deferre, indignum illis ac planè iniurioſum fore exiſtimamus. Quòd igitur tanta eſſet apud ipſos religio & ſanctitas ſepulturæ atque mortuorum, quantam aliàs vidimus; haud ſanè divinus Sapiens [1], cùm plagam recenſuit primogenitorum Ægypti in exitu Iſraëlitarum, ſepulturæ privationem omiſit, tamquam non minimam partem eiuſdem cladis; dum ſcripſit: *Similiter omnes uno nomine*

[1] *Sap.* 18.

mortis mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad sepeliendum vivi sufficiebant, quoniam uno momento quæ erat præclarior natio illorum (hoc est, proles honoratior, nempè omnes primogeniti) *exterminata est.* Non quidem quòd ab aliquibus prohiberentur Ægyptij mortuos suos efferre; sed quòd tanta esset mortuorum multitudo, ut non eis efferendis sufficerent superstites; ac præsertim ob singularem conditurae apparatum, ac pompam funeris, quibus Ægyptios vidimus uti consuevisse. Maximéque laudatur ab Herodoto [ll] & Diodoro solers prudentia Asychis Ægyptiorum Regis: qui cùm cerneret vehementer laborari ex ære alieno, ut huic desperato malo efficacissimum remedium adhiberet, legem tulit, ut ita demùm quis pecuniam mutuò acciperet, si cadaver parentis (quod delibutum integrâ compage servabatur) pignori traderet: adiecítque ut penes creditores esset omnis potestas sepulchrorum debitorum; quódque si debitores negligerent æs alienum dissolvere, præter improperium maximum quod ipsos in vitâ consequebatur, eis etiam post mortem nec fas esset non solùm in paternis sed nec aliis quibuscumque monumentis sepeliri; ac ne quidem ipsorum liberi, posteríque sepulturæ usquam mandarentur. Memorátque idem Diodorus solemnem Ægyptiorum morem, ut cùm ipsorum Reges è vitâ excessissent, post necessaria ad funerationem magnificè præparata, dierum ultimo cadaveris arcâ in vestibulo sepulchri expositâ, de legis præscripto gestorum ab eo in vitâ recitatio publica fieret, ubi quisque liberam haberet accusandi potestatem: & siquidem vitam benè peregisset, cum faustis omnium acclamationibus, conspicuâ & solemni funerationis pompâ sepulturæ traderetur: Sin verò malè, cunctis obstrepentibus non solùm sepulturæ solemniis careret, verùm etiam contumeliosam corporis tractationem subiret: eóque effectum esse, ut plurimi eorum Reges, ne in sempiternum huiusmodi ignominiæ dedecus incurrerent, vitam suam ad cultum virtutis, & normam rationis direxerint. Idémque & in privatis personis observari solitum ait; ut scilicèt ad præfinitum diem eo-

[ll] *Herod. lib. 2. Diodor. lib. 1. par. 2. meminitque huius moris Ægyptiorum Lucian. de luct.*

CADAVERA PIGNORI DATA.

REGES MALI SEPULTURA PRIVATI.

rum sepulturæ accedentibus Iudicibus, factâque cuilibet accusandi potestate, siquis institutam malè actæ vitæ accusationem probâsset, latâ per Iudices sententiâ, consuetâ cadaver sepulturâ privaretur. Quemadmodùm & qui vitæ supplicio afficiebantur, alitibus ferísque exponi consuevisse, probat historia [m] principis pistorum Regis Pharaonis, qui post suspendium laceratus est à volucribus.

[m] Gen. 40.

II. DE PERSIS.

Antiquissimis & religiosissimis omnium Ethnicorum Ægyptus, proximos ob eximiam maiestatem florentissimi quondam Imperij *Persas* constituentes; legimus [n] Artoxerxem Mnemonem illorum Regem, captis necatísque Græcorum Ducibus, qui à partibus Cyri fratris adversum se steterant, alitibus illos canibúsque laniandos ignominiosè obiecisse, tam ut hostes, quàm præcipuè in pœnam opis perduellioni fratri latæ. Ac Darij, ultimi Regis antiqui illorum Imperij, propinquos [o], tradito sibi ab Alexandro Magno, Besso qui Darium occiderat, ad supplicium suo arbitratu de illo sumendum; post omnia contumeliarum & cruciatuum genera in eum congesta, corpore tamdem minutatim conciso, particulas huc illuc per campos disiecisse. Quid referam eorumdem Persarum morem, quo interdum facinoris convictos vivos [p] defodiebant? Quid crudelissimum Scaphismi supplicium [q]; quo nocentes duabus scaphulis, sive alveis, toto corpore, exerto tantùm capite, pedibúsque ac manibus, inclusos, vermibus ex tabe & putredine excrementorum scaturientibus miserrimè excruciandos exedendósque, eorúmque ipsorum visceribus quos ipsi ex proprijs visceribus progenuerant, turpissimè sepeliendos tradebant.

[n] Ap. Plut. in Artox.
[o] Diodor. lib. 17.
[p] Herod. lib. 3. & 8.
[q] Plutar. ibid.

CRUDELE SCAPHISMI SUPPLICIUM.

II. SOLLICITUDO PERSARUM PATRIÆ SEPULTURÆ.

Quantum verò patriæ sepulturæ ipsi deferre solerent, ex uno matris & coniugis prædicti Darij exemplo intelligi datur: quæ cùm post eius exercitum cæsum fusúmque ab Alexandro ad Pylas Amanicas, Darium quoque occisum putarent; missúmque ad eas consolandas ab Alexandro Leonatum ex purpuratis suis, non nisi ad occidendas advenire existimarent: provolutæ ad pedes (inquit Curtius [r]) orare cœperunt, ut priusquàm interficerentur,

[r] Lib. 3.

rentur, Darij corpus ipsis *patrio mori sepelire* permitteret; functas supremo in Regem officio, se impigrè morituras. Quibus hoc metu levatis, idem paulò post Alexander, ceu munus eximium & acceptissimum, eidem matri Darij permisit, quos vellet è Persis certamine desideratis patrio more sepelire: illa verò paucos arctâ propinquitate coniunctos pro habitu præsentis fortunæ *humari* iussit; apparatum funerum, quo Persæ suprema officia celebrarent, invidiosum fore existimans, cùm victores haud pretiosè *cremarentur*. Hæc ita Curtius: satis ostendens distinctos fúnere & sepulchro fuisse Persas à Græcis, quamvis omnes idolorum cultores; & utrosque patrium ritum, ubi liberum fuit, externo prætulisse. Quis dubitet, si supremâ valuissent in ceteros auctoritate, eosdem ad suos mores traducere contendisse? Sanè ipsos de quibus agimus Persas, maximam eâ in re curam adhibuisse; cùm de antiquioribus temporibus ex Historiâ Iustini [s] observamus, ubi ex Trogo scribit, Darium Persarum Regem (illum puto filium Hystaspis, patrémque Xerxis) Carthaginiensibus præcepisse *mortuorum corpora terrâ potiùs obruere, quàm cremare*. (Ita enim omninò, non ut vulgati habent codices, *cremare potiùs quàm terrâ obruere*, legendum esse apud Iustinum nullus dubito; quemadmodùm & legit olim Sabellicus [t], illud ipsum Darij præceptum Carthaginiensibus factum recensens. Quid enim mortuorum crematio ad Persas? quos probatissimi antiquarum rerum auctores [u] disertè asserunt, nefas existimâsse cadavera comburere, quòd Ignem ut deum colerent ac venerarentur: ac proinde Cambisi Regi vitio datum, quòd Amasidis Ægyptij Regis effossum cadaver cremari contra patrium Persarum morem iussisset:) tum de posterioribus ex Procopio Cæsariensi, Agathiâ Scholastico, & aliis, res sub Iustiniano Imp. gestas describentibus.

[s] *Lib.19.*

HUMATIO PERSIS OLIM IN USU, NON CREMATIO.

[t] *3. Enn. 9.*

[u] *Herod. lib.3. Laert. in proœm. Strab. lib. 15 &c.*

III.

Quod enim iam superiùs indicavimus, & varij testantur auctores [x], olim quidem ceteros Persas corpora suorum, vel terrâ simpliciter obruere, vel cerâ circumlitos condere consuevisse; Magos autem, quod genus sapien-

[x] *Herod. lib.1. Cic. Tuscul.1. & lib.1. de divin. Strab. lib. 15.*

POSTEA DILANIATIO A CANIBUS ET VOLUCRIBUS.

tum & doctorum habebatur in Persis, non priùs sua humâsse, quàm essent à feris aut volucribus dilaniata; háncque ipsos sepulturam, sicut & plurimas alias gentes, omnium honestissimam iudicâsse: hoc ipsum Magorum scitum universos postmodùm Persas etiam cum fœnore ad cultum religionis, & quidem præcipuum transtulisse; abundè docent quos diximus auctores: dum imprimis Procopius [y] agens de Iberis populis ad portas Caspias habitantibus, Regnóque Persarum subditis, quos Rex Cabades ad fidem Christianam deserendam, cuius religiosissimi observatores erant, compellere conabatur, ait; ipsum Regi eorum Gurgeni cùm alia mandâsse ex Persarum fieri consuetudine, tum imprimis ut mortuos terræ minimè conderent, sed avibus canibúsque Persarum more proiicerent: Quare & Seosem tradit, insignem illorum ducem, damnatum morte fuisse eo prætextu quòd à Persarum religione ac ceremoniis alienus, vana coleret numina, & uxorem paulò antè defunctam contra patrias leges humâsset. Scribitque [z] Menander Protector historicus, qui Mauritio Imp. vixit; in conditionibus pacis inter Iustinianum Imp. & Cosrhoën Persarum Regem initis, hanc interpositam fuisse, ut Christianis in Perside agentibus liceret templa construere, & sacra peragere sicut apud Romanos fieri consueverat; neque cogerentur magicis ceremoniis interesse, aut colere & venerari deos Persarum: *& potestas iis esset mortuos sepulchris condere, & illis ad Christianorum morem iusta persolvere*. Impurissimi porrò Persarum ritûs luculentissimum profert exemplum, & accuratissimam descriptionem Agathias [a]; dum post narratam mortem Mermerois fortissimi Persarum ducis, addit eius corpus ab ipsius familiaribus elatum, extráque oppidum Mechistam ubi diem obierat deportatum, solum ita ac nudum patrio ritu canibus atque avibus carnivoris devorandum exposuisse. Hunc enim sepeliendi morem id temporis observâsse Persas; eáque ratione absumptis carnibus, nuda ossa sparsim per campos proiecta putrescere consuevisse. In capsâ autem aliquâ, vel urnâ condere, aut etiam terrâ obruere, neutiquàm fas;

[y] De Bel. Pers. lib. 1.

[z] In Excerpt. de Legationib.

[a] Lib. 2.

fuisse. Cuicumque verò cadaveri non statim advolâssent aves, vel accurrentes canes non illicò dilaniâssent; illius hominis impuros fuisse creditos mores, animúmque impium, ac dignum planè virum, qui in barathrum detruderetur pravo dæmoni subiiciendus: túncque maximè eum propinquos & amicos deflêsse ut penitùs emortuum, cui nihil melioris spei superesset: qui verò quàm citissimè devoratus fuisset, hunc beatissimum prædicâsse, eiúsque animam demirari consuevisse, ut longè præstantissimam ac Deo similem, & in beatas sedes evolaturam. Quibus similia de Caspiis scripserat anteà Strabo[b]. En cæcam mentem hominum, à verâ Dei cognitione alienorum!

[b] Lib. 11.

IV. CUIQUE GENTI SUÆ LEGES CETERIS PROBATIORES.

Ut non immeritò subdiderit Agathias, gentes singulas eas leges sanctissimas ducere consuevisse & æquissimas, quibus à multo tempore assueverunt; & sicubi quid præter eas fiat, reiectaneum id ipsis & ridiculum videri: Inventas porrò ab hominibus suarum legum rationes & causas alias atque alias; ideóque mirum videri non debere, si & Persæ rituum suorum rationem reddentes, eos etiam quibusvis aliis præstare censerent. Sumptâ fortè hâc ratiocinatione ab Herodoto[c]; qui Cambysen Persarum Regem insaniæ accusans, quòd leges ac ritus Ægyptiorum ludibrio haberet; *Nam siquis* (inquit) *universis hominibus præbeas facultatem optimas ex omnibus leges eligendi, profectò suas unusquisque eligeret. Quod tum aliis coniecturis licet colligere, tum etiam hâc, quod Darius accitos qui in suâ ditione erant Græcos percontatus, quantâ pecuniâ vellent defunctis parentibus vesci, illísque negantibus ullâ se pecuniâ hoc esse facturos; Darius dehinc Græcis præsentibus interrogans eos Indos qui Callatiæ nominantur, & vescuntur parentibus, quantum pecuniarum accipere vellent ut patres defunctos igne comburerent, Indi vehementer reclamantes meliora illum ominari iusserunt.* Fuisséque omnes antiquos maximè in funeribus paternarum consuetudinum tenacissimos, intelligitur etiam ex Virgilio[d]; dum post debellatum ab Æneâ Mezentium, inducit diversas quæ aderant nationes corpora quasque suorum more ex-

[c] Lib. 3.

[d] Æn. 11.

tulisse patrum: & ex Livio [e], cùm scribit, post necem Gracchi Proconsulis, funere ei facto ab Annibale, armatum exercitum decurrisse motibus armorum & corporum suæ cuique genti assuetis. Quare & voluit Socrates apud Platonem in Phædone, sepeliri ritu patrio, & ut legibus esset consentaneum. Ex veteri nempè proverbio [f], νόμος καὶ χώρα, *Lex & regio*: quo significabatur, quamque gentem legibus uti suis. Ideóq; observavit Augustinus [ff], non frustra Evangelistam Ioannem dicere voluisse, Christum sepultum esse, *sicut mos erat Iudæis sepelire*. Ita quippe admonuisse, in huiusmodi officiis quæ mortuis exhibentur, morem cuiusque gentis esse servandum. Quæ quidem, qualiacumque ea sint, religioni sepulturæ non magis obesse certum est, quàm obsunt ceteræ quæcumque cuiusvis alterius rei quantumlibèt diversæ consuetudines, iustitiæ ipsi ac rationi ad quam illæ referri existimantur: quamvis eâ varietate innumerabilium consuetudinum (sicut idem notavit Augustinus [g]) commoti quidam, putaverint nullam esse iustitiam per se ipsam, sed unicuique genti consuetudinem suam iustam videri, quæ cùm sit diversa omnibus gentibus, debeat autem incommutabilis manere iustitia, fieri manifestũ nullam usquã esse iustitiam. quos idem Sanctus redarguit ac confutat.

VIS CONSUETUDINIS.

Cùm alioqui tanta sit vis Consuetudinis, ut non dubitaverit Pindarus [h] asserere, eam omnium esse Regem. Nec absre olim Cretenses [i], cùm acerbissimâ execratione adversus eos quos vehementer oderant uti vellent, optabãt ut malâ consuetudine uterentur: nullâ hâc eis visâ ad excidium properandum efficaciori imprecatione; quòd qui in abusum semel lapsi sunt, difficillimè ad probatos mores reduci queant, præsertim postquàm vim naturæ per vetustatem cõsuetudo obtinuit. Adeò ut & Cleon Atheniensis apud Thucydidem [k] asserere ausus sit, illam Rempublicam, quæ malis, sed firmis & immotis legibus utitur, præstantiorem esse eâ quæ bonis sed mobilibus.

V.

QUO TEMPORE VIGUERIT DILANIATIO APUD PERSAS.

Ceterùm huiusmodi dilaniationem fuisse omnibus Persis antiquissimam sepulturæ consuetudinem, subdubitavit olim Herodotus [l]: quam pluribus sæculis inter-

e *Lib. 25.*
f *Ap. Zenodot cent. 5. proverb. 25. Diog. cent. 6. prov. 77. Suid. verb. νόμος.*
ff *Tract. 120. in Ioan.*
g *1. de doctr. Christ. 14.*
h *Ap. Herod. lib. 3.*
i *Val. Max. lib. 7. cap. 2. in fi.*
k *Lib. 3.*
l *Lib. 1.*

missam, & à solis Magis retentam, rursùm promiscuè usurp tam esse crediderim, post regnum illud tempore Alexandri Mamææ Romanorum Imperatoris, post varias alternationes atque vicissitudines, à Parthis reductum ad Persas per Artaxarem, quem alij Artaxerxem vocant. quando Magis arrogantioribus factis, quòd Artaxares eorum disciplinæ maximè addictus esset, (cùm & alioqui, ut scribit Cicero [l], haud quisquam Rex Persarum posset esse, qui non antè magorum disciplinam scientiámque percepisset: & ut ait S. Hieronymus [m], ad artis eorum scientiam Reges & Principes omnia facerent:) atque in tantam crescentibus auctoritatem [n], ut non solùm publica omnia ipsorum consiliis administrarentur, verùm etiam unicuique privatim arbitrium suum interponerent; neque quicquam omninò Persis videretur esse legitimum, quod non à Mago stabilitum fuisset: facile fuit, vel communem antiquum sepulturæ ritum, (si quidem talis fuit) in pristinum usum reducere; vel abolito pristino, suum ipsorum Magorum peculiarem Persis omnibus persuadere: ídque eò faciliùs quòd nemo ignoraret sepulturam ad religionem pertinere; esséntque & Magi sacerdotes, ac proinde legitimi rerum sacrarum administratores, rituúmque religiosorum designatores. Nisi malis ad iustam divini numinis vindictam, eius ferini ritûs causam referre; quam & Agathias insinuat: nimirùm ut quòd posterioribus temporibus Persæ, contra antiquos eorumdem mores, iura naturæ violare cœpissent in congressibus, & connubiis cum propriis matribus; etiam Terra cõmunis omnium parens tantum nefas execrata, dedignaretur eiusmodi monstra intra sua viscera post mortem recipere, canibúsque lanianda regereret. Quod & memorabili exemplo idem Agathias confirmat; de quo nos aliàs [o] opportuniùs. Hæc enim iam de iis sufficiant.

[l] De divin. lib. 1.

[m] In Dan. 2.

[n] Vid. Agath. lib. 2.

[o] Infrà lib. 3.

VI.

Et quod ceteros populos attinet; ut omittam illa repetere quæ primo tractatu relata sunt de multiplicibus aliis sepeliendi generibus, quibus barbaris licèt ut plurimùm & immanibus, honestissimis tamen atque sanctissimis, ac

propterea ceteris anteponendis existimatis, diversæ gentes diversè ab aliis usæ sunt; quæ pariter ad distinctionem sepulturæ pertinere noscuntur: sicuti & quæ sepulturam commendantes promiscuè exempla retulimus de patriis & maiorum sepulchris à morientibus concupitis; quippe qui non sepulturam simpliciter, sed eam in suis suorúmque sepulchris consequi desiderarent: (Quod sanè tam Sinis hodiéque commendationi esse traditur p, ut si aliquem extra patriam interire contigerit, is cui funus curandum incumbit, nullum non lapidem moveat, nec ulli sumptui parcat, ad cadaver in patriam remittendum, aut revehendum, quò in avitum tumulum inferatur; quem familia quælibet peculiarem habet.) & ut non superfluo me atque ingrato labore fatigem, in perquirendis aliis singularum Gentium Ethnicarum sepulchrorum ab invicem distinctionibus; cùm iam illas omnes sub unicâ Religione comprehenderim; & de Religionibus, non nisi ut aliquâ earum generali appellatione designantur, tractare proposuerim: satfuerit solis insistere, ut iam cœpi, celebrioribus & politioribus populis, ac præcipuè Græcis ac Romanis antiquis; quos instar omnium futuros, & satis supérque rem probaturos, fidenter spondeo, in méque recipio.

p Trigaut. de reb. Sin. lib. 1. cap. 7.

CAPVT IV.

De Propriis GRÆCORUM *&* ROMANORUM *Sepulchris: & illorum denegatione indignis.*

I. AC primùm magnam fuisse iis populis Funerum, & Exequiarum, Sepulchrorúmque differentiam; quæ apparatu, honore, sumptibus, titulis, atque ornamentis, non religione discriminabantur ab invicem: ínque iis alia publica, alia privata: quædam insignia & amplissima, ac pro diversitate honorum, aut Magistratuum quos defuncti gessissent, variis nominibus insignita: alia verò item pro dignitate aut fortunis moderata, aut vulgaria

vel humilia, plebeia vel promiscua: feretrorum item, locorúmque, pyrarum, urnarum, aliarúmque eiusmodi rerum ad funera & sepulturam pertinentium, pro qualitate defunctorum, magnitudinis, pretij, materię, operis discrimen. hæc cuncta alij [q] pluribus exemplis, & auctoritatibus demonstrârunt; ac nos etiam quantum ad sepulturæ commendationem pertinuit, superiori tractatu delibavimus. Neque sanè id persuasu difficile; cùm hodiéque cernamus in celebrandis exequiis, & efferendis defunctis, ac extruendis monumentis, designandísque aliis sepulturæ locis, ubique rationem haberi dignitatis, & conditionis, facultatúmque, necnon ætatis, & sexûs; atque etiam causæ mortis; (nam sicut aliquos probioris vitæ, venerationis ergô, seorsùm ab aliis, tamquam sanctiora cadavera sepeliri; ita è contrario abominationis causâ, sontes quibus sepultura concedebatur, æquè ac hodie, loco separato, ac plerumque profano, terræ mandari solitos constat:) ac denique ultimæ defunctorum voluntatis.

[q] *Guichard. Kirchman. Guther. &c.*

II. GRÆCORUM PROPRIA SEPULCHRA.

Iam quod ad propria, & maiorum sepulchra pertinet; habuisse Græcos omnes sepulchra vel singulis propria, vel familiis communia, quibus nefas esset alienos inferri; in eorum scriptis [r] nusquam non occurrit. At memorandum imprimis quod refert Thucydides [s]; in sævissimâ illâ pestilentiâ Atheniensi, quam elegantissimè describit, morbo supra modum grassante, hominibúsque non habentibus quid agerent, aut quò se verterent; sacra ac profana æquè negligi cœpisse, omnésque leges ac ritus sepulturæ & funerum pariter conturbari, dum unusquisque suum cadaver sepeliebat ut poterat, & multi propter crebram domesticorum stragem, rerum ad funus & sepulturam necessariarum penuriâ, suorum cadavera in alienis sepulchris impudenter sepelire non dubitabant: aliis quidem in alienos rogos, antevertentibus illos qui eos extruxerant, sua cadavera imponentibus, ignéq; subiecto eos accendentibus; aliis autem, dum alterius cadaver arderet, sua superiacientibus. Quod durioribus suis versibus (ut ferebat illa ætas) sic Lucretius [t] expressit:

[r] *Demosth. cont. Eubulid. & cont. Macart. Plut. in Solon. Pausan. passim. Cic lib. 2. de legib. &c.*

[s] *Lib. 2.*

[t] *Lib. 6. in fine*

Nec mos ille sepulturæ remanebat in urbe,
Ut pius hic populus semper consuèrat humari.
Perturbatus enim totus trepidabat, & unus
Quisque suum pro re consortem mœstus humabat;
Multáque vis subita, & paupertas horrida suasit.
Namque suos consanguineos aliena rogorum
Insuper extructa ingenti clamore locabant,
Subdebántque faces, multo cum sanguine sæpè
Rixantes potiùs quàm corpora desererentur.

Hósque imitatus Ovidius [u] in suâ pestis sub Æaco descriptione:

[u] *Lib. 7. metamor.*

Corpora missa neci nullis de more feruntur
Funeribus; neque enim capiebant funera portæ:
Aut inhumata premunt terras, aut dantur in altos
Indotata rogos; & iam reverentia nulla est.
Déque rogis pugnant, aliénisque ignibus ardent.

Ac Seneca [x] de Thebanâ pestilentiâ:

[x] *In Oedip. act. 1.*

Tum propria flammis corpora alienis cremant:
Diripitur ignis; nullus est miseris pudor:
Non ossa tumuli sancta discreti tegunt:
Arsisse satis est.

MOS SEPELIENDI ATHENIENSIUM.

Et alia eiusmodi apud alios. Nec omittendum circa diversum quorumdam Græciæ populorum humandi ritum, quod scribit Plutarchus [y], Athenienses & Megarenses dominium sibi quosque insulæ Salamines ex patrio sepeliendi more vendicare contendisse; dum Megarenses illam à suis maioribus possessam asserebant, quòd in eâ sepulti, terni quaternique uno loculo, Megarensium more, non Atheniensium singuli singulis reperirentur: Solon autem ab Atheniensibus, quòd iidem mortui Atheniensium ritu in occasum obversi, non Megarensium in Orientem conditi essent. Quamvis eamdem historiam recensens Diogenes Laërtius in Solone, contrarium disertè testetur: nempè Atheniensibus morem fuisse cadavera ad Orientem versa sepelire: habétque astipulatorem Scholiastem [z] Thucydidis; sicuti & Plutarchus Ælianum [a]: quorum alteros errare certum est. Ceterùm & in effossione cadaverum insulæ Deli, agnitos fuisse

[y] *In Solon.*
[z] *In lib. 1.*
[a] *5. Var. 14. & lib. 7. c. 19.*

fuisse Cares ex modo quo suos sepelire consuevissent, idem Thucydides [b] narrat. Quinimmò & ipsas quoque sectas Philosophorum, proprios habuisse & unicuique peculiares exequiarum ritus; ex eodem Plutarcho [c] intelligitur, dum agit de Pythagoricorum funeralibus ceremoniis, quas qui non consequerentur, non videbantur sibi beatissimum finem accepisse. Post pugnam verò ad Platæas, quâ debellatum est cum Mardonio & Persis, (ut refert Herodotus [d]) Græci cæsos separatim quisque suos tumulârunt: At Lacedæmonij tribus sepulchris effectis, in eorum uno Sacerdotes, in altero reliquos Spartiatas, in tertio servos humaverunt.

[b] *Lib. 1.*
[c] *De Socr. dæm.*
[d] *Lib. 9.*

III. ROMANORUM PROPRIA SEPULCHRA.

Romanis itidem sepulchra fuisse vel propria singulis, vel communia pluribus, notum. Ac præter Communia plebis illa atque servorum, quæ priori libro attigimus, frequentissima sunt apud eorum Iurisconsultos [e] Sepulchra Familiaria & Hereditaria. Illa, quæ sibi quis familiæque suæ constituit: ista, quæ quis sibi heredibúsque suis, vel quæ paterfamiliâs iure hereditario acquisivit. In quæ alienum funus inferre vetant passim leges. Videásque omnibus fermè antiquis Lapidibus, & Inscriptionibus sepulchralibus has literas insculptas: H. M. H. S. id est, Hoc monumentum heredes sequitur: vel H. M. H. N. S. id est, non sequitur: vel etiam H. M. H. E. N. S. id est, heredes exteros non sequitur: secundùm personas, quas vel inferri in sua monumenta, vel ab eis excludi volebant: quas & interdum nominatim exprimebant: alias generatim, *sibi, & coniugi, & liberis, ac libertis, libertabúsque, posterísque eorum*, illud monumentum fecisse apponebant: quorum omnium sunt innumera exempla [f] ex antiquis Inscriptionibus. In quibus & aliquos invenias adeò consortij & communitatis sepulchri impatientes, ut etiam execrationes, mulctásque monumentis suis inciderent, si quis alius inferretur. Ut in istâ [g], *In H. S. sive servus, sive libertus, sive liber, inferatur nemo. Secùs qui fecerit, mitem Isidem iratam sentiat, & suorum ossa eruta atque dispersa videat.* Et in aliâ [h]: *In quem induxi sarcophagum, dum receptum fuerit corpus meum,*

[e] *D. & C. tit. de relig. & de Sepul. viol. & alibi passim. Vide Brisson. Select. antiq. Iur. lib. 2. cap. 14.*
[f] *Vid. plurima ap. Gruter. in Inscript. Indic. cap. 17.*
[g] *Grut. pag. 304. num. 1.*
[h] *Ib. 810. 10.*

nulli umquam liceat accedere, neque vexare ossa mea, non filius, neque nepotes, neque de affinitate ullus. Si quis autem infringere, vel aperire ausus fuerit, is tum inferet pœnæ nomine
[i] Id. 672. 3. *Reipublicæ folles mille.* Et [i]: *Siquis hoc monumentum cum ædificio universo vendere, vel donare voluerit, vel corpus alienum invehere; dabit pœnæ nomine arcæ Pontiff. HS. XX.* præter alias eiusmodi quamplurimas, ceteráſque quibus ſepulchra *mutare, fiduciare, locare, mancipare, pignori obligare*, alióve quovis modo de nomine familiæ *alienare*, gravis mulctæ appoſitione vetitum reperitur. Itémque, quibus omninò prohibebatur, ne qui odio defunctis fuiſſent, ad eorum monumenta accedere præſumerent:
[ii] 844. 4. 862. 5. qualis eſt illa Romana [ii]: *M. Æmil. Artema fecit M. Licinio Succeſſo fratri benè merenti, & Cæciliæ Modeſtæ coniugi ſuæ; & ſibi, & ſuis libertis libertabúſque poſteriſque eorum: excepto Hermete lib. quem veto propter delicta ſua, aditum, ambitum, ne ullum acceſſum habeat in hoc monumento.* In aliâ: *exceptâ Secundinâ, libertâ impiâ adverſus Cæcilianum patronum ſuum.* & alia ſimilia. Quod & Græcis conſuetum, ex Sophocle [k] intelligitur; apud quem Teucer
[k] In Aiac. Maſtig. ad fi. Ulyſſem rogat, ne ſe immiſceat funeri Aiacis, aut ſepulchrum eius attingat; quòd id grave foret defuncto ob inimicitias quæ inter ipſos interceſſiſſent olim. Et
[l] Id. in Electr. Electra [l] ſororem dehortatur, inferias à matre ad ſepulchrum Agamemnonis quem occiderat miſſas aſportare; quòd non fas eſſet ac pium ab inimicâ muliere patris ſepulcro libationes fieri.

IV. Sed ut Romanorum iura de ſepulchris Familiaribus & Hereditariis breviter explicemus; Familiaria [m] ad adgnatos pertinebant, eóſque qui in familiâ erant, eorúmque ſucceſſores; licèt heredes non eſſent; (quamdiù tamen in familiâ permanerent, non autem ſi per adrogationem tranſirent in alienam familiam: quippe nolebant ſepulchra de familiâ exire:) ad proximos verò cognatos, affinéſque, non aliter quàm ſi heredes extitiſſent. Familiæ [n] namque appellatione communi iure veniebant omnes adgnati, qui ſub unius poteſtate fuiſſent ex eâdem domo & gente proditi: in quam & libertos humanitatis

[m] L. ius famil. 5. l. ius ſepul. 13. C. de relig.

FAMILIARIA SEPULCHRA ROMANORUM.

[n] L. pronunciatio. 195. D. de verb. ſig. §.

ratione adſciſci moris erat: ita tamen ut ius ſepulchri in patronorum monumentis non [o] haberent, niſi eſſent eis heredes; quantumvis patroni monumentis ſuis inſcripſiſſent, ſepulchrum ſe feciſſe *ſibi, libertiſque ſuis*. Hereditaria verò ſepulchra patebant [p] liberis utriuſque ſexûs, aliiſque heredibus quibuſcumque; etiamſi ex minimâ parte heredes aliquando fuiſſent ex teſtamento, vel ab inteſtato, eorumdémque ſucceſſoribus; atque inſuper bonorum poſſeſſoribus, iiſque quibus libertatis conſervandæ causâ bona addicta fuiſſent: niſi fortè aliter iuſtâ causâ aliquem teſtator privatim excluſiſſet [q]; vel omninò caviſſet [r], ne quis eò inferretur; cuius voluntatem ſervari oportere, Iura ſanxerunt. Ut præter illa quæ diximus de Inſcriptionibus, ſunt plurima alia de his exempla apud antiquos ſcriptores. Et illud maximè illuſtre apud Suetonium [s]; quo Auguſtus Imp. patientiùs mortem quàm dedecora ſuorum ferens, cùm Iuliam filiam ſuam ſtupris diffamatam, (quæ & adeò laſciviæ progreſſa fuerat, ut in ipſo etiam foro & roſtris nocturnas comeſſationes & compotationes cum amaſiis ageret) in Pandatariam inſulam primò [t], poſteà in oppidum Rheginorum relegâſſet; teſtamento disertè cavit, ne in ſuo ſepulchro humaretur; quamvis eam donatione, ac legato dignaretur: hoc quidem indulgens intuitu ſanguinis, illud verò prohibens obſervatione religionis. Qui & pariter Iuliam neptem ſuam prædictæ Iuliæ filiam, æquè adulterij damnatam, proiectámque [u] in inſulam Trimerum, eodem teſtamento vetuit [x] ſepulchro ſuo inferri. Aliúdque eiuſdem generis longè antiquius apud Dionyſium [y], Horatij Trigeminorum parentis: qui, cùm reſiduus è tribus filius, poſt triplicem illam celeberrimam de Trigeminis Curiatiis Albanis victoriam, quâ & fratres vindicavit, & exorientem Romanæ Reipublicæ ſtatum conſervavit ſimul & amplificavit, coronis victoribus redimitus domum cum cetero exercitu repetens, ſororem ſuam virginem, quæ deſponſa uni ex Curiatiis eius necem impotentiùs publicè flebat, & victoriam procaciùs fratri exprobrabat, eodem gladió, quo patriæ rem

[o] L. 6. D. & C. de relig.

HEREDITARIA.

[p] L. vel quod. 6. l. ſiquis ſusc. 33. D de relig. l. quia per ride. 42. D. ad SC. Trebel. l. 4. §. is autem cui. D. de fideicom. libert.

[q] d. l. 6. D. de relig.

[r] L. 3. §. ſiquis in heredit. D. de ſep. viol.

[s] In Octav. cap. 65. Dio lib. 56.

[t] Tac. Annal. 1.

INDIGNI SEPULTURA FAMILIÆ.

[u] Tac. Annal. 6.

[x] Suet. in Octav. cap. ult.

[y] Lib. 3.

fortissimè ac felicissimè gesserat, interemisset: non solùm id pater iniquo animo non tulit, verùm etiam filium, hoc nomine reum apud Regem Tullum Populúmque Romanum actum, defendit; ac filiæ cadaver, quòd ipsa sese indignam eo facto familiâ suâ præbuisset, nec domum referri, nec maiorum monumentis inferri permisit, nec exequiis funebrive ornatu, aut ceteris dignatus est solemnibus: sed proiectam ubi confossa erat, prætereuntes lapidibus & terrâ ingestâ obruerunt, ut propinquorum curâ destitutum cadaver. Ac de Græcis apud Ælianum [z] his non absimile, sed longè virilius, quantumvis mulierum, exemplum: (Sed qui Lacænas mulieres quorumvis aliorum populorum viris inferiores virtute dixerit, næ is imperitus illarum facinorum, aut notionis virtutis expers perhibebitur:) quo solebant Spartanæ feminæ, cùm audissent filios suos in pugnâ cecidisse, vulnera inspecturæ abire, & si plura adverso quàm averso corpore invenirent, vultu gravi & hilari in maiorum avita monumenta deferre: sin averso, clandestinâ fugâ præ pudore abscedentes, vel mortuos deserere in promiscuo ceterorum sepulchro condendos, vel furtim surreptos nullo exequiarum solemni in domestica sepulchra ignominiosè deportare. Quem non Laconum superstitum huiusmodi infamia ad mortem fortiter pro patriâ oppetendam excitâsset; si non & hoc fuisset iis, ex præclarissimæ educationis instituto, proprium ac familiare?

[z] 12. Var. 21.

VIRTUS MULIERUM LACÆNARUM.

V. SUMMUS LUCTUS, PRIVARI SEPULCHRO PATRIO.

Quantum verò solatium mortis haberetur, si in suis quique vel maiorum monumentis sepelirentur, ac cõtrà quàm molestum iis privari; præter exempla illa tam Græcorum quàm Romanorum, quæ superiori libro de sepulchris avitis, déque patriis variisque sepeliendi ritibus, series narrationis diversis locis inserere compulit: satis ille ostendit, qui epitaphium [a] apposuit Leonidæ Tarentino; dum ita dolentem inducit:

Procul ab Italia iaceo terrâ, atque Tarento
Patriâ: hoc verò mihi acerbius morte.

Et apud Euripidem [b] Argivæ matres; cùm Thesei deprecãtur auxilium, adversus Creontẽ Thebanorum Regem,

[a] Anthol. l. 3. c. 25. epigr. 75.

[b] In Supplic. & Phœniss.

ut filios suos in patriã sepeliendos reducere possint. Ipséque Polynices qui eos duxerat, post certamen cum fratre initum, ad hoc tantùm superstes describitur, ut à matre sororéque sepulturam in patriâ terrâ deprecaretur, postquàm regnum perdidisset. Necnon Hector apud Homerum [c]; dum Græcos provocans ad singulare certa- [c] *Iliad. η.*
men, hæc pacta teste Iove constituit, ut si Græcus ipsum interficeret, arma sibi sumeret, corpus autem domum remitteret à Troianis patrio more cremandum; sin verò Græcum ipse interimeret, arma deferret Troiam, cadaver autem Græcis redderet sepeliendum cum suis. Ipséque apud eumdem auctorem [d] Iupiter; cùm iubet Apol- [d] *Iliad. π.*
linem Sarpedonis corpus occisum à Patroclo, ab Ilio deferri in Lyciam, ubi ipsum *sepelirent fratres, amicique*. Laërtes item pater Ulyssis, cùm filium, quem periisse putabat, alloquens, *infortunatum* [e] appellat, quòd *procul ab* [e] *Odyss. ω.*
amicis & patriâ terrâ, vel in mari à piscibus, vel in terrâ à feris aut avibus devoratus fuisset; nec eius sepulturam parentes uxórque curare potuissent. Et Patrocli [f] um- [f] *Iliad. ψ.*
bra Achillem rogat, ut corpus suum eodem sepulchro condatur, quo Achilles ponendus foret; ut quos vita societate iunxerat, mors quæ alioqui omnia separat, eosdem non disiungeret. Apud Sophoclem Electra Agamemnonis filia; dum Orestem fratrem, quem peregrè extinctum existimabat, lugens ait:

Utinam priùs hanc vitam reliquisses,
Quàm ego te in terram peregrinam ablegarem.
Si enim illo tempore mortuus esses,
Communi cum patre sepulchro potitus fuisses:
Nunc exul in peregrinâ terrâ,
Malè periisti, procul à tuâ sorore:
Neque ego misera te charis manibus
Lavi, neque in ignem
Iuxta morem levavi miserum cadaver:
Sed hominum peregrinorũ manibus compositus es miser.

Ut enim ait Ovidius [g]:

Molliùs ossa cubant manibus tumulata suorum.

Qui & ideò optabat [h] periisse in patriâ, antequàm infelix [h] *4. Trist. 3.*

suâ lasciviâ, in exilium Ponticum mitteretur: quòd

——— cinis in tumulo positus iacuisset avito:
Tactáque nascenti corpus haberet humus.

[i] 3. Trist. 3. *Quantum [i] erat, ô magni perituro parcere divi:*
Ut saltem patriâ contumularer humo.
Tam procul ignotis igitur moriemur in oris?
Et fient ipso tristia fata loco?
Et sine funeribus caput hoc, sine honore sepulchri
Indeploratum barbara terra teget?

Uxorémque Romæ residem deprecatur:

Ossa tamen facito parvâ referantur in urnâ:
Sic ego non etiam mortuus exul ero.
Non vetat hoc quisquam.

[k] Ep. 10. Quomodò apud eumdem [k] infelix Ariadnæ derelicta à Theseo in insulâ desertâ:

Ergo nec lachrymas matris moritura videbo?
Nec mea qui digitis lumina condat erit?
Spiritus infelix peregrinas ibit in auras:
Nec positos artus unget amica manus.

[l] Id. ep. 11. Et Canace [l] ad Fratrem Macareum:

Tu tamen ô frustrà miseræ sperate sorori,
Sparsa precor nati collige membra tui.
Et refer ad matrem, socióque impone sepulchro:
Urnáque nos habeat quamlibèt arcta duos.

[m] Æn. 10. in fi. Eâdémque ratione apud Virgilium [m] Mezentius ab Æneâ letiferum ictum accepturus, unum hoc rogat, ut se consortem nati Lausi, quem paulò antè idem Æneas interemerat, concederet sepulchro. Ac Nisus [n] cupiebat *mandari humo solitâ*. Et Turnus [o] corpus suum post necem *reddi suis*. Et mater [p] Euriali, eius necem inconsolabiliter lugens:

[n] Æn. 9. [o] Æn. 12. [p] Æn. 9.

Heu, terrâ ignotâ canibus data præda Latinis,
Alitibúsque iaces: nec te tua funera mater
Produxi, pressíve oculos, aut vulnera lavi.

Fortè ex Ennio (ut alia plurima) qui similem luctum in nece Cresphontis, ac filiorum eius sic expresserat:

Neque terram inicere, neque cruenta
Convestire mihi corpora licuit:

Neque misere lavère lachrymæ salsum sanguinem.

Sic & Catullus [q] de fratre apud Troiam mortuo:

Quem nunc tam longè non inter nota sepulchra,
Nec prope cognatos compositum cineres:
Sed Troia obscœna, Troia infelice sepultum
Detinet à nostro terra aliena solo.

Et Propertius [r] maximè in naufragio Pœti dolet;

Quòd mater non iusta pia dare debita terra,
Nec pote cognatos inter humare rogos.

Ac Valerius [s] Maximus illud imprimis ingratis Atheniensibus improperat, quòd præstantissimos suos duces extra patriam humari compulerint. Et in Exscerptis è Senecâ, inter gravissimos omnium casus, peregrina mors recensetur. Et apud Quintilianum [t], dives ille, *Miser ego, nec ad cadavera* (filiorum scilicet) *accessi, non in sepulcra maiorum meis manibus intuli.* Aliáque propemodùm infinita Græcorum Latinorúmque testimonia, exempláque eorum qui maximè concupierunt tam se quàm suos iisdem cum maioribus, aut propinquis, vel coniugibus, aut amicis, aliísve caris, pro necessitudinis, aut familiaritatis conditione, sepulchris condi; & summæ infelicitatis loco habuerunt iis privari. Unde & frequentia illa verba in antiquis Inscriptionibus sepulchralibus, *Parentes infelicissimi*, & *Filio infelicissimo*, non solùm ob mœrorem de morte, verùm & de sepulturâ peregrinâ.

[q] Carm. ad Manl.
[r] 3. eleg. 5.
[s] Lib. 2. cap. 5.
[t] Declam. 11.

VI.

Indéque idem Valerius [u] *optabilius* esse dixit *in patriâ mori*, quàm alibi. Et Cicero [x], cùm oppetenda mors esset, domi atque in patriâ maluit, quàm in externis atque alienis locis. *Magnum [y] enim esse, eadem habere monumenta maiorum, iisdem uti sacris, sepulchra habere communia.* Quod egregiè pariter assertum reperitur in vetusto [z] epigrammate sepulchrali:

Monumentum absolvi hoc impensâ meâ,
Amica tellus ut det hospitium ossibus:
Quod omnes rogant, sed felices impetrant.
Nam quid egregium, quídve cupiendum est magis,
Quam ubi lucem libertatis acceperis,
Lapsum senectæ spiritum ibi deponere?

[u] Lib. 5. cap. 1. in fi.
[x] 4. ep. 6.
[y] Offic. 2.
[z] Lib. 1. antiq. Epigram.

Quod innocentiæ signum est maximum.

Inter præcipua quoque, cur Patritij, divitésque Romani agrariam legem admittere recusârunt, fuit [a] quòd impium ducerent, maiorum suorum monumenta, iis agris sita quos relinquere compellerentur, ad alienos transire. Unde Inscriptio [b] Hispaniensis: *Vos filij in viventem parentem pientissimi, in mortuum magis pij, paternos cineres ex Hispaniâ exportate, communique sepulchro condite, quò avitis cineribus immixti sacro gaudeant anniversario parentari.* Idémque Cicero in Oratione pro Sexto Roscio Amerino, dum rem omnium miserrimam indicare voluit, ait de locupletissimo ipsius patrimonio nefarium prædonem T. Roscium ne iter quidem ei ad sepulchrum patrium reliquisse. Imitatus forsitan Æschinem; qui eò maximè in Timarchum invectus est, quòd cùm videns mater eius ipsum omne patrimonium effundere, orâsset ne fundum quemdam alienaret, ut saltem haberet ubi mortua sepeliri posset, nihilominùs Timarchus ne ipsi quidem prædio pepercisset. Similis Cthesippo [c] Chabriæ filio; quem ferunt adeò fuisse luxu corruptum, ut patrij monumenti, quod mille drachmarum impensâ Athenienses extruxerant, lapides divenderet, ne deesset ad conquirendas voluptates pecunia. Unde ex dicteriis à poëtis & oratoribus impetitus est, & maiori ignominiâ posteris notus, quàm ferè pater gloriâ. Estque pariter Ennodij Dictio [d] in aleatorem, qui agrum in quo parentes eius erant positi, pro ludi pretio dederat: ubi & præclara de reverentiâ maiorum sepulchris debitâ.

[a] Appian. lib. 1. de bel. civil.
[b] Ap. Kirchm. lib. 3. cap. 13.
[c] Athen. lib. 4. cap. 18.
[d] Dict. 19.

VII. EXTRA GENTEM INFERRI NEFAS.

Demùm quòd *tantam* [e] *sepulchrorum esse religionem* censerent, *ut extra sacra, & gentem inferri fas negarent esse*; inde contigit, ut etiam qui peregrè morerentur, illorum corpora, aut ossa, vel cineres, in patriam referri consuevisse, præter iam allata exempla, innumeris liceat aliis apud antiquos utriusque gentis, necnon etiam ceterarum nationum scriptores intueri: quibus quòd passim occurrant coacervandis supersedeo. Hoc tamen non omittens, quod ex Epicado apud Macrobium [f] legitur; Herculem occiso Geryone, cùm victor per Italiam armenta duxisset,

[e] Cic. lib. 2. de leg.
[f] 1. Saturnal. 11.

duxisset, ponte, qui pòst Sublicius dictus est, ad tempus instructo, hominum simulacra pro numero sociorum quos casu peregrinationis amiserat, in fluvium demersisse, ut aquâ secundâ in mare devecta, pro corporibus defunctorum velut patriis sedibus referrentur. Illúdque pariter adnotans; etiam inter exempla quæ innuimus, non pauca reperiri eorum, qui oraculo Apollinis è peregrinis tumulis in patrios reportari sunt iussi: veluti apud Pausaniam [ff], Theseus ab insulâ Scyro Athenas; Orestes ex Tegeâ, & filius eius Tisamenus ex Hellice Lacedæmonem; Aristomenes è Rhodo Messenen. Itémque plurimos eorum quos in alienâ terrâ mori contigisset, summoperè curâsse, ut saltem Cenotaphia sibi in patriâ erigerentur; ut constat ex testimoniis, quæ aliâ occasione protuli libro primo. Quare & Augustus [g] publicato Marci Antonij testamento, illud præcipuè in eo exagitavit, quòd præscripsisset corpus suum, etiamsi Romæ decessisset, Alexandriam mitti ad Cleopatram: unde magna omnium adversus eum indignatio concitata est. quamvis iusta visa sit Scipionis [h] Africani vindicta de ingratâ patriâ, cùm voluntarij exilij sui acerbitatem non tacitus ad inferos tulit, sepulchro suo inscribi iubendo, *Ingrata patria, ne ossa quidem mea habes*: qui cineres ei suos negavit, quam in cineres collabi passus non fuerat. Longè secùs quàm sapientissimus Ulysses [i]; qui Ithacam suam ut videret, dicitur immortalitatem repudiâsse.

ff *Lib. 1. 3. 4. 7.*

g *Ap. Plut. in Anton. Dio lib. 50.*

h *Valer. lib. 5. cap. 1.*

i *Apud Hom. Odyss. 5.*

VIII. MILITUM CORPORA IN PATRIAM RELATA.

Quinimmò & ipsos Milites in bello cæsos referri in patriam solitos, (quod longè fuit operosius) imprimis antiquissimus Homerus [k] demonstrat; dum Nestorem introducit, post prælium cum Troianis initum, suadentem ceteris Græcorum ducibus, suorum comburere cadavera, tumulúmque unum facere communem, & indiscretum, cúmque munire adversus Troianorum insultus; *ut ossa* (inquit) *filiis quisque domum ducat, quando iterùm revertemur in patriam terram*. Húncque militarem morem Atheniensibus religiosè servatum, docens nos præ aliis Thucydides [l], simúlque ritum sepulturæ describens; ait solitos illos fuisse triduum antequàm funus efferretur,

k *Iliad. 7.*

l *Lib. 2.*

tabernaculum facere, & sub eo defunctorum ossa omnibus spectanda proponere, ut quilibet suis munera funebria & inferias afferrent: die verò quarto plaustris arcas cupressinas, ex singulis tribubus singulas, & in eis militum singularum tribuum ossa vehi consuevisse: quorum verò corpora inter alia cæsorum cadavera reperiri non potuissent, eorum causâ subsequi solitum lectum stratum: elatóque cunctis comitantibus funere, ossa sepeliri consuevisse in publico monumento, quod erat in pulcherrimis civitatis suburbiis; & defunctos oratione funebri celebrari, quæ complecteretur eorum qui in prælio pro patriâ pugnantes ceciderant laudationem, reliquorum civium ad virtutem sectandam adhortationem, & illorum qui defunctis necessarij erant consolationem. Qualem tunc Pericles habuit [m], cùm primi qui Bello Peloponesiaco cecidissent, patrio ritu publicè humati sunt: ac Demosthenes [n] in funere illorum, quorum ossa à prælio Chæronensi Athenas relata fuissent. Quibus consentientia scribens Pausanias [o], ait in viâ quæ ad Academiam ducebat, fuisse suum omnibus Atheniensibus, qui aut navalibus aut terrestribus præliis pro patriâ mortem oppetiissent, monumentum; cum elogiis, nomen cuiusque & tribum testantibus: iis exceptis, qui ad Marathonem ceciderant; quibus eodem quo occubuerant loco sepulchra ad virtutis memoriam erecta fuissent. Paritérque Suidas [p], ex Menecle & Callistrato tradit, Ceramicum fuisse locum Athenis, ubi bello peremptos sepeliebant, & funebres orationes habebant; signis passim erectis, quæ quo quique loco occubuissent, indicarent. Meminerúntque eiusdem ritûs Demosthenes [q], Philostratus [r], & alij. Servatúmque id ipsum olim Romanis: apud quos ex Lege [s] XII. Tabularum, peregrè, aut militiâ mortuis ossa legere licebat; quò post funus fieret: sive corpora, aut ossa, cinerésve referrentur, ut de peregrè mortuis diximus; sive etiam (ut ex Festo [t] intelligitur) eiusmodi cadaveribus membrum aliquod abscinderetur, ad quod servatum iusta fierent in patriâ, reliquo corpore ibi combusto ubi quis mortuus esset. Sociali

[m] Thucyd. ibid.

[n] Plut. in Demosth.

[o] In Attic.

[p] Verb. Ceramicus.

[q] In epitaph.

[r] Lib. 1. de Vit. Script. in Gorg.

[s] Cic. lib. 2. de leg.

[t] Verb. Membrum.

autem Bello (ut scribit Appianus [u]) cùm Rutilij Consulis, (ad Lirim Campaniæ fluvium per insidias occisi) & aliorum nobilium non paucorum, ad sepulturam in Urbem relatis corporibus, tristis visa esset populo eius pompæ facies, & diuturnus luctus excitus fuisset tot civium desiderio: Senatusconsulto decretum fuit, ut posthàc defunctorum in bello corpora ibi humarentur ubicumque cecidissent, ne ob eorum conspectum reliqui segniores ad militiam fierent.

[u] *Lib. 1. de Bel. civil.*

CAPUT V.

De PRIVATIONE *Sepulturæ, aut consueti Funeris, in pœnam, & ignominiam.*

I.

SEPULTURA porro omni, vel patriis monumentis, aut consuetis funerum solemniis privari in pœnam, supremum fuisse, summúmque ignominiæ; háncque in hostes publicos, aut qui hostium loco essent, quósque vehementer odissent, ac in facinorosos homines, quorum pœnæ ad exemplum aliorum pertinebant; moribus gentium, usúque populorum fuisse ubique receptissimum, nulla non intimæ antiquitatis monumenta fidem faciunt. Sanè de Hostibus publicis, aut inimicis privatis, testis est frequens Homerus, eos tam à Græcis quàm Troianis, carnivoris avibus canibúsque dilaniandos obiici consuevisse: adeò ut ipsum Iliadis opus non ad aliud fermè peregisse videri voluerit [x], quàm ad narrandas cædes heroum Troianorum, quos Achilles (ut ait) laniamenta fecit canibus avibúsque. Idque ipsum Agamemnonem [y] inducit minitantem Græcis pugnam detrectantibus; Hectorem ignavis Troianis, & Patroclo [z]; Ulyssem [a] Soco; ipsíque Hectori ferociter nimis Achillem [b], sepulturam obnixè deprecanti. Et quòd apud Virgilium [c] cæde furens Æneas in Latinos, ob Pallantem à Turno occisum, Tarquitum inter alios ferocientem,

Provolvens, super hæc inimico pectore fatur:

PRIVATIO SEPULTURÆ IN HOSTES, ET INIMICOS.

[x] *Il. α. in pr.*
[y] *Il. β.*
[z] *Il. ο. & π.*
[a] *Il. υ.*
[b] *Il. χ.*
[c] *Æn. 10.*

Isthic nunc metuende iace: non te optima mater
Condet humi, patrióve onerabit membra sepulchro.
Alitibus linquere feris; aut gurgite mersum
Unda feret, piscésque impasti vulnera lambent:

[d] Il. φ.

imitatione dixit eiusdem Achillis Homeriani, sic [d] in Troianorum strage, quam latè dabat in vindictam necis Patrocli, Lycaoni Priami filio à se occiso, & in flumen proiecto insultantis.

Istic nunc iace cum piscibus, qui tibi vulneris
Sanguinem lambent securi; neque te mater
Impositum lectis deflebit: sed Scamander
Feret verticosus in maris latum sinum:
Saltans aliquis per undam, sub nigrum horrorem percurret
Piscis, quò devoret Lycaonis album adipem.

[e] Eurip. in Supplic. Stat. Theb. 12.
[f] Apollod. lib 3. de deor. orig.
[g] Ap. Sophocl. in Aiac. Mastyg.

Sic verò & apud alios [e] Creon Thebanorum Rex edicto vetuit, Argivos illos qui Thebas oppugnatum venerant cum Polynice, inhumari. Et quòd eumdem Polynicem eius soror Antigone sepelisset, vivam [f] coniecit in sepulchrum. Menelaus [g] sepulturam Aiacis Telamonij impedire conatus est, quòd sibi fuisset inimicus. Sicut econtrà Teucer frater Aiacis commendans eam ipsius filio, imprecatur ut siquis vi eum avelleret ab eo officio, *malus malè insepultus abiiceretur ex terrâ, radicitùs cum toto genere suo extirpatus.* Sicuti & Thyestes [h] execrabatur, primùm ut naufragio periret Atræus ipsius frater, cui pessimè cupiebat ob necatos liberos, & in escam sibi oblatos: deinde, ut

[h] Ap. Cic. Tuscul. 1. ex Ennio.

——— *Summis saxis fixus asperis*
Evisceratus latere pendens, saxa spargat tabo,
Sanie, & sanguine atro.
Neque sepulcrum, quo recipiatur habeat, portum corporis,
Ubi remissâ humanâ vitâ corpus requiescat à mali.

EXTREMUM FRATRUM ODIUM.

Et ut nullum odium fraterno æquari intelligas, bina alia memoravero exempla; quibus etiam post mortem perseverante execratione, renuerunt manes communicationem funeris, & sepulchri. Alterum fratrum Thebanorum; qui cùm post mutuam cædem in eumdem rogum iniecti fuissent,

----ex uno surgentes aggere flammæ,
In diversa sui dissiliunt cineres.

ut cecinit Ausonius[i], imitatione Bianotis poëtæ Græci: id ipsum testante etiam Philostrato in Icone Antigonis, & aliis. quamvis apud Tragicos legamus (ut suprà notavimus) unum illorum Polynicem sepulturá omninò privatum fuisse à Creonte Rege. Alterum [k] duorum aliorum fratrum in monte Gargano; qui postquàm se ipsos invicem pariter occidissent, distinctis monumentis ibidem sepulti, etiam in separatione saxorum ad eorum sepulcra à prætereuntibus iactorum, odium animorum demonstrare perrexerunt. Ut iam mirari desinas, si Gildonem tyrannum in Africâ sub Honorio Imp. apud Claudianum [l] legas, fratris sui Mascezilis filios insepultos abiecisse, ob odium quo fratrem prosequebatur:

[i] *Epigr.131.*
[k] *Ap. Serv.11. Æn. Guther. de Iur. man. lib.2.cap.15.*
[l] *De Bel. Gildon.*

Hunc ubi tentatis frustrà mactare nequivit
Insidiis, patrias in pignora contulit iras:
Quósque manu pueros parvos gestaverat, unà
Occidit iuvenes, inhumatáque corpora vulgo
Dispulit, & tumulo cognatas arcuit umbras:
Naturámque simul, fratrémque hominémque cruentus
Exuit, & tenuem cæsis invidit arenam.

Nec feliciùs olim ossa quieverunt Pyrrhi Achillis filij, qui & Neoptolemus dictus, postquàm ab Oreste ob ademptam ei coniugem occisus est,

Sparsa [m] per Ambracias quæ iacuêre vias.

Quomodò & Ulyssem Rhesus [n] Thracum dux apud Troiam iactat expositurum se volucribus vulturibus. Et Theodoro [o] Philosopho Lysimachus *mortem insepultam* minabatur. Lysander [p] inclytus ille Lacedæmoniorum dux occupatâ ad Ægospotamos Atheniensium classe, Philoclem è classis ducibus unum, & Atheniensium ad quatuor millia dedititiorum occidit, ac mortuis terram inijci vetuit. Archidamum [q] eorumdem Laconum Regem in expeditione pro Tarentinis susceptâ occisum, sepulturâ privârunt hostes; nec ullâ oblatâ pecuniâ, Tarentini corpus eius ad funus exhibendum impetrare potuerunt. Gallósque ac Germanos olim ne quidem æquali

[m] *Ovid. in Ibin. Hygin. mytholog. cap.123.*
[n] *Ap. Eurip. in Rhes.*
[o] *Ap. Cic. Tuscul.1. Sen. de tranq. ani. cap.14.*
[p] *Pausan. in Bœotic.*
[q] *Athen.l.12. cap.9.*

auri pondere voluisse hostium recisa capita propinquis restituere ad sepulturam, scriptum [r] reperimus. Sicuti & Philippum [s] Regem Macedonum, patrem Alexandri Magni, cæsorum à se Thebanorum prælio Chæronensi cadavera, ob vehemens in eam civitatem odium, ad sepulturam tolli, nisi pretio soluto, non permisisse. Alexandróque Epiri Rege, fratréque Olympiadis prædicti Philippi coniugis, à Lucanis sæpiùs à se devictis tandem miserabiliter occiso, fœdam [ss] lacerationem corporis eius ab iisdem Lucanis factam esse. Namque præciso medio, partem Consentiam misisse, partem ipsis retentam ad ludibrium: quæ cùm iaculis saxísque procul incesseretur, mulierem unam ultra humanarum irarum fidem sævienti turbæ immistam, ut parumper sustinerent precatam, flentem dixisse, virum sibi, liberósque captos apud hostes esse; sperare, corpore regio utcumque mulctato se suos redempturam; cúmque finem lacerationi fuisse. Nec verò mitiùs Antigonum [t] unum ex Alexandri Magni ducibus & successoribus, cum Alcetâ egisse Perdiccæ fratre; cùm quem nullâ vi aut arte vivum in potestate habere potuisset, proditoriè eumdem ad propriam necem compulsum, & lacernâ vilissimâ obtectum ad se missum, contumeliosissimè tractavit, iámque putrescentem insepultum abiecit. Itémque Cassandrum [u], (ita tragicè in Alexandri familiâ & successoribus tristis lusit Erinnys) Olympiadem Alexandri matrem occisam, insepultam abiecisse, quòd eam passus esset crudelissimam adversariam, cùm in reliquis, tum in effossione cadaveris Iolę fratris. Paritérque Mithridratem bellum contra Romanos gesturum, imprimis secretis ad Satrapas omnes, & civitatum magistratus scriptis literis, iussisse ut universi ad unam diem invaderent armis Romanos Italósque hospites, cum uxoribus, liberis, ceterísque ingenuis domesticis Italici generis, & occisos insepultos abiicerent; interminatum etiam mulctam cæsos sepelientibus.

II. EXEMPLA ROMANORUM PRIVATIONIS SEPULTURÆ.

Corpus item M. Crassi [y] post cladem exercitûs à Parthis, inter promiscuas cadaverum strues, avium ferarúmque laniatibus obiectum esse. Et Marianæ [z] proscriptio-

[r] Ap. Diodor. lib. 5. & Strab. lib. 4.
[s] Iustin. hist. lib. 9.
[ss] Livius lib. 8.
[t] Diodor. l. 18.
[u] Diod. lib. 27. in fi.
[x] Appian. de bel. Mithrid.
[y] Val. Max. lib. 1. cap. 6.
[z] Appian. l. 1. de Bel. civil.

nis tempore interemptos sepelire non licuisse, sed canibus & alitibus lacerandos relinqui, morem inolevisse. Indéque eius partis quatuor legionum, à L. Syllâ [a] potentissimo eius adversario, in Campo Martio obtruncari iussarum, lacerata ferro corpora Tiberim impatientem tanti oneris, cruentatis aquis vehere coactum esse. Eumdémque Syllam [b] quinque millia Prænestinorum, cùm abiectis armis humi corpora prostravissent, interficienda, protinúsque per agros dispergenda curâsse. (Quod in re simili eleganter Sidonius [c] dixit, *terram sepelire hoste non sepulto*: & *campos sepultos ossibus insepultis*.) Sicuti in eumdem ipsum Syllam [d] post eius obitum conspirantes multos cum Lepido Consule, ut privarent eum iustis exequiarum; talionem proculdubiò repensuros fuisse, ni Magnus Pompeius partim gratiâ, partim precibus, minis etiam nonnullos submovisset, tribuissétque funeri securitatem. Quam tamen ægrè ipsemet Pompeius [e] obtinuerit rapido liberti ministerio, cùm post necem, & capitis abscissionem, fuisset eius truncus proiectus nudus in littus Ægypti: patrem autem eius Strabonem neutiquàm adipisci potuisse; cuius [f] corpus dum efferretur, Populus Romanus, ob infensissimum in ipsum odium, ex lecto detractum, atque omni ignominiæ genere affectum, insepultum proiecit. Invidisse quoque Iulium [g] Cæsarem post victoriam Pharsalicam Pompeianis peremptis rogum ac sepulturam. Ac Dolabellam [h] Antonij socium, C. Trebonium unum è coniuratis in Cæsarem, Consulari imperio provinciam Asiam à Senatu obtinentem, fractis cervicibus necâsse, caput abscissum pilo affixisse, reliquum corpus tractum atque laniatum proiecisse in mare. Ipsúmque Augustum [i] Imp. post bellum Philippense in splendidissimum quemque captivum, non sine verborum contumeliâ, sævientem; uni etiam suppliciter sepulturam precanti respondisse, iam istam in volucrum fore potestate. Ac Sulpicium [k], cui paulò antè omnia concedebant, brevi spatio non modò vivere, sed etiam sepeliri prohibitum fuisse. Sicuti & sub Tiberio [l] interdictum esse, ne capite damnatos propinqui lu-

[a] Valer. lib. 9. cap. 2.
[b] Ibid.
[c] Carm. 7. & 3. ep. 2.
[d] Plutar. in Syll.
[e] Plut. in Pomp.
[f] Plut. ibid. & de ser. num. vind.
[g] Lucan. l. 7.
[h] Cic. Phil. 11. Appian. lib. 3. de Bel. civil.
[i] Suet. c. 13.
[k] Ap. Cic. Rhet. ad Heren. lib. 4.
[l] Suet. cap. 61.

gerent; ac neminem punitorum non & in Gemonias abiectum, uncóque tractum. Cúmque idem accusatos societatis cum Seiano necari iussisset, iacuisse immensam stragem, omnem sexum, omnem ætatem, illustres, ignobiles, dispersos, aut aggregatos: neque propinquis aut amicis adsistere, inlacrymare, ne visere quidem diutiùs datum; sed circumiectos custodes, & in mœrorem cuiusque intentos, corpora putrefacta adsectari dum in Tiberim traherentur: ubi fluitantia, aut ripis adpulsa, non cremare quemquam, non contingere. Invaluisséque adeò sub isto, aliísque sævissimis Principibus, eiusmodi pœnam; ut & idem Tiberius, Neronis & Drusi suorum ex Germanico nepotum, quos per malignitatem & livorem hostes iudicatos fame necavit, sic reliquias dispersérit, ut vix quandoque colligi possent: nurúmque Agrippinam prædictorum matrem inediâ absumptam, non modò in monumento regio sepeliri prohibuerit [m], verùm etiam ita eius reliquias in terram defossas occultari iusserit, ne umquam inveniri possent. Flavium [n] quoque Sabinum fratrem maiorem Vespasiani Imp. victores Vitelliani Romæ necatum, in Gemonias traxerunt: cui tamen postea [o] victis Vitellianis funus Censorium ductum est, magno documento instabilis fortunæ, summa & ima miscentis. (Erant *Gemoniæ* Scalæ, sive Gemonij gradus, ad montem Aventinum; sic, ut volunt, à gemitu dicti, quòd ex eis deturbarentur damnatorum cadavera, & nuda ac insepulta populo spectanda præberentur; móxque ubi patuissent, & putruissent, unco traherentur in proximum Tiberim: apponebantúrque [p] custodes ne subtraherentur ad sepulturam. Qui enim tracti, Tiberis eis sepultura. Indéque frequens apud antiquos auctores in eiusmodi suppliciis *scalarum*, & *uncorum* mentio.) Papiniani [q] quoque & Petronij, illustrissimorum virorum à Caracallâ occisorum, cadavera tracta sunt per plateam, sine aliquâ humanitatis reverentiâ. Et Cleandro [r] Præfecto Commodi, qui è servo, & calone Phryge, ad summam Imperij administrationis potentiam pervenerat, repentino casu ab Imperatore necari iusso; eius corpus à plebe tractum,

[m] Dio lib. 58.
[n] Tac. hist. lib. 3.
[o] Id. lib. 4.
[p] Id. Annal. 6.
[q] Spart. in Caracal.
[r] Dio lib. 72. Herodian. lib. 1.

tractum, & laceratum est; liberíque, & quotquot illius amici fuerant, trucidati; tractáque per urbem cadavera, & contumeliosè habita, postremò in cloacas abiecta. Nec huiusmodi exemplorum finis.

CAPVT VI.

PERDUELLIONIS rei Sepulturâ privati: itémque TYRANNI.

QUÆ & in Perduellionis reos frequentissima. Sic enim apud eosdem Romanos Latino bello, cùm quidam patricius iuvenis pauper, nomine Cassius [r] Brutus, hostibus pro certâ mercede portas aperire instituisset, deprehensúsque ad templum Minervæ confugisset; pater eius ibi eum inclusit, faméque interemptum inhumatum abiecit. Sic M. Clodij [t], quia turpem cum Corsis in dedecus ac detrimentum Reipublicæ pacem fecerat, in publicâ custodiâ necari iussi, corpus detestandâ Gemoniarum scalarum notâ fœdatum est. Et Tiberius [u] ac Caius fratres, Gracchorum summa nobilitas, ac spes amplissima, quorum & consiliis multæ Reipublicæ partes fuerant optimè constitutæ, quia demùm statum civitatis conantes convellere, inimici patriæ existimati sunt, cuius saluti potentiam suam præferrent; occisi cum multis infelicium sociorum millibus, per Urbémque tracti, in Tiberim præcipitati sunt, ac lugeri vetiti. Et Q. Cæpio [x], Præturæ splendore, Triumphi claritate, Consulatûs decore, Maximi Pontificatûs sacerdotio, ut Senatûs patronus diceretur assecutus; quòd eius temeritate ingens à Cimbris clades Romanis contigisset, in publicis vinculis spiritum deposuit; corpúsque eius funesti carnificis manibus laceratum, in scalis Gemoniis iacens magno cum horrore totius fori Romani conspectum est. Et Milites [y], qui duce suo occiso, Regium per defectionem occupatum diripuerant, per obsidionem capti, virgísque cæsi, ac securi percussi, Senatusconsulto prohibiti sunt

I.

[r] Plutar. in Paralel. c. 10.

PERDUELLES SEPULTURA PRIVATI APUD ROMANOS.

[t] Valer. lib. 6. cap. 3.

[u] Ibid. & l. 4. cap. 7. Plut. in Gracch. Cic. de amicit.

[x] Valer. lib 6. cap. 9. Epit. Liv. lib. 67.

[y] Id. lib. 2. cap. 7. Front. lib. 4. cap. 1.

ſepulturæ mandari, atque lugeri. Denique ſcribit Marcellus [z] Iuriſconſultus, Maiores minimè lugendum putâſſe eum, qui ad patriam delendam, & parentes & liberos interficiendos veniſſet: quem ſi filius patrem, aut pater filium occidiſſet, ſine ſcelere, etiam præmio adficiendum omnes conſtituiſſe. Et Ulpianus [a], perduellionis ac maieſtatis reos nón ſolere lugeri, nec permitti eorum corpora ſepulturæ mandari; quinimmò nec filios eorum iura ſepulchrorum habere. Et Marcianus [b], deportatos etiam ac relegatos eamdem poſt mortem pœnam manere. Longéque anteà Veſpaſianus, tum Prætor dein Imperator, in gratiam Caij Principis (inquit Suetonius [c]) pœnæ coniuratorum addendum cenſuit, ut inſepulti proiicerentur. Quod & ſeverè admodùm ſervavit Severus [d], Imperator ille verè ſui nominis, cùm devicto Albino Cæſare qui ab ipſo defecerat, Senatorum qui prælio ſunt interempti, cadavera diſſipari iuſſit: Albini verò corpus ante prætorium ſuum iacere dies plurimos uſque ad fœtorem voluit, laniatúmque à canibus demùm abiici in profluentem; ſimul etiam uxoris ac liberorum eius: acto prætereà equo ſupra cadaver eius; expaveſcentéque admonito, ut effrenatus audacter protereret. Quod Tulliam [e] illam ſceleſtam revocat in memoriam; quæ per Servij patris ſui, nefariè occiſi, inhumatíque iacentis, corpus, reſiſtente pavido aurigâ carpentum agens, *Sceleratóque vico* nomen inde faciens, partem ſanguinis ac cædis paternæ cruento vehiculo, contaminata ipſa, reſperſáque tulit ad penates ſuos, viríque ſui Tarquinij: cui (inquit Livius) *Superbo* cognomen facta indiderunt, *quia ſocerum gener ſepulturâ prohibuit*. Crudeliùs etiam Mithridates, Rex ille Ponti, qui ſummos Romanorum duces plurimis annis, maximíſque animis exercuit. Qui [f] cùm Stratonice una ex eius, ſive uxoribus, ſive concubinis, caſtellum quoddam ubi theſauros abſconditos habebat, Pompeio prodidiſſet; hoc unum pacta, ut ſi fortè Pompeius Xipharem filium ſuum, quem ex Mithridate genuerat, in poteſtatem redigeret, matri eum ſervaret incolumem: his cognitis Mithridates, eumdem

[z] *l. minimè. 35. D. de relig.*

[a] *l. liberorum §. 1. D. de his qui not. inf. l. 1. D. de cad. pun. l. 1. §. 1. D. de ſuis & legit.*

[b] *l. 2. D. de cad. pun.*

[c] *In Veſpaſ. cap. 2.*

[d] *Spart. in Sever. Capitol. in Albin.*

[e] *Liv. lib. 1.*

[f] *Appian. de bel. Mithrid.*

Xipharem filium suum in conspectu matris interfecit, & *cadaver insepultum proiecit.* Denique post necem Ruffini ducis, qui Imperium ambierat adversus Arcadium, ait Claudianus corpus eius in minutissimas partes fuisse dissectum à militibus: túmque de sepulturâ subdit [g]:

----triviis calcandus spargitur ecce,
Qui sibi pyramidas, qui non cedentia templis
Ornatura suos extruxit culmina manes.
Et qui Sidonio velari credidit ostro,
Nudus pascit aves, iacet en qui possidet orbem,
Exiguæ telluris inops: & pulvere raro
Per partes tegitur, nusquam totiésque sepultus.

[g] *Lib. 2. in Ruffin.*

II. Et Græcos.

Nec verò Romanorum tantùm hæc in maiestatis crimine (quod [h] scilicèt adversus Imperatorem, aut Populum Romanum committebatur) præceptio; sed & anteà Græcorum: ac præcipuè Atheniensium; apud quos qui eo damnabantur, eorum corpora in Atticâ sepeliri nefas fuisse, scribit Thucydides [i], dum agit de morte, & clandestinâ sepulturâ Themistoclis, patriâ per ostracismum pulsi: & apud Xenophontem [k] Euryptolemus, concione ad populum Atheniensem de ducibus accusatis, quòd prælio navali ad Arginusas, victores milites naufragos non sustulissent: Et Plutarchus in Vitâ Hyperidis Rhetoris, qui post necem sine sepulturâ proiectus est. Apud quem [l] etiam extat eorumdem decretum adversus Archeptolemum, & Antiphontem proditionis damnatos: quo inter alia cautum est, ne liceret illos ullâ in regione, in quâ dominarentur Athenienses, sepelire. Indéque Phocione (ut est apud Valerium [m], Plutarchum [n], & Æmilium [o]) proditionis Piræci accusato, damnatóque, etiam corpus extra fines Atticæ proiici iussum est; ac nequis Atheniensis rogum funeri incenderet, interdictum: quapropter nemine ex eius familiaribus corpus contingere auso, mercenariâ manu in Eleusynam deportatum est. Reperitúrque [p] Isocrates Ampelæ filius, maioris Isocratis discipulus & successor, orationem composuisse; quâ demonstraret, Philippo Regi sepulchrum non esse faciendum. Nec id solis Athe-

[h] *D. tit. ad l. Iul. maiest.*
[i] *Lib. 1.*
[k] *Lib. 1. Rer. Græc. ad fi.*
[l] *Ibid. in Vit. Antiphon.*
[m] *Lib. 5. cap. 3.*
[n] *In Phocion.*
[o] *In Phocion.*
[p] *Ap. Suid. verb.* Isocrates.

niensibus in usu; quod & commune ceteris Græciæ populis extitit tam in perduelles, quàm tyrannos, aliósque publicos patriæ hostes, qui Rempublicam proditione, vel armatâ manu, aut legum & libertatis oppressione conflictâssent. Sic enim & Lacedæmonij [r] Pausaniam, insignem eorum ducem, qui Medos ad Platæas celeberrimâ victoriâ ceciderat, cùm posteà ad eorumdem partes Medorum animum deflexisset; non solùm fame ad mortem adegerunt, sed insuper ipsimet eius parentes cadaver extra terminos insepultum eiecerunt. Sic & Arcades [s] Aristocratem suum ipsorum Regem, ob proditos ab eo Messenios, lapidibus obruerunt, insepultúmque extra fines abiecerunt. Sic & apud Thebanos [t] Rex Creon Etheoclen & Polynicen germanos fratres mutuâ cæde peremptos, illum quidem ut defensorem patriæ honorificè sepeliri curavit, Polynicen autem velut aggressorem, omnésque eius commilitones apud Thebas peremptos, insepultos abiecit canibus & alitibus: Antigonémque sororem Polynicis, quòd ipsum contra prohibitionem sepelîsset, necari iussit. Horúmque parentem infaustissimum Oedipodem, cæde patris, nuptiisque matris contaminatum, horruisse ferunt [t] Thebanum populum apud se mori; ne patria eius mortui ossibus inexpiabiliter pollueretur, cuius vivi causâ tot gravissima mala, ac intolerabiles calamitates sustinere coacta fuerat. Et in Phrygiâ parentes [u] Cybeles, Attim eius constupratorem, ac nutrices eiusdem Cybeles interfecerunt, & cadavera insepulta abiecerunt.

[r] Plut. in Parall. cap. 10. Ælian. 4. Var. 7.

[s] Pausan. in Arcad.

[t] Sophocl in Antig. Eurip. in Phœniss. Æschyl. in sept. ad Theb. Stat. Theb. 12.

[t] Lysimach. Theb. lib. 13.

[u] Diodor. lib. 3. cap. 4.

III. TYRANNI PRIVATI SEPULTURA APUD GRÆCOS.

Sic & Syracusani [x], cadaver Philisti studiosissimi fautoris tyrannidis Dionysij Iunioris, à se interfecti, denudatum pueris tradiderunt, ut per Achradinam traherent, & præcipitarent in Latomias. Eiusdémque Dionysij uxorem, & filias, Locrenses [y], in vindictam illusarum ab eo fœdis modis virginum suarum, vulgò prostitutas; post infames libidines interemerunt, ossibúsque in mortariis contusis, & conscissâ minutim carne reliquâ, diris eos devoverunt qui non aliquid inde gustâssent; & quod reliquum fuit mari demerserunt. Cyrenæi [z] quoque, tyrannum suum Leandrum, Aretaphilæ socrus eius

[x] Plut. in Dio.

[y] Ælian. 9. Var. 8. Athen. lib. 2. cap. 11.

[z] Strab. lib. 6.

arte in potestatem suam reductum, viuum culeo insutum in mare abiecerunt. Ac Xenocritæ [a] Cumanæ, ingentis remunerationis loco, ob recuperatam eius hortationibus libertatem, datum est à civibus, ut Aristodemi tyranni, à quo uxoris loco habita fuerat, cadaver ex omnium gentium usu insepultum abiectum, sibi sepelire liceret. Pheræi [b] verò, necato Alexandro crudelissimo tyranno, cadaver eius proiectum, conculcatúmque in prædam dederunt canibus: digno (ut ait in Pelopidâ Plutarchus) facinoribus eius fine. Sicut & idem [c], ubi Nestor apud Homerum [d] ait, si Menelaus Ægisthum tyrannum, Agamemnonis interfectorem, comprehendere potuisset, sepulturam ei luctúmque denegaturum fuisse, eúmque canibus & avibus procul à patriâ expositurum: disertè observat, hanc tyrannis pœnam constitutam fuisse. Quâ & ideò convenienter Sophocles [e] eumdem Ægisthum dignum fuisse pronunciavit. Nec sanè Mycenæos impunitum penitùs Ægisthum in sepulturâ reliquisse, ex Pausaniâ [f] intelligitur; dum scribit, eos tam ipsum Ægisthum, quàm adulteram Clytemnestram, ob admissa scelera dignos non existimâsse, qui intra suæ civitatis mœnia sepelirentur; sed extra murorum ambitum terrâ obruisse.

[a] Ibid.
[b] Id. in Pelop. in fi.
[c] Id lib. de Homer.
[d] Odyss. γ.
[e] In Electr.
[f] In Corinth.

IV. ET ROMANOS.

Fuisséque etiam apud Romanos propriam tyrannorum pœnam, sepulturæ privationem, cùm multi testantur; tum disertè M. Antonius apud Appianum [g] ait, legibus in tyrannos animadverti, lacerorum corporum tractu in Tiberim. Unde & auditâ morte Tiberij Imp. ita lætatus dicitur à Suetonio [h] Populus Romanus, ut *pars Tiberium in Tiberim clamitarent, pars uncum & Gemonias cadaveri minarentur*, exacerbati super memoriam pristinæ crudelitatis. Et Vitellius [i], qui post quadragesimum Bedriacensis victoriæ diem, lacera militum corpora, truncos artus, putres virorum equorúmque formas, infectam tabo humum, tótque millia insepultorum civium, lætis oculis, tam propinquæ sortis ignarus, perlustrari non exhorruit; idem ipse paulò pòst Romæ à Vespasianianis captus in Palatio, religatisque post terga manibus, iniecto

[g] Lib. 2. de Bel. civil.
[h] In Tiber. cap. 75.
[i] Suet. in Vitell. cap. 17. Tac. hist. lib. 3. in fi.

cervicibus laqueo, veste discissâ, seminudus per Urbem ductus, postremò apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus atque confectus est, & inde unco tractus in Tiberim. Extántque [k] in Commodū Senatûs imprecationes post eius necem; *Hosti patriæ honores detrahantur, parricida trahatur: hostis deorum, carnifex Senatûs, necator civium, unco trahatur: parricidæ gladiatoris memoria aboleatur: carnifex Senatûs more maiorum unco trahatur: sicut fecit, sic patiatur. Innocentes sepulti non sunt; unco trahatur:* & alia plura eiusmodi. Cúmque nihilominùs Pertinax, qui in locum eius successerat, per noctem eius cadaver sepeliendum tradidisset; Senatus acclamavit, *Quo auctore sepelierunt? Parricida sepultus eruatur, trahatur.* Cingiúsque Severus dixit; *Iniustè sepultus est. Quia Pontifex, dico: hoc collegium Pontificum dicit.* Ac post Maximini apud Aquileiam necem, delato Romam eius capite, Senatus [l] acclamavit: *Hostis publici caput in profluentem abiiciatur; corpus eius nemo sepeliat.* Et tam eius, quàm etiam filij cum ipso pariter occisi, corpus in profluentem missum est; caput insultante populo exustum; ut Capitolinus scribit: sive ut Herodianus [m], proiecta ad ludibrium cadavera, canibus dein, volucribúsque lanianda relicta sunt; missis tantùm Romam tyrannorum capitibus. Ac denique (ut iam satis sit exemplorum in re notissimâ) Heliogabalus [n] in latrinâ, loco mortis vitâ digno, ad quam confugerat, necatus, tractus inde est per publicum: additáque iniuria cadaveri, ut id in cloaculam milites mitterent: sed cùm non cepisset cloacula fortuitò, per pontem Æmilium, adiuncto pondere ne umquam sepeliri posset: *quod odio communi omnium* (inquit hæc narrans Lampridius) *contigit; à quo speciatim cavere debent Imperatores: siquidem nec sepulchra mereantur, qui amorem Senatûs, populi, ac militum non merentur.* Rectè; & ad mentem Æliani [o]; dum scribit, *Ergo malis ne mors quidem prodest, quoniam neque tunc possunt quiescere; sed aut prorsùs destituuntur sepulturâ; aut quamquam sepeliantur, tamen supremum honorem, & communem omnium corporum portum amittunt.* Et Dionis [p] Chrysostomi; dum ait, nullam hominibus sceleratis atque nefariis deberi sepultu-

[k] Apud Æl. Lamprid.
[l] Ap. Capitol. in Maximin.
[m] Lib. 8.
[n] Lamprid. in Heliogab.
[o] 4. Var. 7.
[p] Orat. 31. Rhod.

ram, ne quod eorum indicium posteritati relinquatur. Atque etiam Quintiliani [q] avi dicentis; *ut insepultus abiiciatur tyrannus, ad vindictam, ad securitatem pertinet. Non satis putaverunt maiores, eas pœnas adversus tyrannum constituere, quas possit excipere in vitâ. Multos magis tangit Sepultura: ad cogitationem post se futurorum plerique graviùs moventur.* quod & vidimus exemplis probatum superiùs.

[q] Declam. 274. tyran. fulmin.

CAPVT VII.

PARRICIDÆ, ac SACRILEGI, *privati Sepulturâ.*

I.

QUINIMMÒ quòd nullum gravius scelus, quàm patriæ communis omnium parentis parricidam agere; *Chari sunt parentes*, (inquit alicubi Cicero [r]) *chari liberi, propinqui, familiares; sed omnes omnium charitates patria una complexa est; pro quâ quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? Quò est detestabilior istorum immanitas, qui lacerârunt omni scelere patriam, & in eâ funditùs delendâ occupati fuerunt.* mirum sanè magis videri possit, cur non patriæ parricidas, iisdem pœnis, vel etiam gravioribus, siquæ graviores excogitari potuissent, subiecerint, quæ in eos qui parentes occiderunt decretæ fuerunt, quàm quòd tam severè in eos egerint. Quænam autem fuerit parentum occisori pœna legibus constituta, plurimi meminerunt, cum insui solitum culeo vivum, atque ita in profluentem deiici: *in cuius cruciatus* (ut loquitur eleganter idem Quintilianus [s] avus) *cùm omnia commenta sit antiquitas, citerior tamen est pœna quàm scelus: cuius statim ora oculósque à iudicio lex iussit abduci, ne hunc iocundum cœli aspectum polluerent tetri oculi: cui lucem vivo, fluctuanti mare, naufrago portum, morienti terram, defuncto sepulchrum negat.* Sed nullus Tullio [t] elegantiùs rationem huiusmodi pœnæ descripsit; dum maiorum in eâ decernendâ sapientiam extollens, *Nónne* (inquit) *videntur hunc hominem ex rerum naturâ sustulisse, & deripuisse, cui repentè cœlum, solem, aquam, terrámque ademerunt? Ut qui cum necâsset unde ipse natus esset,*

[r] Offic. lib. 1.

PARRICIDII POENA.

[s] Declam. 299. ossa eruta parricid.

[t] Orat. pro Rosc. Amer.

careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse dicuntur. Noluerunt feris corpus obiicere; ne bestiis quoque, quæ tantum scelus attigissent, immanioribus uteremur: non sic nudos in flumen deiicere; ne cùm delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cetera quæ violata sunt expiari putantur. Denique nihil tam vile, neque tam vulgare est, cuius partem ullam reliquerint. Etenim quid est tam commune, quàm spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis? ita vivunt dum possunt, ut ducere animam de cælo non queant: ita moriuntur, ut eorum ossa terram non tangant: ita iactantur fluctibus, ut numquam alluantur: ita postremò eiiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant. Ita ille; ut erat tum recepta ea pœna ex Lege[u] Duodecim Tabularum. Cui posteà in detestationem portēti additū[x], ut parricidæ virgis sanguineis verberati, culeo (id est sacco coriaceo) insuerentur cum cane, gallo gallinaceo, viperâ, & simiâ: & inter eas ferales angustias comprehensi, prout regionis qualitas ferret, vel in mare, vel in amnem super plaustrū iunctis nigris bobus deducti proiicerentur: quò omni elementorum usu vivi carere inciperent, & in rixâ infaustorum & infensorum animalium, ac fœdâ laceratione corporis, impiis hominibus cælum superstitibus, terra mortuis auferretur. Quæ quibus temporibus, quibúsve parricidij symbolis addita fuerint, tractârunt alij[y]: apud quos & plura reperias de huiusmodi parricidarum pœnis auctorum testimonia; necnon & diversorum populorum in id scelus supplicia.

[u] *Ap. auctor. Rhetor. ad Heren. lib. 1.*
[x] *Iuven. saty. 8. & ibi vet. schol. Sen. 3. controv. 1. & lib. 5. contr. 4. & lib. 7. contr. 1. & ibi Schott. Glos. vet. l. 9. D. ad l. Pomp. de parric. l. un. C. de his qui par. vel lib. occid. Instit. de publ. iudic. §. alia deinde. & ibi Theoph.*
[y] *Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 5. Forcatul. in Necyomant. dial. 34. Greg. Tolos. 36. Syntag. 24. Demster. in Antiq. Rom. lib. 8. Paralip. ad cap. 25.*

II. Sed hæc satis nobis supérque: si modò cum Senecâ[z] dixerimus, *multò minùs ausos fuisse liberos nefas hoc ultimum admittere, quamdiù sine lege crimen fuit. Summáque prudentia altissimos viros, & rerum naturæ peritissimos, maluisse velut incredibile scelus, & ultra audaciam positum præterire, quàm dum vindicant ostendere posse fieri.* Quippe veteres Romanorum de Parricidio leges, omnes in genere de cæde cuiuscumque hominis loquuntur: (unde & nonnullis[a] *Parricida* dictus est, quasi *parem*, id est hominem *cædens*) & Romulum tradunt[b], cùm pœnam in eos qui parentes necâssent nullam sanxisset, quodvis homicidium parricidij nomine designâsse; tamquam hoc impium ac nefarium

[z] *1. de clem.*
[a] *Vid. Balduin. de legib. Romul. & Ravard. in Reg. Iur.*
[b] *Plut. in Romul.*

rium facinus, illud autem impossibile esse duceret: ac Solonem [c] interrogatum, cur nullum supplicium constituisset in eum qui parentem necâsset, respondisse se id neminem facturum putâsse. Itémque (ut Græcos non intactos relinquamus) huius sceleris hanc Platonem [d] constituisse pœnam, ut qui illud perpetraverit, tam à Iudicũ ministris, quàm à Magistratibus occidatur; trahatúrque extra urbem in trivium nudus, ubi singuli Magistratus pro universâ civitate in mortui caput lapidem mittant, atque ita civitatem omnem purificent; demùm *extra fines regionis portatum, secundùm leges insepultum eiiciant.* Nec denique omittenda singularis veterum Persarum, quam refert Herodotus [e], ratiocinatio; quicumque parentes occidisse diceretur, eum nequaquàm legitimum filium esse; sed si diligens perquisitio fieret, planè subdititium, aut spuriũ deprehensum iri; quippe verisimile haud videri, ut is qui verus parens sit, à proprio filio interimatur. Eamdem porrò pœnam culei & anguium, irrogatam fuisse C. Villio Tib. Gracchi asseclæ, ob Rempublicam perturbatam, Plutarchus [f] est auctor. Et Imperatores [g], adulteros, sacrilegos (ut vocant) nuptiarum, tamquam manifestos parricidas, culeis insui vivos præceperũt. Ac lõgè antequàm ea pœna statueretur in parricidas, à Tarquinio Romanorum Rege invenimus [h] M. Attilium Duumvirum, quòd librum secreta civilium sacrorum continentem, custodię suæ commissum, corruptus Sabino describendum dedisset; culeo insutum, in mare abiici iussum. Idque supplicij genus (inquit hæc narrans Valerius) non multò pòst parricidis lege irrogatum est; *iustissimè quidem, quia pari vindictâ parentum ac deorum violatio expianda est.* Quare & apud Rhetores [i] declamatum, eos qui in calamitate parentes deseruerint, insepultos abiici debere. Sicuti & Abderitarum lege cautum fuisse, ut qui bona paterna prodegissẽt, sepulchris patriis privarentur; eâq; periclitatum esse Democritum Philosophum, scribit Laërtius in eius Vitâ.

III. SACRILEGI INDIGNI SEPULTURA.

Sacrilegos porrò, communi omnium Græcorum lege, insepultos abiici debuisse, Diodorus [k] scribit, & exemplis probat. Et Plato [l] iis, qui sacrilegi in deos, aut in pa-

[c] *Plut. & Laert. in Solon. Cic. orat. pro Rosc. Amer.*
[d] *Lib. 9. de legib.*
[e] *Lib. 1.*
[f] *In Gracch.*
[g] *L. 4. C. Th. quor. appel.*
[h] *Dionys. lib. 4. Valer. lib. 1. cap. 1.*
[i] *Quintil. Declam. 6. corp. proi.*
[k] *Lib. 16.*
[l] *De leg. lib. 9.*

rentes, aut in patriam fuerint; pœnam mortis, corporis ignominiam, & extra fines abiectionem irrogari voluit. Pariterque ex Xenophonte [m] intelligitur, sacrilegorum æquè ac proditorum cadavera extra fines Atticæ proiici per leges Atheniensium debuisse. Iisdémque tam proditoribus quàm sacrilegis, sicuti & parricidis, sepulturæ privationem, & legibus, & moribus gentium competere, testatur Hegesippus [n]; ut etiam qui mitiùs cum iis agerent, saltem dextram abscinderent, ut non toti sepelirentur. Fertúrque [o], Artaxerxem, qui & Ochus nominatus est, Persarum Regem, postquam per insidias à Bagoâ eunucho Ægyptio de medio sublatus esset, felibus proiectum fuisse, cùm ob alia sacrilegia in Ægypto commissa, tum ob interfectum Apim; alium verò eius loco sepultum fuisse monumentis regiis. Omittimus supplicium Vestalium [p] incestarum, quæ vivæ defodiebantur: & alios eo modo ad quorumdam superstitionem [q] sepultos. Non autem, quod irâ cælesti multos sacrilegos sepulturâ caruisse, tum testatur Pausanias [r] exemplo Archidami Lacedæmoniorum Regis, qui præcipuus occupandæ Delphorum urbis, & templi, Phocensibus auctor fuerat; qui irâ Apollinis sepulturæ honore caruit: tum egregiè relatum habetur apud Ciceronem [s] his planè verbis: *Quorum scelere religiones prostratæ afflictæque sunt, partim ex illis distracti ac dissipati iacent: qui verò ex his & omnium scelerum principes fuerunt, & præter ceteros in omni religione impij, non solùm vitâ cum cruciatu atque dedecore privati sunt, verùm etiam sepulturâ ac iustis exequiis caruerunt.* In quibus haud dubium non ultimus ei P. Clodius: quem cùm orans pro Milone dixisset, serâ sed iustâ tamen, & debitâ divinâ vindictâ, ob plurima nefaria ab eo commissa sacrilegia periisse; quod ad sepulturam attinet, *Nec verò* (subdit) *non eadem ira deorum hanc eius satellitibus iniecit amentiam, ut sine imaginibus, sine cantu, sine ludis, sine exequiis, sine lamentis, sine laudationibus, sine funere, oblitus cruore & luto, spoliatus illius supremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici solent, ambureretur abiectus.* Nam nefarij illi, qui non penitùs privabantur sepulturâ, saltem hâc

[m] Lib. 1. Rer. Græc. ad fi.
[n] Lib. 3. de excid. Ierosol. cap. 17.
[o] Ælian. 6. Var. 8.
[p] Plut. in Numa Livi. & aliis.
[q] Liv. lib. 22. Plut. in Marcel. & tract. de superst. in fi. Plin. lib. 28. cap. 2.
[r] In Lacon.
[s] Lib. 2. de legib.

afficiebantur non admodùm leviori ignominiâ, ut vilem & humilem consequerentur, & ignobiliter efferrentur. Quod Domitiano Imp. contigisse traditur [t]; ut scilicèt funus eius decreto Senatûs, gladiatorum more *cum ingenti dedecore populari sandapilâ per Vespillones exportatum* fuerit, & *ignobiliter sepultum*. Et anteà Galbæ [u]; cuius corpus diù neglectum, & plurimis ludibriis ab Othonianis vexatum, *humili sepulturâ* in privatis hortis contectum est. Et Agrippina [x] mater Neronis *vilibus exequiis* cremata est, ac *levem tumulum* accepit. Denique tyrannorum, cùm eis sepultura concederetur, propria fuisse *humilia sepulcra*, Trebelli⁹ significat in Victorino Iuniori, & Aureolo, qui sub Galieno per eius socordiam in Imperium prosilierāt.

[t] *Suet. in Domit. cap. 17. Eutrop. lib. 7. Vict. de Cæsar.*

[u] *Tac. histor. lib. 1.*

[x] *Id. Annal. 14.*

IV.

QUI MANUS SIBI INFERUNT, INDIGNI SEPULTURA.

Ac ut demùm iis finem faciam, quos leges hominum, vel mores populorū sepulturâ privârunt, aut solemnibus eius; unicos addam Suspendiosos, seu qui aliàs sibi manus violentas attulerunt. Siquidem Plato [y] inter alios, quos sepulturâ aut patriâ aut omni privatos vult, in suâ legislatione quid agendū decernens de iis qui per ignaviam sibi ipsis mortem consciscerent, *Sepultura*, inquit, *illis solitaria fiat, ubi alius nemo condatur: deinde in iis locis sepeliantur, quæ de duodecim regionis partibus ultima, deserta, & innominata sunt: sic obscuri, ut neq; pilâ, nec inscripto nomine sepulchra notentur*. Quod quamvis haud parvum existimaretur supplicium, ut veluti execrabiles ceterorum hominum consortio, ac omni penitùs memoriâ privarentur: mitiùs tamen hęc statuebat Plato, (ut nimirùm ferebat ingenium) quàm vel ipsa ferrent suorum Atheniensium [z] iura, quæ sui ipsius occisoris sceleratam manum, à reliquo corpore abscissam, inhumatam abiiciebant; vel etiam ceterarum gentium mores, quibus totum corpus [a] pęnitùs insepultū proiici iubebatur, tamquā desertoris ac perduellis: quòd dignū sit, ut qui non expectato Dei patris imperio, à quo depositum animę custodiendum homines, quoad ipse repetere voluerit, acceperunt, violenter è corpore eiiciunt; priventur quasi quodam matris gremio, terræ sepulchro. Sicuti & per quietē è cælo loquens apud Tullium [b] Paulus Æmilius Publio filio, *piis omnibus retinendum esse* ait

[y] *Lib. 9. de legib.*

[z] *Æschin. cont. Ctesiph.*

[a] *Ioseph. 3. de bel. 14. Hegesip. 3. de excid. 17.*

[b] *Cic. de somn. Scip. & ibi Macrob. Tuscul. 1. & in Cato. maior.*

animum in custodiâ corporis; nec iniussu eius à quo ille est datus, ex hominum vitâ migrandum, ne munus humanum assignatum à Deo defugisse videamur. Quæ fuit etiam Pythagoræ, ceterorúmq; omnium [c] philosophorum communis sententia: si Stoicos [d] excipias, quibus sequior opinio comprobata fuit; dum ultroneam mortem ex tædio vitę, vel impatientiâ doloris alicuius, aut funere patriæ, rationi consentaneum, ingentísque animi facinus esse prædicârunt. Quos tamen Virgilius [e] sic in inferno constituit, ut nulla inde emergendi facultas, aut spes relinquatur; cùm ait:

Proxima deinde mœsti loca, qui sibi lethum
Insontes peperère manu, lucémque perosi
Proiecère animas. quàm vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores!
Fata obstant, tristísque palus innabilis unda
Alligat, & novies Styx interfusa coërcet.

Mœstos vocans, quòd tædio vitæ sibi vim intulerint: *insontes* verò, quòd nullâ aliâ scelerum conscientiâ sese occiderint. Omitto qui pro patriâ se devoverunt [f], Curtium, Decios, Codrum, & alios eiusmodi: quos tantum abest ut inter suî occisores adnumeraverint, ut cõtrà summis laudibus omnes extulerint, ob fortem pietatem in patriam: quamvis disputari possit, an verâ fortitudine præditi fuerint. Rectè verò omninò Thomas [g] Morus; nulli umquã sanæ mentis voluntariam mortem suaderi; in furiosis, aut morbo sontico correptis, dissimulari; in ceteris prohiberi. Utopiósq; suos, siquis mortem sibi consciverit, causâ non probatâ Sacerdotibus & Senatui, hunc neq; terrâ neque igne dignari, sed in paludem aliquam turpiter insepultũ abiicere. Ex sententiâ videlicèt antiquæ legis [h]; quâ cavebatur, ut qui causas voluntariæ mortis in Senatu non redderet, insepultus abiiceretur. Quo & inventũ esse dicitur [i], ut aliquid post mortem timeant, qui nec mortẽ timent; cùm facinus indignũ leges iudicârunt, si inveniatur manus, quæ sepeliat eum quem occidère suæ. Et Servius, ubi Virgilius [k] *informe letum* (ut vocat) Amatæ Reginæ, quæ spontaneo laqueo sibi vitam eripuerat, describit; ad rem nostram observat, Pontificalibus libris cautum fuisse, ut qui ita vitam finiissent, insepulti abiicerentur.

[c] *Vid. August. 1. de civit. 17. & seqq.*
[d] *Vid. Lips. manuduct. lib. 3. dissert. 23. P. Greg. 36. Syntag. 22.*
[e] *Æn. 6.*
[f] *Valer. lib. 5. cap. 6. Aug. 4. de civit. 20.*
[g] *Utop. lib. 2.*
[h] *Ap. Quintil. Declam. 4.* Mathem.
[i] *Ibid. & Senec. 8. controvers. 4.*
[k] *Æn. 11.*

V.

Idémque apud Græcos obtinuisse; præter illa quæ iam diximus, ostenditur etiam apud Philostratum in Heroicis; ubi Aiax Telamonius, quòd sibi manus intulisset, non ut moris erat combustus est, sed humi depositus: Calchante vate interpretante, impium esse ut ij igni sepelirentur, qui sibi mortem attulissent. Itémque apud Statium [l]; ubi Ethcocles Rex Thebanus Mœonem vatem sibi manus inferentem *vetat igne rapi, pacémque sepulchri arcet*. Eâque in re notandum ex Herodoto [m] singulare iudicium, post pugnam Platæensem à ducibus Græcorum pronunciatum; ut quicumque Græcorum eo certamine mortem oppetierant, omnes honore afficerentur; uno excepto Aristodemo, qui quamvis omnium iudicio primas tulisset in certamine, tamen visus esset occumbere voluisse, ad eluendam ignominiam, quam anteà ad Thermopylas contraxerat. Quod & Tarquinium Priscum excogitâsse Romæ, cùm operosissimi cloacarum operis tædio passim sibi necem plebs consisceret; & Milesios, cùm virgines suæ voluntario suspendio vitam sibi abriperent, iam aliâ occasione ex Plinio & Plutarcho memoravimus. Et posterioribus Romanorum legibus [n] compertum habemus; iusta suspendiosis, iisq; qui manus sibi intulerunt malâ conscientiâ, fieri prohibita; & consequenter eorum corpora non humari, sed cruci affigi solita: quia qui ita sibi mortem consciscebant, pro confessis habebantur, convictis, & condemnatis: ipsíque de se sententiam tulisse videbantur [o]: & condemnati morte non humabantur [p], nisi ex indulgentiâ Principis. At verò sævus, rapáxque Tiberius Cæsar, cùm damnatos sepulturâ prohiberet, eorum tamen qui de se statuebant, humari corpora permisit; pretium festinandi, ut scribit Tacitus [q]: nec mirum, quia ne damnati quidem, nec peracti rei. Nam damnatos quod attinet; cum antiquo [r] iure corpora eorum quibuslibet petentibus ad sepulturam dari consuevissent, & id se observâsse etiam Augustus Imp. in libris de Vitâ suâ scripserit; postea tamen (ut diximus) non aliter sepeliebantur, quàm si fuisset à Principe petitum & permissum.

[l] *Theb. lib. 3.*

[m] *Lib. 9.*

[n] *L. liberorum §. 3. D. de his qui not. infam. Cuiac. ad l. eius militis. D. de test. mil.*

[o] *L. ult. §. 1. D. de bon. eor.*

[p] *D. tit. de cadav. punit.*

[q] *Tac. Annal. 6.*

[r] *D. eo.*

VI. Causæ privationis sepulturæ in facinorosis.

Cur autem mos apud Gentiles invaluisset, ut sepulturâ privarent nefarios homines, vel quos odissent; reperimus tam fuisse ob infamiam, quę ex illatâ corporibus huiusmodi iniuriâ resultaret ad posteros in eorum memoriam; quàm etiam quòd insepultorum animas, corúmque qui absque solitis ceremoniis terrâ obruebantur, (sicut aliàs demonstravimus) crederent perpetuò circumvagari sine ullâ requiete: relicto hoc eis à naturâ subfusco radio statûs animarum post mortem; veræque causæ distinctionis à cultoribus veri Dei observatæ inter sepulcra sacra atque profana.

CAPVT VIII.

De diris IMPRECATIONIBUS, *& faustis* PRECATIONIBUS *in Defunctos.*

I. Imprecationes in defunctos.

FIEBATQUE inde, ut qui aliis malè vellent, tum imprecarentur sepulturæ privationem; tum terram gravem optarent. Imprecationum enim, præter exempla Thyestis, & Teucri, quæ protulimus, alia reperias apud Virgilium [s]; cùm amore vesana Dido deos suos in perfidum Æneam invocans, inter alia petit, ut

Cadat ante diem, mediáque inhumatus arenâ.

Et apud Ovidium; dum illum devovens, quem sub nomine Ibidis intelligit, inter alia dira, quæ illi imprecatoriè prædicit;

Nec tibi contingent funus, lacrymaque tuorum:
Indeploratum proiiciere caput.
Ipsa te fugient, quæ carpunt omnia, flammæ:
Respuet invisum iusta cadaver humus.

Pariterque apud Horatium [t]: ubi puer ille prætextatus, à veneficis ad necromantiam raptus, diris execrationibus illas incessens; præter alia cupit, ut earum *insepulta membra differant lupi, & Exquilinæ alites.* Et apud Valerium Flaccum [u]; dum Æsonem exhibet, imprecantem Peliæ

[s] Æn. 4.
[t] Epod. od. 5.
[u] Argon. lib. 1. ad f.

fratri pudibunda exitia, indecoréſque obitus; & ut fida manus,

Diripiat, lacerétque ſenem, nec membra ſepulcro
Contegat.

Ad quæ etiam aptari poteſt ſolemnis illa Romanorum Fœcialium formula [x] in fœderibus feriendis, *Si fidem ſervâſſo, tunc mediy adiuvent: ſin ſciens feſelliero, tum ego, ceteris omnibus ſalvis in propriis patriis, in propriis legibus, in propriis penatibus, ſacris ſepulchris, ſolus exterminer, ut hic nunc lapis*: quem manu tenens ſimul eiiciebat. Ac denique ex Suidâ [y] intelligitur, uſu receptum fuiſſe, ut qui aliquid quod valdè diſpliceret feciſſent, iis *imprecarentur, ut extorres & inſepulti canibus & alitibus obiicerentur; neque animæ eorum benignè apud inferos ſuſciperentur.* Præter illas, quas in Principes qui odium publicum in ſe concitârant, vidimus conclamationes, ut inſepulti abiicerentur: & quod in unum ex iis Tiberium populus [z] *Terram matrem, deóſque manes oravit, ne mortuo ſedem ullam niſi inter impios darent*: & poſt necem Gallieni [a] irruens vulgus pari clamore, *Terram matrem, deóſque inferos precabatur, ſedes impias uti Gallieno darent.*

x Ap. Polyb. lib. 3.

y verb. κακῶς ὄλοιτο.

z Suet. in Tiber. cap. 75.

a Aur. Vict. de Cæſar.

II. TERRÆ GRAVIS IMPRECATIO.

Terram autem gravem optabant, quòd crederent eorum animas, quorum corpora pondere gravarentur, etiam oneris illius preſſurâ moleſtari; nec facilè poſſe ad locum deſtinatum evolare, aut è tumulo evocari. Unde & fortè antiqui Germani (non tantùm, quòd *nulla* eis *funerum ambitio*) ut ſcribit Tacitus [b], *monumentorum arduum, & operoſum honorem, ut gravem defunctis aſpernabantur.* De Romanis autem Plinius [c], cùm de naturâ terræ agit, *Cuius* (inquit) *numen ultimum nonnullis* [d] *precamur irati grave*; ne ſcilicèt mortuos quieſcere pateretur, ſed æternis illos cruciatibus vexaret. Sicut & apud Quintilianum [e] miſera illa mater, quæ amiſſi filij umbram ſingulis noctibus videre conſueverat, accuſat maritum, quòd adhibito mago, *tamquam parum ſepulchra premerent, & tumulorum leve pondus eſſet, gravem terram barbaro carmine totis noctibus pulſaret*; indéque umbra filij *graviorem ſolito terram* ſentiens, impediretur *impoſitum ſibi ſepulchrum evolvere*, ut

b De morib. Germ.

c Lib. 2. c. 63.

d Ita corrigit Guther. hac tractat. lib. 2. cap. 13.

e Declam. 10. Sepulchr. incant.

[f] 4. eleg. 5. in pr.

veniret ad matrem. Et pariter Propertius [f] imprecatur,

Terra tuum spinis obducat, lena, sepulchrum,
Nec sedeant cineri manes.

quòd existimarent ex iniuriâ sepulchri molestari animas, refugeréque Manes illic ampliùs residere. Idémque [g] in eamdem Lenam,

[g] Ib. in fi.

Sit tumulus lenæ curto vetus amphora collo:
Urgeat hunc supra vis caprifice tua.

(quòd caprificus valdè terram radicibus suis premat, & parietes atque maceries, adeóque saxa ipsa sibi obstantia discerpat.) Et [h]:

[h] Id. 2. eleg. 5.

Ossa tibi iuro per matris, & ossa parentis:
Si fallo, cinis, heu! sit mihi uterque gravis.

Callimachus [i] item sibi, siquid pravi laudârit, terram non levem imprecatur: μήτε σὺ κούφη γίγνεο. Et Crinagoras [k] precatur terram, ut super cinerem Eunidi i hominis improbi, μὴ κούφη κέκλισο, μηδ' ὀλίγη: *neque levis incumbas, neque pauca.* Sicuti apud Senecam [l] Tragœdum Theseus imprecatur Phœdræ, ut eam

[i] Antholog. lib. 5. cap. 29.
[k] Ib. cap. 30.
[l] In Hippol. ad fi.

——— terra defossam premat,
Gravísque tellus impio capiti incubet.

Et Extremâ Troade, Polyxena accepto à Pyrrho mortis ictu,

——— cecidit, ut Achilli gravem
Factura terram, prona, & irato impetu.

Ac denique Tibullus [m]:

[m] 1. eleg. 4.

Iam tua, qui venerem docuisti vendere primus,
Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.

Et alia quamplurima eiusmodi apud eosdem, alиósque veteres auctores; ac præcipuè poëtas tam Græcos quàm Latinos.

III. ALIA IMPRECATIONUM GENERA.

Apud quos æquè reperias alia imprecationum sepulchralium infausta genera. Ut apud Propertium [n]:

[n] 4. eleg. 7. & ult.

——— si fallo, vipera nostris
Sibilet in tumulis, & super ossa cubet.
——— si fallo, pœna sororum;
Infelix humeros urgeat urna meos.

Atque etiam impeti solita lapidibus sepulcra infestorum hominum,

hominum, ac pedibus calcari cum execrationibus, & maledictis. Veluti cùm apud Euripidem [p] Electra Agamemnonis filia conqueritur de Ægistho adultero;

——— insultat sepulchro,
Saxísque pulsat lapideum monumentum patris.

Et Propertius [q]:

Quisquis amas, scabris hoc bustum cædito saxis,
Mistáque cum saxis adiice verba mala.

(quæ longè fuit alia Lapidatio, quàm quæ fiebat ex humanitate cadaveribus insepultis, de quâ superiùs.) Et [r]

Exagitet nostros manes, sectetur & umbras,
Insultétque rogis, calcet & ossa mea.

Et frequenter apud alios.

IV. TERRÆ LEVIS PRECATIO.

Sicuti econtra, quibus benè volebant *terram levem* seu *tenuem, teneram, mollem, mitem, sine pondere, non gravem, non onerosam, facilem*, precabantur: ut longâ testimoniorum [s] tam Latinorum, quàm etiam Græcorum (quibus κούφη γῆ hoc sensu communis erat vulgi locutio) serie probatu est facile. Idque est, quod in innumerabilibus sepulchrorum monumentis scriptum extat literis initialibus. S. T. T. L. vel etiam verbis extensis per eas significatis: *Sit tibi terra levis.* Utrumque ritum tetigit Euripides [t], ubi Menelaum introducit dicentem;

——— si sunt dij sapientes,
Virum fortem interfectum ab inimicis
Circumtegunt levi terrâ in sepulchro.
In ignavos verò solidum, (seu durum) *terræ acervum iniiciunt.*

Sed expressiùs Tertullianus [u], hinc etiam testimonium animæ adversus Gentiles advocans; *Quid quòd ut sentienti maledicis, cuius memoriam cum alicuius offensæ morsu facis. Terram gravem imprecaris, & cineri penes inferos tormentum: æquè ex bonâ parte, cui gratiam debes, ossibus, & cineribus eius refrigerium comprecaris, & ut benè requiescat apud inferos cupis.* Quæ ultima formula cùm apud alios [x] haud sit infrequens, tum illam habet Tacitus in Vitâ Agricolæ: *Si quis piorum manibus locus, si ut sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnæ animæ, placidè quiescas.*

[p] In Electr.
[q] 4. eleg. 5.
[r] 2. eleg. 7.
[s] Virg. eclog. ult. Ovid. 3. amor. 8. & 5. trist. 3. & in ep. Didûs: Tibul. 2. eleg. 4. & 7. Propert. 1. eleg. 17. Iuven. Saty. 7. Pers. sat. 1. Mart. 5. epigr. 36. & 6. epigr. 51. & 9. epigr. 30. Sen. trag. Troad. act. 3. &c. Antholog. lib. 3. cap. 1. 6. 9. 13. 29. 30. Eurip. in Alcest. Iulian. Aug. ep. 21. ad Hermog. Suid. verb. κούφη. &c.
[u] De testim. anim. cap. 4.
[x] Ovid. 3. amor. 8. in fi. Tibul. 2. eleg. 4. &c.

Et M. Valerius Probus antiquus Grammaticus, in libello de Notis Romanorum interpretandis, observat has literas H. R. I. P. significare, *Hic requiescit in pace.* ut ferè Christianos expressisse videatur, quorum primordiis vixit. quamvis & aliàs reperiantur [y] eædem formulæ verè usurpatæ Gentilibus; vel etiam O. B. Q. hoc est, *ossa benè quiescant*, & aliæ eiusmodi: Sicuti & cũ defunctorum mentio facienda erat, ne illorum memoriam lædere aliquo modo viderentur, *Bonos* illos, aut *Beatos* nuncupare consueverant [z]. Unde & Christianis *Bonæ*, vel *Felicis memoriæ*, locutiones. quæ & Gentilibus usurpatæ reperiuntur, & in pluribus monumentis duobus hisce elementis B. M. designatæ.

[y] Vid. Gruter. in Inscript. Indic. cap. 16.

[z] Plin. lib. 28. cap. 2. Plin. Sec. 1. ep. 18. Plutar. Rom. problem. 52.

CAPUT IX.

De Privatione Sepulturæ IUDÆORUM, *à Gentilibus.*

I. ET hæc quidem cùm inter ipsos Gentiles, omnes plurium deorum cultores, locum habuerint; quid putamus ab iisdem observari solitum adversus contrariæ Religiones professores, Iudæos, & Christianos? De Iudæis illustre est in sacrâ Scripturâ exemplũ Philisthæorum [a], qui devicto Saüle primo Israëlitarum Rege, eiusdem ac filiorum in prælio occisorum cadavera sepulturâ privantes, suspenderunt in muro oppidi Bethsan. Nec id fecisse tam ut hostium, quàm ut diversæ religionis virorum, satis Scriptura indicat; dum ait Philisthæos posuisse arma Saülis in templo Astaroth; caput autem misisse per circuitum, ut annunciaretur in populis, & in templo idolorum suorum. quibus scilicèt illam victoriam, in dedecus Dei Israëlitarum, eiúsque cultorum tribuebant. Illustrius verò, Sennacheribi [b] Assyriorum Regis; qui cùm statim à regni sui principio, Israëlitas captivitate detentos, odio eorum religionis affligere cœpisset; demúmque post acceptam divinitùs in Iudæâ plagam, eosdem tamquam in vindictam, & invidiam eorum

[a] 1. Reg. 31.

[b] Tob. 1. & 2.

Dei, acerbiùs persequeretur, multósque perimens insepultos abiiceret: audito quòd Tobias eorum sepulturam solicitè curaret; novâ iracundiâ exardescens, iussit eum occidi, & tulit omnem substantiam eius: ipséque Tobias coactus est latebras quærere, usque ad eiusdem Sennacheribi necem. Cúmq; sæviente rursū sub Rege Asaraddon in Israëlitas persecutione, idem Tobias magis instaret sepulturæ eorū qui occidebantur; iam etiā & ipsimet proximi eius, metu perterriti interdicti regij, cœperūt arguere illum, quòd qui eius rei causâ interfici iussus esset, ac vix effugisset mortis imperium, iterùm sepeliret mortuos. Qui tamen plus timens Deum, quàm Regem, minimè desiit rapere corpora occisorum, & occultatos in domo suâ mediis noctibus sepelire ingenti vitæ suæ periculo. Sic item quod Rex David spiritu prophetico longè antè præviderat [c], futurum ut ponerentur morticina servorum Domini escæ volatilibus cæli, & carnes sanctorum (hoc est, hominum Deo sanctificatorum per fidei professionem) bestiis terræ, neque exiturum qui sepeliret: hoc tum in aliis sæpè Hebræis, cùm exertus est in eos variis temporibus gladius persecutionis; tum maximè in iis impletum est, quos furor Antiochi Epiphanis, (quem ob monstrosam sævitiam multi Epimanem vocârunt) & aliorum Regum Syriæ infidelium, sustulit Machabæorum ætate; quos insepultos abiici consuevisse, testatur sacra eorum historia [d]. Eóque etiam pertinet querela Philonis, quam aliàs vidimus, de laceratis ita ab Alexandrinis sub Flacco Ægypti Præfecto Iudæorum cadaveribus, ut ne ad sepulturam quidem ullum membrum fieret reliquum. Quippe licèt non essent tum ampliùs Hebræi populus Dei; tamen extra dubium est, præstitisse hoc Alexandrinos ex odio, quo prosequebantur eorum à suâ alienam Religionem. Nec deerunt plures eiusmodi Hebræorum querelæ, & testimonia, tam in sacrâ Scripturâ, quàm aliis auctoribus, perquirere volentibus: quæ nos levi gradu prætermimus, ut paulò diutiùs cum CHRISTIANIS, causâ fidei à Gentilibus eadem patientibus, compatientes fratribus subsistamus.

[c] *Psalm.* 78.

[d] 1. *Machab.* 7. & lib. 2. cap. 5. & 9.

CAPVT X.

De Privatione Sepulturæ CHRISTIANORUM *à Gentilibus.*

SED quis genera pœnarum dinumeret, quibus illi ab immanissimis Persecutoribus affecti, eâdem & operâ privati sepulturâ sunt?

Non [e] mihi si linguæ centum sint, oráque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possim.

Rerum enim immensitas omnem fermè superat hyperbolem. Quis enim Martyres recenseat, Ignibus traditos, Aquis demersos, Cloacis iniectos, Crucibus suffixos, Arboribus suspensos, Culeis insutos, Uncis tractos, Bestiis obiectos, Avibus expositos; aliisque propemodùm infinitis crudelissimorum suppliciorum [f] generibus dilaniatos, discerptos, dissipatos, distractos, concisos, contritos, contusos, pulveratos, cinefactos, consumptos, ac veluti ad nihilum redactos, ne terræ mandari ritu Christiano possent? Plenæ sunt his tam Fidelium, quàm Infidelium historiæ. Quid quòd & plurimi vivi in profundas fossas iniecti reperiuntur [g], & vel terrâ, aut lapidibus obruti, vel cingulo tenùs defossi; ut etiam sepultura eis esset ad pœnam, quæ deferri consuevit ad requiem? Quid denique quòd & eò progressa est nonnullorum Persecutorum rabies, ut & quorumdam Christianorum carnes [h] feraliter depasti sint; viva ipsi facti, sed plusquàm ferina sepulcra eorum, quibus mortuis sepulturam inviderent? Ut planè observatione dignissimum censeamus, nullum fuisse sepulturæ genus Ethnicis quibuscumque, quantumlibèt barbaris, aliquando in usu; quod non qui politiores, atque prudentiores videri voluerunt, plusquàm barbarè in Christianos usurpârint, ne sepulturam consequerentur.

[e] Virg. Æn. 6.

[f] Vid. tract. Ant. Gallon. de Cruciat. Mart.

[g] In Vit. S. Sebast. ap. Sur. 20. Ian. In Marcel. 4. Sept. Martyrol. & Menolog. 21. Novembr. &c.

[h] Theodor. 3. hist. 6.

Cuius assertionis præter ista, & alia pluscula, quæ iam superiùs testimonia retulimus, occasione solicitudinis veterum Christianorum in exhibendâ etiam cum propriæ vitæ discrimine sepulturâ Martyribus, quam Persecutores prohibebant; habentur & alia apud Eusebium. Dum imprimis ex Actis Smyrnensis Ecclesiæ refert [i], Gentiles & Iudæos curiosè observâsse, ne S. Polycarpi, Persecutione M. Aurelij pro Christo occisi, partem aliquam Christiani obtinerent: & quò eius rei spes omnis eis præcideretur, Gentilem Centurionem à Iudæis magnoperè rogatum, *martyris corpus in medio poni, & more Gentium igne comburi iussisse.* Itémque cùm ex literis [k] Ecclesiarum Viennensis & Lugdunensis, de iis qui eâdem Persecutione ibi passi sunt, hæc narrat: *Corpora eorum quos carceris pestifer odor & cruciatus suffocaverat, canibus laceranda obiiciunt: studioséque nocte & die observant, ne quisquam è nostris illa tumulis mandet: sed & martyrum in amphitheatro interfectorum membra, quæ nec bestiæ vorârant, nec ignis absumpserat, partim minutatim dilaniata, partim instar carbonum ambusta; quin etiam securi percussorum capita, unà cum truncis corporum collecta, dies complures similiter excubiis militum insepulta custodiunt,* &c. *Et quidem quæ ad Gentilium crudelitatem pertinebant, ita se habebant: quæ autem ad nos videbantur sanè magnum propterea mœrorem in se complecti, quòd martyrum corpora humo tegendi nulla dabatur facultas: neque enim nox ad hanc rem aliquid afferre præsidij, neque magna pecuniæ vis eorum animos flectere, neque preces ullâ ex parte placare poterant: sed nullâ non ratione & viâ, corpora illa erant assiduè ab illis observata: & id quasi in magno lucro deputatum, si penitùs inhumata iacerent. Itaque sex dies continuos sub dio iacentia, & maximâ ignominia affecta, pòst ab impiis illis & facinorosis carnificibus exusta, ínque cineres redacta, in Rhodanum fluvium sparsa sunt, quò nulla illorum reliquiæ ampliùs super terram restarent.* Sicut & posteà Firmilianus Palæstinæ Præses sub Galeriis Maximiano & Maximino, *immanitate longiùs progrediens* (inquit idem Eusebius [l]) *& rabiem propè belluinam contra pios in dies adaugens, adeò extra naturæ leges penitùs egressus est, ut inanimis*

II. SOLLICITUDO GENTILIUM, NE CHRISTIANI SEPELIRENTUR.

[i] 4. hist. 14.

[k] 5. hist. 1

[l] 8. hist. 19.

CAPUT X.

De Privatione Sepulturæ CHRISTIANORUM *à Gentilibus.*

SED quis genera pœnarum dinumeret, quibus illi ab immanissimis Persecutoribus affecti, eâdem & operâ privati sepulturâ sunt?

Non [e] mihi si linguæ centum sint, oráque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possim.

Rerum enim immensitas omnem fermè superat hyperbolem. Quis enim Martyres recenseat, Ignibus traditos, Aquis demersos, Cloacis iniectos, Crucibus suffixos, Arboribus suspensos, Culeis insutos, Uncis tractos, Bestiis obiectos, Avibus expositos; aliisque propemodùm infinitis crudelissimorum suppliciorum [f] generibus dilaniatos, discerptos, dissipatos, distractos, concisos, contritos, contusos, pulveratos, cinefactos, consumptos, ac veluti ad nihilum redactos, ne terræ mandari ritu Christiano possent? Plenæ sunt his tam Fidelium, quàm Infidelium historiæ. Quid quòd & plurimi vivi in profundas fossas iniecti reperiuntur [g], & vel terrâ, aut lapidibus obruti, vel cingulo tenùs defossi; ut etiam sepultura eis esset ad pœnam, quæ deferri consuevit ad requiem? Quid denique quòd & eò progressa est nonnullorum Persecutorum rabies, ut & quorumdam Christianorum carnes [h] feraliter depasti sint; vivæ ipsi facti, sed plusquàm ferina sepulcra eorum, quibus mortuis sepulturam inviderent? Ut planè observatione dignissimum censeamus, nullum fuisse sepulturæ genus Ethnicis quibuscumque, quantumlibèt barbaris, aliquando in usu; quod non qui politiores, atque prudentiores videri voluerunt, plusquàm barbarè in Christianos usurpârint, ne sepulturam consequerentur.

[e] Virg. Æn. 6.

[f] Vid. tract. Ant. Gallon. de Cruciat. Mart.

[g] In Vit. S. Sebast. ap. Sur. 20. Ian. In Marcel. 4. Sept. Martyrol. & Menolog. 22. Novembr. &c.

[h] Theodor. 3. hist. 6.

II. SOLLICITUDO GENTILIUM, NE CHRISTIANI SEPELIRENTUR.

Cuius assertionis præter ista, & alia pluscula, quæ iam superiùs testimonia retulimus, occasione solicitudinis veterum Christianorum in exhibendâ etiam cum propriæ vitæ discrimine sepulturâ Martyribus, quam Persecutores prohibebant; habentur & alia apud Eusebium. Dum imprimis ex Actis Smyrnensis Ecclesiæ refert [i], Gentiles & Iudæos curiosè observâsse, ne S. Polycarpi, Persecutione M. Aurelij pro Christo occisi, partem aliquam Christiani obtinerent: & quò eius rei spes omnis eis præcideretur, Gentilem Centurionem à Iudæis magnoperè rogatum, *martyris corpus in medio poni, & more Gentium igne comburi iussisse.* Itémque cùm ex literis [k] Ecclesiarum Viennensis & Lugdunensis, de iis qui eâdem Persecutione ibi passi sunt, hæc narrat: *Corpora eorum quos carceris pestifer odor & cruciatus suffocaverat, canibus laceranda obiiciunt: studioséque nocte & die observant, ne quisquam è nostris illa tumulis mandet: sed & martyrum in amphitheatro interfectorum membra, quæ nec bestiæ voràrant, nec ignis absumpserat, partim minutatim dilaniata, partim instar carbonum ambusta; quin etiam securi percussorum capita, unà cum truncis corporum collecta, dies complures similiter excubiis militum insepulta custodiunt,* &c. *Et quidem quæ ad Gentilium crudelitatem pertinebant, ita se habebant: quæ autem ad nos videbantur sanè magnum propterea mœrorem in se complecti, quòd martyrum corpora humo tegendi nulla dabatur facultas: neque enim nox ad hanc rem aliquid afferre præsidij, neque magna pecuniæ vis eorum animos flectere, neque preces ullâ ex parte placare poterant: sed nullâ non ratione & viâ, corpora illa erant assiduè ab illis observata: & id quasi in magno lucro deputatum, si penitùs inhumata iacerent. Itaque sex dies continuos sub dio iacentia, & maximâ ignominia affecta, pòst ab impiis illis & facinorosis carnificibus exusta, ínque cineres redacta, in Rhodanum fluvium sparsa sunt, quò nullæ illorum reliquiæ ampliùs super terram restarent.* Sicut & posteà Firmilianus Palæstinæ Præses sub Galeriis Maximiano & Maximino, *immanitate longiùs progrediens* (inquit idem Eusebius [l]) *& rabiem propè belluinam contra pios in dies adaugens, adeò extra naturæ leges penitùs egressus est, ut inanimis*

[i] 4. hist. 14.
[k] 5. hist. 1.
[l] 8. hist. 19.

sanctorum virorum corporibus sepulturam impudens invideret: & propterea cadavera sub dio, ut à bestiis dilaniarentur, noctu assiduè & interdiù, non exiguo hominum numero servari praecepit: quin etiam alij ex speculis & locis editis, tamquam operae pretium facturi, ne cadavera surriperentur sedulò observabant. Itaque agrestes bestiae, canes & aves carnivora membra discerpserunt humana, eáque huc illuc disperserunt: & tota civitas undique visceribus, ossibúsque hominum constrata fuit. Et in Persecutione Diocletiani Romae Pontifex Marcellinus, exurgens à gravi casu, in quem Diocletiani fraude impulsus fuerat, (si tamen cecidit, & non potiùs commentum hoc fuit haereticorum:) & eiusdem se fortiter impiae immanitati obiiciens; postquàm propterea capite, unà cum martyrij sociis truncatus est, *iacuerunt*[m] *corpora sancta in plateà ad exemplum Christianorum diebus triginta sex ex iussu Diocletiani:* donec Marcellus presbyter collegit ea noctu, ac sepelivit. Et Tyri[n] Phoeniciae quidam martyres gladio necati, *marinis fluctibus sepulchrorum loco mandati* sunt.

[m] *Anastas. de Vit. Pontiff.*

[n] *Euseb. 8. hist. 7.*

III.

CUSTODUM CORPORUM NEGLIGENTIA MORTE PUNITA.

Quantâ verò severitate providerent, ne corpora Christianorum auferrentur ad sepulturam, praeter relata modò ex Historiâ Eusebij exempla, aliáque eiusmodi plurima, docet unum eâdem Persecutione Diocletiani; decem militum, custodiae quorumdam Martyrum [o] Tarsensium deputatorum: quos terrae motu, ac tonitruis & fulguribus, magnâque imbrium tempestate, à custodiâ tantisper abscedere divinitùs coactos, dum reliqui Christiani martyrum corpora furtim subtraherent; Praeses re cognitâ, nullâque acceptâ necessitatis excusatione, neci tradidit. Eò sanè magis, quòd & moribus receptum esset, ut qui ad custodiam cadaverum punitorum, quorum poenae ad exemplum pertinebant, constituebantur ne auferrentur ad sepulturam; (quod praecipuè in cruci [p] affixis servabatur) si per eorum incuriam detraherentur, merces esset mortis supplicium. Ut vel ex milite Petroniano [q] intelligitur; qui deputatus ad cruces latronum servandas, ne quis ad sepulturam corpora detraheret; cùm manè vidisset unam sine cadavere crucem, veritus

[o] *Ext. Acta ap. Baron. to. 2. an. 290.*

[p] *Plut. in Cleom in fi. Petron. in Satyr.*

[q] *Id. Petron. ibid.*

ſupplicium, haud ſe expectaturum Iudicis ſententiam ſignificavit, ſed proprio gladio ius dicturum ignaviæ ſuæ.

IV. Rigor denegationis sepulturæ Christianorum.

Ceterùm ad invidiam ſepulturæ Chriſtianorum reſpicere etiam videtur, quod Lampridius[r] ait, Commodum Imp. *vendidiſſe ſuppliciorum diverſitates, & ſepulturas, & imminutiones malorum.* Quamvis enim & hæc de Gentilibus ipſis à ſæviſſimo Commodo neci traditis, quos ſepulturâ privare moris erat, accipi poſſint; præſertim cùm auctore Euſebio conſtet, non ſolùm Commodum nullam excitâſſe in Chriſtianos perſecutionem, ſed etiam pœnas in delatores eorum decreviſſe: tamen & Chriſtianis quoque eadem competere, ſatis declarant quæ diximus in eorum cadavera factitari ſolita. Maximè ſi Tertullianum adhibeamus; qui tractatu[s] de fugâ tempore Perſecutionis indicat, iis temporibus Dei Eccleſiam pacem redemiſſe, tributum fiſco pendendo, ut tutò agerent Chriſtiani: etiamſi hunc uſum tunc noviter inventum, & licitè uſurpatum, ipſe Tertullianus, qui iam Montani venenum ebiberat, & cum ipſo docebat non eſſe fugiendum tempore perſecutionis, eo ſcripto improbaverit. Galerius quoque Maximianus, unus è Diocletiani collegis, cùm audiſſet quoſdam è ſuis domeſticis, ad dignitates & divitias à ſe evectos, fidem Chriſti ſuſcepiſſe; inter alia minacia verba, quibus eos metu pœnarum ad cultum idolorum revocare tentavit: *Non*[t] *per deos immortales* (inquit) *non vobis parcam: ſed cùm omne genus ſupplicij vobis intulero, & carnes conſumpſero, & oſſa contrivero, & igne combuſſero, relinquam inſepultos, à canibus & avibus comedendos; & vos ipſos puniens pro meritis, & aliis metum incutiens, ne talia aggrediantur.* Déque totâ illâ Perſecutione Diocletianâ Lactantius[u]: *Quis Caucaſus, quæ India, quæ Hyrcania, tam immanes, tam ſanguinarias umquam beſtias aluit? Quoniam ferarum omnium rabies uſque ad ventris ſaturitatem furit, faméque ſedatâ protinùs conquieſcit. Illa eſt vera beſtia, cuius unâ iuſſione*

Funditur ater ubique cruor; crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago.

Nemo huius tantæ belluæ immanitatem poteſt pro merito deſcri-

[r] In Commod cap. 14.

[s] Cap. 13.

[t] Act. Mart. Micqm. apud Metaphr 26. Dec.

[u] Lib. 5. cap 11.

bere; quæ uno loco recubans, tamen per totum orbem dentibus ferreis sævit, & non tantùm artus hominum dissipat, sed & ossa ipsa comminuit, & in cineres furit, nequis extet sepulturæ locus. Quænam illa feritas, quæ rabies, quæ insania est, lucem vivis, terram mortuis denegâsse? Ac denique generatim de omnibus Gentilibus queritur Ambrosius [x]; eos direptis Christianorum omnium facultatibus, *ipsos vitales anhelitus invidisse, & nullis usquam negatam defunctis, inhibuisse supremæ commercia sepulturæ.* Ut omittam hîc repetere, (quod tamen ad rem valdè facit, sed aliâ occasione iam superiùs tractavi locupletiùs) quandocumque Imperatores persecutionem in Christianos excitabant, ante omnia consuevisse Cœmeteriorum usu eis interdicere. Hæcque nunc pauca de multis sufficiant, quibus diserta fit mentio negationis sepulturæ. Plura namque

Animus [y] meminisse horret, luctúque refugit.

[x] *Ep. ad Valent. Imp. cont. Symmach.*

[y] *Æneid. 2.*

V. QUÆ IN HIS MENS GENTILIUM.

Cùm & alioqui quis dubitet Christianos, alterius Religionis homines, cùm omnis impietatis, atque omnium gravissimorum scelerum rei haberentur, post damnationem iis pœnis subiici consuevisse à Gentilibus, quibus iidem Gentiles suos sontes, non iam superstitionis aut religionis, sed solùm civilium criminum nomine damnatos afficere consueverant; quos receptis legibus ac consuetudinibus minimè sepelire licuisse vidimus? Et quamvis nullæ fuissent eiusmodi leges, aut consuetudines, nullibique expressa fieret mentio denegatæ Christianis sepulturæ; quis non per se videat, nec etiamsi maximè cupitum fuisset, potuisse corporibus adeò miserè ac miserabiliter bestiis aut elementis ad omnimodam consumptionem expositis, aliquam sepulturam exhiberi; aut si demùm ullæ nonnullorum reliquiæ reliquæ essent, eas nisi furtim colligi, & absque ullis sacrarum ceremoniarum solemnibus clàm terræ mandari? Adeò videlicèt medullitùs inhæserat Gentilibus credulitas sanctitatis avitæ suæ religionis, & impietatis peregrinæ (ut loquebantur) Christianæ superstitionis; ut quæsitissimis pœnis afficere quos eo nomine invisos habebant, magnæ pietati ducerent. Non quidem eo damnandi, quòd hæc in contrariæ Religionis

gionis homines præstarent; (quod etiam à fidelibus probè iusteque factitatum videbimus:) sed quòd voluntariâ malitiâ, aut supinâ nimis ac crassâ negligentiâ, divinæ fidei placita, & vitæ fidelium instituta audire detrectarent; quæ audientes damnare non possent: ut cum Tertulliano [z] ceteri pariter Apologeticorum scriptores questi sunt adversùs Gentilium iniustitiam, quâ inauditam & incognitam Christianorum sectam damnabant. Inter quos Clemens [a] Alexandrinus: *Quamvis non faciamus iniuriam, tamquam tamen facientes iniuriam nos intuetur Iudex: neque enim nostra novit, nec vult scire; sed quodam inani præoccupatus abripitur præiudicio, secundum quod etiam iudicatur. Nos ergo persequuntur, non ut qui nos esse iniustos deprehenderint, sed quòd nos vitæ humanæ iniuriam facere existiment, eò quòd simus Christiani.*

[z] *Apol. in pr.*

[a] *Strom. 4.*

VI. HÆRETICI NEQUAQUAM INTER MARTYRES RECENSENDI.

Eo tamen numero vesanus Manes eximendus; qui neque ex Christianis prodiit, nec Christianis adhæsit umquam, etiamsi putidissimam hæresim in Christianam Ecclesiam invexerit: quem non fidei causâ, sed scelerum pœnâ, & in vindictam necati [b] filij Regis Persarum; quem pravus impostor oratione à morbo liberandum susceperat, qui medicorum arte, quos ipse fastuosè removit, sanari poterat, excoriari Rex iussit; & corpore bestiis devorando tradito, cutem tamquam utrem præ foribus suspendi. Eximendus item Georgius ille nefandissimus Arianus Cappadox; quem malum genere, animo peiorem, moribus pessimum, (ut eum describit gentilis eius Gregorius [c] Nazianzenus) impij Ariani sub Constantio Imp. è duce militum, invasorem sedis Alexandrinæ, pulso Athanasio, constituerunt. qui quidem, postquàm Ecclesiâ illâ dirissimè vexatâ, Gentilium etiam variis aliis de causis infensissimum in se odium concitâsset; ab iis raptus, diversisque mulctandi generibus protritus & conculcatus, exanimatus est; ac dilaniatum cadaver invectum ad lacus, eiusdémque subitò cremati cineres proiecti in mare; uti scribit Ammianus [d]. Quamvis enim hæc passus ab Ethnicis fuerit; quòd tamen nec causâ fidei, nec in communione Ecclesiæ Catholicæ; haud pœ-

[b] *Cyril. Ierosol. catech. 6. Epiph. hær. 66.*

[c] *Orat. in laud. Athan.*

[d] *Lib. 22.*

nam sceleribus debitam ei prodesse potuisse ad vitam æternam, & titulum martyris consequendum, Epiphanius[e] eius scelera recensens observavit.

[e] Hær. 76.

VII.

Ut frustrà adiecerit Ammianus, id Gentilium turbam egisse, *metuentem ne collectis supremis ædes illi extrueretur, ut reliquis, qui deviare à religione compulsi, pertulère cruciabiles pœnas adusque gloriosam mortem intemeratâ fide progressi, qui Martyres appellantur.* Cùm omninò certum sit, nequaquàm extra Ecclesiæ communionem martyrium esse: & ut sæpè clamat Cyprianus[f], occidi quidem ibi posse, coronari non posse. Et alioqui sciamus, fuisse hanc omnium Gentilium in Persecutionibus familiarem contestationem, se ideò Martyrum corpora igni tradere, aut in profundum aquarum demergere, vel etiam occultare, ne Christiani eos in monumentis, (ut facere consueverant) veneratione prosequerentur. Huiusmodi enim contestationem habent Acta[g] Martyrij S. Clementis, sub Traiano; S. Polycarpi[h], sub M. Aurelio; Martyrum[i] Nicomediensium, & S. Sebastiani[k], sub Diocletiano; & aliorum sæpè in Historiâ Ecclesiasticâ. Hoc videlicet per eos, quantum eis possibile fuit, caventibus spiritibus immundis, ne per cineres Sanctorum augerentur beneficia mortalium, confunderetur pertinacia infidelium, & detegeretur dolositas ipsorum: ut scribit Ionas[l] Aurelianensis. Eádémque de causâ consuevisse pariter nonnullorum corpora, quos in theatro confecissent, cum corporibus gladiatorum extinctorum commiscere, ne internoscerentur: (ut factum est in prædictis Martyribus Tarsensibus:) vel etiam combustorum ossa, ossibus asinorum & camelorum in sterquilinio confundere; sicuti accidit sub Iuliano Martyribus[m] Gazensibus. Denique eò vafritiei processerunt etiam nonnulli, ut in longinqua loca, ubi qui plectendi erant Christiani non cognoscerentur, mitterent, ne possent à propinquis & amicis sepeliri. Sic enim in Actis[n] S. Eustratij & sociorum, qui passi sunt in Armeniâ sub Diocletiano, traditur, Lysiam ex oppido Sataleon sub tutissimâ custodiâ vinctos ad Agricolam mittere consuevisse Sebasten, ut ab illo de medio tollerentur, ne eorum cognati & necessarij ullam eorum

PRIVABANT GENTILES SEPULTURA MARTYRES, NE VENERATIONI EORUM RELIQUIÆ ESSENT.

[f] Ep. 52. 57. 73. & de unit. Eccl.
[g] Ex Metaph. 23. Dec. ap. Baron. tom. 2. an. 102.
[h] Ap. Euseb. 4. hist. 14.
[i] Id. 8. hist. 6.
[k] Ap. Sur. 22. Januar.
[l] De cult. Imag. lib. 1.
[m] Sozom. lib. 5. cap. 8.
[n] Ap. Metaph. & Sur. 13. Dec.

curam gerere possent, aut iusta facere eorum corporibus: paritérq; Agricolam alios transmittere ad Lysiam. Quasi verò id affectent, (ut respondit Gentilibus, de hâc eâdem re agens Lactantius [o]) qui Deum confitentur, ut ad eorum sepulchra veniatur; ac non ut ipsi ad eum perveniant. Sed plurima eiusmodi alia prætermittentes; dimissis haud invitè Gentilibus, instituto semel ordine, Iudæorum eâdem de re sanctiora perquiramus Iura: ad sanctissima Christianorum inde transituri; quorum doctrina cælitùs inspirata, in diiudicandis alienarum sectarum erroribus, & proponendis fidei ac morum documentis, nec falli potest, nec fallere.

[o] Lib. 5. cap. 11.

LIBER II. PARS II.

De IUDÆORUM *&* CHRISTIANORUM *propriis Sepulchris; & Privatione Sepulturæ.*

CAPUT I.

De IUDÆORUM *Monumentis.*

I. SICUT aliis Gentibus, ac Religionibus, ita & Iudæorum genti ac Religioni fuisse loca Sepulturæ distincta; & vel propria singulis familiis, vel communia plebi; Regúmque alia, alia nobilium, quædam peregrinorum; ac denique separata reorum; (ut scilicèt quibus in vitâ non eadem erat societas, aut idem locus constitutus, iis nec esset post obitum:) iam superiùs aliâ occasione, Scripturarum auctoritate satis pro causæ necessitate probavimus. Refertúrque [a] prætereà ex Rabbi Samuele ben-Meir, priscis Iudæis fuisse in more, ut non sepelirentur singuli separatim à suis; sed tota familia in speluncâ unâ, conditis singulis corporibus in separatis

[a] Casaub. Exer. 11. 16. in Baron. num. 98. 99.

foraminibus: ac propterea consuevisse singulos patres familiâs, si proprium monumentum sibi & suis non accepissent à parentibus, pretio locũ sibi parare in eum usum. Itémque ex Talmudo [b], fuisse hoc ius apud Iudæos, ut si quis monumentum ab aliquo emere vellet, aut locare faciendum, venditor aut manceps operæ teneretur cavernam in petrâ excavare quatuor cubitorum supra sex, hoc est longam sex, latam quatuor cubitos: in eâ autem cavernâ, octo vel plura cavanda fuisse foramina ad singula corpora reponenda; & ante os speluncæ faciendum fuisse atrium. Quæ eadem habentur apud Mosen [c] Ægyptium. Magnum autem solatium iis quoque fuisse, in suis aut patriis sepulchris sepeliri, & contrà molestissimũ iis privari; omniúmq; gravissimũ animadversionis genus, sepulturæ spoliari honore, & inhumatum iacere; quid mirum? si & ipsis officium Sepulturæ sanctũ, & Monumenta sacra religiosáq; extitisse, ac propterea præcipuã habuisse honestæ sui suorúmq; sepulturæ curam viderimus. Sanè (ut piè argumentatur August. [d]) *si nonnulla religio est, ut quis sepeliatur; non potest nulla esse, quando ubi sepeliatur attenditur.*

b Par. 4. lib. 3. cap. 6.

c In Iad. lib. 12. sect. Mecara. cap. 21.

d De cur. pro mort. ag. cap. 4.

II. CAUSÆ COMMUNIONIS SEPULCHRI.

Ut autem in votis habuerint omnes populi, omnésque Religiones, ut cum suis vel patribus, vel coniugibus, vel propinquis, & charis, iisdem conderentur tumulis; fuit hæc quidem ratio universalis, ut sic inter illos tantã fuisse necessitudinem & charitatem demonstrarent, ut eam ne ipsa quidem mors dirimeret. *Sed si hæc faciunt* (sicut idem argumentari pergit Augustinus [e]) *qui carnis resurrectionem non credunt, quanto magis debent facere qui credunt? ut corpori mortuo, sed tamen resurrecturo, & in æternitate mansuro impensum eiusmodi officium, sit etiam quodammodo eiusdem fidei testimonium.* Est enim alia potior ratio istiusmodi communionis sepulchri; Infidelibus quidem perobscurè visa, Fidelibus autem clarè cognita: ut scilicèt tacita quædam professio sit coniunctionis animarum post hanc vitam. Ut quamvis non rarò fiat, ut quorum tenet idem sepulchrum corpora, eorum animas diversissima capiant alterius sæculi loca; quasdam quidem cælum, quasdam tartarus: attamen quòd hoc plerumque incertum sit hominibus; ac vix reperiatur moriturus aliquis, qui nolit videri mori in

e Ibid. cap. ult.

religione, fide, ac pietate maiorum, eorúmve cum quibus necessitudine, vel sanguine, aut amicitiâ, charitatéq; cõiuncti vixerunt; eũdémq; sperare futurę vitę, ac beatitatis locum: inde est, ut vel ipsimet morituri iisdem optent cum illis contineri sepulchris, ne videantur ab iis animo seiuncti fuisse; vel mortuorum vice, qui eorum sepulturæ curam gerunt, id ipsum illis, iisdem de causis præstent. Sicut econtrà, qui apertè visi sunt à maiorum fide ac pietate desciscere, & à propinquorum aut necessariorũ charitate segregari; eosdem æquum fuit illorum quoque privari sepulchrorum communione, quæ non nisi eiusdem fidei & charitatis hominibus competit: ut vel huius ignominię, ac veluti excommunicationis metu perterriti superstites, discant pietati ac virtuti fideliter insistere, errorésque ac vitia solicitè defugere: ipsísque etiam flagitiosis & criminosis dolor è futuro malo infligatur aliquis, dum iis significatur, eorum contumeliosè tractanda, laceranda, & dilanianda corpora. Quoniam (ut idem argumentatur Augustinus [f]) ex illo humani cordis affectu, quo nemo [g] umquam carnem suam odio habet, si cognoscant homines aliquid post mortem suam suis corporibus defunctis defuturum, quod in suâ cuiusque gente, vel patriâ, poscit solemnitas sepulturæ, contristantur; & quod post mortem ad eos non pertinet, ante mortem suis corporibus timent. Cùm alioqui eo solo quòd ipsum sepulturæ simpliciter in se consideratæ officium, sacrum esse ac religiosum viderimus; manifestos autem impios & nefarios, indignos esse penitùs qui rebus sacris & religiosis communicent, visuri sumus: inde omninò sequatur, eosdem impios & nefarios non solùm non esse recipiendos in sacra maiorum monumenta, sed nec planè sepulturâ donandos; verùm aut bestiis terræ, aut volucribus cæli, aut piscibus maris, ignominiosè obiiciendos, vel igne comburendos: quia sicut *pretiosa [h] in conspectu Domini mors sanctorum eius*, ita *peccatorum [i] pessima*: & sicut *oculi Domini super iustos*, ut salvet & custodiat eos, *sintque in [k] memoriâ æternâ*; ita *vultus [l] Domini super facientes mala, ut perdat de terrâ memoriam eorum.*

[f] Ibid. cap. 7.
[g] Ephes. 5.
[h] Psalm. 115.
[i] Psalm. 33.
[k] Psalm. 111.
[l] Psalm. 33.

CAPVT II.

De IUDÆORUM *Sepulturæ usu, tam erga suos, quàm extraneos, & nefarios.*

I. SED ut propiùs ad praxim IUDÆORUM accedamus; quod spectat communionem sepulchrorum; omissis frequentibus illis in sacrâ Scripturâ loquendi modis, *Dormivit cum patribus suis, Appositus* vel *Congregatus est ad patres suos,* vel *ad populum suum,* & aliis similibus; quibus non tam maiorum sepulcra intelligi aliàs diximus, quàm communicationem statùs animarum in futuro sæculo, sive felicis, sive infelicis: tot sunt alia ibidem testimonia eorum, qui sepulti dicuntur in sepulchris suis, (hoc est, quæ sibi suísque confecerunt, vel acquisierunt) aut patrum maiorúmque suorum; ut meo, lectorísque nimiùm abutar otio, si ea colligere voluero, quæ nuspiam non spontè occurrunt. Quà de re Ambrosius [m]: *Cognoscitur, non illud otiosè scriptum esse, sed perpensè atque examinatè, quod legimus in Regnorum libris: Et appositus est ad patres suos. Intelligi enim datur, quòd patrum similis fuerit fide. Unde claret, non ad sepulturam corporis, sed ad consortium vitæ relatum.* Quanti autem id fieret, quantíque insuper momenti esset sepulchrorum discriminatio, ac sepulturæ privatio; tum satis Spiritus ipse sanctus declarâsse videtur, cùm Scribis suis atque Notariis adeò disertè exprimendum dictavit, qui defuncti in suis, paternísve, aut propinquorum monumentis, quique extrà sepulti, vel etiam insepulti abiecti fuerint: tum nos aliquot illustrioribus exemplis examinandum duximus, post vetustissima illa Patriarcharum Legis Naturæ, de quibus iam actum.

[m] *Lib. 1. de Abel. cap. 2.*

II. EXEMPLA EX SCRIPTURA. Egregium porrò imprimis de illatione cadaverum in sepulchra paterna, fratrum ac propinquorum fortissimi Samsonis Israëlitarum Principis ac Iudicis facinus: cùm post triumphalem eius exitum, quo multò plures ac præstantiores Philisthæos interfecit moriens, quàm antè

vivus occiderat, *descendentes* (ut loquitur Scriptura [n]) *tulerunt corpus eius, & sepelierunt in sepulchro patris sui.* Si enim nihil interesse putâssent, quo quis sepulcro conderetur; cur post tantam illatam à Samsone Philisthæis cladem, cuius causâ timere meritò potuissent, eos in cadaver Samsonis, & in omnes qui eum sanguine vel affinitate contingerent, furore accensos esse; piè ac intrepidè, ad illud sive pretio, sive precibus, sive etiam vi aut dolo, è mediâ Gazensium Israëlitis infestissimâ civitate tollendum, & in tribum Dan, paternúmque sepulchrum deferendum, sese accinxerunt? An verò magis in Philisthæis admiremur, quomodò non in Samsonis cadaver atrocissimè sævierint, non canibus ac volucribus obiecerint, non eius aliis modis sepulturam prohibuerint; sicuti vidimus ceteris in more fuisse Gentilibus, ipsísque etiam Gazensibus, in eos quos vehementer odissent, vel qui alterius legis ac religionis sectatores essent? Vis sanè hæc divina fuit; ut suum Deus servum ab omni vindicatum iniuriâ voluerit; útque sacras eius exuvias ab ipsis etiam hostibus sacrosanctas haberi caverit; sanctóque fortè terrore ac religione eosdem perfuderit, ne vel à mortuo gravius quid perpeterentur, cui vidissent in omnibus ipsius heroïcis facinoribus Deum præstò fuisse. Senex quoque sapientissimus Berzellai [o] Galaadites, intimus Davidis Regis amicus, cùm post sublatum Absalonem invitaretur in regiam, ad quietem, ad securitatem, ad gloriam; his omnibus iure præferens patriam sepulturam, *Non indigeo* (inquit ad Regem) *hâc vicissitudine: sed obsecro, ut revertar, & moriar in civitate meâ, & sepeliar iuxta sepulcrum patris mei & matris meæ.* Et infelix Achitophel [p] noluit Ierosolymis perire suspendio; sed crucem sibi elegit in patriâ, ut ibi eodem cum patribus suis sepulchro conderetur. Ipséque anteà David, sanctissimus Rex ac Propheta, cùm ad diuturnam avertendam famem, in populum Israël divinitùs immissam in pœnam occisorum à Saüle quondam Rege, Gabaonitarum, contra iusiurandum illis olim à Iosue præstitum; coactus fuisset septem eis viros de cognatione Saülis morte plectendos tradere;

[n] *Iudic. 16. in fi.*
[o] *2. Reg. 19.*
[p] *Ibid. cap. 17.*

q Deutor. 21. ipsíque eos cruci affixissent, neć, ut erat Iudæorum q lex, eodem die deposuissent ad sepulturam; sed quoniam Gentiles erant, ac reliquiæ Amorrhæorum, Gentilium more diù suspensa reliquissent; ac Respha Saülis concubina, cuius duo filij ex illo infelici septenario fuerant, diu noctúque eorum cadavera à volucribus & feris custodiret: hoc excitatus David egregio pietatis exemplo Resphæ, & ipse in memoriam revocans Saülis ossa, ac Ionathæ filij eius, adhuc iacere in nemore, in quo fuerant r à viris Iabes-Galaad primùm sepulta, loco minùs regiis cadaveribus digno, & extra tribum eorum: (erat enim Saül Beniamita, Iabes autem in tribu Manassæ:) *abiit* (inquit Scriptura s) *& asportavit ea inde; & colligentes pariter ossa eorum qui affixi fuerant, sepelierunt ea simul in terrâ Beniamin in sepulcro Cis patris Saülis.* Túncque demùm, expiato videlicèt delicto necis, & deletâ maculâ defectùs sepulturæ; ritè omnibus peractis, repropitiatus est Deus terræ, cui anteà maledixerat. Ut non immeritò & Tobias t, quem vidimus sacrum sepulturæ officium propriæ vitæ anteponere consuevisse, cùm mortem à Deo se putaret impetrâsse, inter sapientissima quæ quasi iamiam moriturus dedit præcepta filio, hoc tamquam ceterorum fundamentum posuerit: *Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli:* & *honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. Cùm autem & ipsa compleverit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me;* sive (ut est in textu Græco) *iuxta me in uno sepulcro.* Hoc enim modo priscis etiam illis temporibus morem fuisse, ut coniuges iisdem cum coniugibus sepulchris tumularentur, vidimus in Patriarchis Legis Naturæ. Quod quidem tanti Tobias putavit, ut quando verè moriturus u fuit, etiamsi filio prædiceret proximam civitatis Ninives, ubi tunc extorres agebant, ruinam; tamen omninò iusserit, ut non priùs inde abscederet quàm sepelisset matrem *circa se in uno sepulchro.* Quòd enim per iniuriam temporum, tótque terrarum intercapedinem impossibile videretur, ut ossa in patriam penitùs desolatam referrentur; hoc saltem pietatis utrique parenti à filio exhiberi voluit, ut uno eodemque tumulo post mortem

r 1. Reg. 31. in fi.

s 2. Reg. 21.

t Tob. 4.

u Tob. ult.

tem conderentur, qui viventes fuerant duo [x] in carne unâ. Sicuti nulla magis consideratione commotus legitur [y] Neemias ad petendam reædificationem Ierosolymæ, aut commovere potuisse Artaxerxem Regem ad eam concedendam, quàm quòd ea esset *civitas sepulchri patris sui*. Ac fortissimus Iudas Machabæus [z] curam præcipuam habuisse legitur, ut non solùm corpora suorum militum interfectorum sepeliret, sed etiam *cum parentibus poneret in sepulchris paternis*. Ex cuius genere descendens Aristobulus Rex Iudæorum, cùm à Pompeianis, quòd faveret Cæsari, veneno absumptus fuisset in itinere dum Româ in Syriam proficisceretur; corpus [a] eius diù melle curatum iacuit, donec Antonius id in Iudæam remissum, mandavit reponi in Regum conditoriis.

[x] *Gen.* 2. 1. *Cor.* 6.
[y] 2. *Esdr.* 2.
[z] 2. *Machab.* 12.
[a] *Ioseph.* 14. *ant.* 13. & 1. *de bel.* 7.

III. Quinimmò cùm inter causas iniunctæ Hebræis à Deo circumcisionis recenseatur illa, ut esset signum quo distinguerentur ab Infidelibus; auctor Commentariorum in Epistolas Pauli, qui habentur inter opera S. Hieronymi, expressiùs restringit [b] ad mortuos in bello: ut scilicèt corpora eorum inter reliquos prælio cæsos eo signo dignoscerentur, possentque mandari sepulturæ monumentis suis, ritibúsque patriis, separatim à corporibus exterarum nationum ac Religionum. Denique in pestilentissimâ illâ Iudæorum intestinâ seditione, quæ viam aperuit Vespasianis potiundi Ierosolymis; dum plurimi eorum cædes domesticas evitaturi ad Romanos confugerent; *plerisque tamen patrii spe sepulchri mortem apud suos tolerabiliorem æstimatam fuisse*, scribunt Iosephus [c], & Hegesippus [d]. Quos & Tacitus [e] sic affectos in suam Ierosolymam ait, ut *si transferre sedes cogerentur, maior* illis inesset *vitæ metus, quàm mortis*: hoc est, durius eis esset patriâ carere, quàm vitâ. Ac demùm asserit Petrus Bellonius [f], solere etiamnum Iudæos suorum ossa asservare, & Ierosolymam, quandocumque facultas suppetit, navigio humanda mittere: séque metipsum hoc conspicatum esse, dum Byzantio Alexandriam navigaret. Quod sanè non adeò mirum videri debebit, si fidem adhibuerimus aliis [g] scribentibus Rabbinos eorum docere, illos tan-

[b] *In Rom.* 2. *ad fi.*
[c] 5 *de bel.* 2.
[d] 4. *de excid.* 12.
[e] *Histor. lib.* 5.
[f] *De oper. antiq. præst. & medic. fun. lib.* 1. *cap.* 6.
[g] *Buxdorff. Synag. Iudaic. cap.* 1. & 35.

HHh

[Historia Iudaeorum de sepultura Terrae sanctae.] tùm resurrecturos esse ad vitam æternam, qui sepulti fuerint in Terrâ promissâ: qui verò iusti extra eam fuerint humati, iis Deum rimulas quasdam, cavernulásque subterraneas facere, per quas cum ingenti dolore ad eam permeare possint. Quique extra eam sepulti fuerint, à supervenientibus mortis Angelis diris ad sepulchrum vexari animâ & corpore modis; donec ossibus dispersis, & in pulverem cinerémque redactis, venientes Angeli boni illa rursùm collecta sepeliant: qui verò in Chananitide moriantur, ac sepeliantur, ab hâc pœnâ liberos esse. Hæc quidem ipsi collegisse noscuntur ex vehementi illo desiderio, quo antiqui Patriarchę expetiverunt sua corpora in terram illam tumulanda deferri: sed quæ commentis suis ita deturpârint, ut apprimè per Isaiam [h] de iis prænunciâsse Dominus agnoscatur, *Peribit sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur.*

[h] Cap. 29.

IV. Sepultura patria Iudæis benedictionis loco.

Ceterùm in patriis monumentis sepeliri, probè ac ritè fuisse antiquis Hebræis, dum apud eos fides pietásque vigeret, singularis benedictionis habitum; ut alia deessent exempla, testimoniáque, sanè inde luculentissimè probatur, quòd eorum privatio non nisi in pœnam impietatis, aut transgressionis mandatorum Dei delata legatur. Sic enim Deus [i] Prophetæ ad Ieroboam misso, in pœnam transgressionis iniuncti sibi mandati, per ipsummet deceptorem Prophetam denunciavit, *cadaver ipsius minimè delatum iri in sepulchrum patrum suorum.* Et impius Rex Ioram [k] filius pij Iosaphat, *sepultus* quidem est *in civitate David, verumtamen non in sepulchro Regum; nec fecit ei populus exequias, sicut fecerat maioribus eius.* Sed ex [l] prodigioso eius morbo quo periit, coniectans populus, quàm invisus Deo fuisset homo nefarius, insultavit eius cadaveri, nec eum regio funere dignatus est, nec paterno monumento intulit. Sicuti & nepos eius Ioas [m], quòd dereliquisset vias Domini, quamvis & ipse *sepultus fuerit in civitate David, non tamen in sepulchris Regum*; quòd [n] propter impietatem dignus non sit habitus qui iis inferretur. Ozias quoque licèt non adeò cetera malus, tamen quòd præsumpsisset [o] incensum adolere, & ideò leprâ à Deo

[i] 3. Reg. 13.
[k] 2. Paralip. 21.
[l] Ioseph. 9. ant. 5.
[m] 2. Paral. 24.
[n] Ioseph. 9. ant. 8.
[o] 2. Paral. 26.

percussus fuisset, non nisi *in agro regalium sepulchrorum* positus est *in* [p] *monumento solitario.* (Nam & Christianorum legibus [q] leprosi propriam ecclesiam, ac cœmeterium propriũ habere debent.) Et Achaz [r] impius, quamvis *sepultus sit in civitate Ierusalem, non tamen receptus fuit in sepulchra Regum.* Ac denique Manasses [s], etsi pœnitentiam egerit de horrendis suis sceleribus, tamen non nisi *sepultus est in horto domûs suæ:* in quo & posteà positus impius eius filius Amon. Indéque & antiquus auctor Bacchiarius [t], S. Augustini æqualis, tractatu ad Ianuarium de lapsis recipiendis, pœnitentiam & salutem Salomonis elicere non dubitavit: *quia*, ut ait, *cùm solutus fuisset à corpore, sepultum illum inter Regum Israëlitarum corpora Scriptura commemorat; quod tamen alibi peccatoribus Regibus abnegatum esse cognoscimus, qui usque in finem vitæ suæ in propositi perversitate manserunt. Et ideò quia inter Reges iustos meruit sepeliri, non fuit alienus à veniâ.*

[p] Ioseph. 9. ant. 1.
[q] Conc. Later. sub Alex. III. cap. 23.
[r] 2. Paral. 28.
[s] 4. Reg. 21. & 2. Paral. 33.
[t] Ep. ad Ianuar. in Bibl. Patr.

V.

PRIVATIO SEPULTURÆ, IN EXTREMUM SUPPLICIUM IUDÆIS.

Quod verò pertinet ad omnis privationem sepulturæ; quando Israëlitæ ad falsam relationem exploratorum, qui missi fuerant in terram Chanaan, murmurationem illam induxerunt in Deum & Mosen, quâ aditum sibi ad terram promissam præcluserunt; iratus Dominus, *Vivo ego*, (inquit [u]) *in solitudine hâc iacebunt cadavera vestra.* Licèt enim non fortè iacuerint penitùs insepulta; haud tamen levis visa pœna, in tantâ eiusdem terræ proximitate, suorum privari consortio Patriarcharum, qui à longè remotioribus regionibus ad eam transferri tam ardenti concupierant desiderio. Expressiùs autem Moses [x] in horrendâ illâ enumeratione malorum, quæ obventura Hebræis essent si legem Dei violarent, hâc inter primas usus est imprecatoriâ comminatione: *Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos; & dispergaris per omnia regna terræ: sítque cadaver tuum in escam cunctis volatilibus cæli, & bestiis terræ, & non sit qui abigat.* Nec verò incassùm hæc fuisse, quamplurimis probatum est exemplis: dum imprimis in Regem Ieroboam, cuius causâ decem tribus Israël subduxerunt se à cultu Dei, & obsequio domûs David; pronunciavit Dominus [y] per Ahiam Prophe-

[u] Num. 14.
[x] Deuter. 28.

TAM REGNI ISRAEL.

[y] 3. Reg. 14.

tam: *Ecce ego inducam mala super domum Ieroboam, &c. Qui mortui fuerint de Ieroboam in civitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cæli.* Idque impletum omninò esse, testatur eadem Scriptura [z]; cùm ait, Baasam insurgentem adversus Nadab filium Ieroboam, interfecisse eum; delevisséque omnem animam de semine Ieroboam, iuxta verbum Domini quod loquutus fuerat in manu servi sui Ahiæ. Quòd nihilominus Baasa impietati inhæserit Ieroboami; meruit & ipse eamdem à Domino [a] audire per prophetam Iehu sententiam, & pati in suis per rebellem Zambri vindictam. Eadémque [b] Achab, Iesabel, Ioram, per Eliseum prophetam, & Iehu Regem. Quemadmodùm & per Ezechielem [c] prædicit idem Dominus, *daturum se cadavera filiorum Israel ante faciem simulacrorum; & dispersurum ossa circum aras.* Et alia multa eiusmodi, in Israëlitas perfidos apostatas.

[z] 3. Reg. 15.
[a] 3 Reg. 16.
[b] 3. Reg. 21. & 22. 4. Reg. 9. & 10.
[c] Cap. 6.

VI. QUAM IUDA.

In Iudæos autem, apud quos in Ierusalem remanserat cultus Dei, cùm & illic à Regibus impiis, & à populo ingratissimo, sacra quælibet pessumdarentur, & leges omnes conculcarentur; per Ieremiam [d] Dominus funestissimam prænuncians ipsorum cladem, & civitatis Ierosolymæ desolationem, nihil graviùs aut frequentiùs inculcat, quàm privationem sepulturæ, tamquam omnium aliarum calamitatum luctuosissimam. *Erit* (inquit) *morticinum populi huius in cibos volucribus cæli & bestiis terræ, & non erit qui abigat.* Et iterùm: *Erunt proiecti in viis Ierusalem, & non erit qui sepeliat eos.* Item: *Visitabo super eos quatuor species; gladium ad occisionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cæli, & bestias terræ ad devorandum & dissipandum.* Ac rursùm: *Mortibus ægrotationum morientur: non plangentur, & non sepelientur; in sterquilinium super faciem terræ erunt: & gladio, & fame consumentur: & erit cadaver eorum in escam volatilibus cæli, & bestiis terræ. Et morientur grandes, & parvi in terrâ istâ; non sepelientur, neque plangentur;* &c. Itémque: *Subvertam eos gladio in conspectu inimicorum suorum: & dabo cadavera eorum escam volatilibus cæli, & bestiis terræ.* Ioakimum verò impiissimum Regem,

[d] Ierem. 7. 14. 15. 16. 19. 25. 26. 34.

qui Uriam prophetam crudeliter necatum, ad maiorem ignominiam *in sepulchra vulgi ignobilis proiecerat*, cùm alij prophetę ac nobiles viri in sepulchris aut domesticis, aut separatis, cum titulis honorificè sepelirentur: immenso talionis auctu repercutiens; *Non* [c] *plangent* (inquit) *eum, va frater, & va soror: non concrepabunt ei, va Domine, & va Inclyte.* (Erant hæ solemnes formulæ Planctus funebris Iudæorum, ut aliàs vidimus:) *Sepulturâ asini sepelietur, putrefactus, & proiectus extra portas Ierusalem. Cadaver eius proiicietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem.* Quod & perfectum fuisse per Nabuchodonozorem Regem, Iosephus [f] testatur. Sed & ceteras eiusmodi comminationes in ingratissimum, ac perfidissimum populum, tantâ asseveratione divinitùs intentatas, suis quibusque temporibus impletas adamussim fuisse, quis dubitet? Et quamvis impletas non constaret, quin sit hæc debita impiis & nefariis pœna, quis inficiari possit? Eam sanè & illustri exemplo divinitùs longè posteà inflictam legimus [g] Pseudopontifici Iasoni; ut *qui multos de patriâ suâ expulerat, peregrè periret; & qui multos insepultos abiecerat, ipse & illamentatus, & insepultus abiiceretur, sepulturâ neque peregrinâ usus, neque patrio sepulchro participans.* Quod idem infelicissimo apostatæ Menelao contigisse, idem auctor [h] posteà narrat.

[c] Ierem. 22. & 36.
[f] 10. ant. 8.
[g] 2. Machab. 5.
[h] 2. Machab. 13.

VII. CONCESSA IN MAGNUM BENEFICIUM.

Hancque pœnam gravissimam fuisse, vel ex eo insuper apparet, quòd cùm eam (ut vidimus) per Ahiam Prophetam comminatus fuisset Dominus impio Ieroboamo, eiúsque semini; tamen ceu ingens beneficium Abiæ ipsius filio indulget [i], ut sepeliatur: *Planget eum* (inquit) *omnis Israël, & sepeliet: iste enim solus deferetur de Ieroboam in sepulchrum, quia inventus est super eo sermo bonus à Domino Deo Israël.* Dicunt enim hunc clàm patre facile præbuisse iter volentibus ire Ierosolymam ad sacrificandum Domino: & ideò hanc obtinuisse remunerationem sepulturæ. Cuiusmodi privilegio insignitus etiam fuit Sedecias Rex Iuda; cùm inter frequentissimas privationis sepulturæ minas, quas per Ieremiam Dominum intentâsse legimus, audivit [k]: *In pace morieris: & secundùm combustio-*

[i] 3. Reg. 14.
[k] Ierem. 34.

tam: *Ecce ego inducam mala super domum Ieroboam, &c. Qui mortui fuerint de Ieroboam in civitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cæli.* Idque impletum omninò esse, testatur eadem Scriptura [z]; cùm ait, Baasam insurgentem adversus Nadab filium Ieroboam, interfecisse eum; delevisséque omnem animam de semine Ieroboam, iuxta verbum Domini quod loquutus fuerat in manu servi sui Ahiæ. Quòd nihilominùs Baasa impietati inhæserit Ieroboami; meruit & ipse eamdem à Domino [a] audire per prophetam Iehu sententiam, & pati in suis per rebellem Zambri vindictam. Eadémque [b] Achab, Iesabel, Ioram, per Eliseum prophetam, & Iehu Regem. Quemadmodùm & per Ezechielem [c] prædicit idem Dominus, *daturum se cadavera filiorum Israël ante faciem simulacrorum; & dispersurum ossa circum aras.* Et alia multa eiusmodi, in Israëlitas perfidos apostatas.

[z] 3. Reg. 15.
[a] 3 Reg. 16.
[b] 3. Reg. 21. & 22. 4. Reg. 9. & 10.
[c] Cap. 6.

VI. QUAM IUDA.

In Iudæos autem, apud quos in Ierusalem remanserat cultus Dei, cùm & illic à Regibus impiis, & à populo ingratissimo, sacra quælibet pessumdarentur, & leges omnes conculcarentur; per Ieremiam [d] Dominus funestissimam prænuncians ipsorum cladem, & civitatis Ierosolymæ desolationem, nihil graviùs aut frequentiùs inculcat, quàm privationem sepulturæ, tamquam omnium aliarum calamitatum luctuosissimam. *Erit* (inquit) *morticinum populi huius in cibos volucribus cæli & bestiis terræ, & non erit qui abigat.* Et iterùm: *Erunt proiecti in viis Ierusalem, & non erit qui sepeliat eos.* Item: *Visitabo super eos quatuor species; gladium ad occisionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cæli, & bestias terræ ad devorandum & dissipandum.* Ac rursùm: *Mortibus ægrotationum morientur: non plangentur, & non sepelientur; in sterquilinium super faciem terræ erunt: & gladio, & fame consumentur: & erit cadaver eorum in escam volatilibus cæli, & bestiis terræ. Et morientur grandes, & parvi in terrâ istâ; non sepelientur, neque plangentur;* &c. Itémque: *Subvertam eos gladio in conspectu inimicorum suorum: & dabo cadavera eorum escam volatilibus cæli, & bestiis terræ.* Ioakimum verò impiissimum Regem,

[d] Ierem. 7. 14. 15. 16. 19. 25. 26. 34.

qui Uriam prophetam crudeliter necatum, ad maiorem ignominiam *in ſepulchra vulgi ignobilis proiecerat*, cùm alij prophetę ac nobiles viri in ſepulchris aut domeſticis, aut ſeparatis, cum titulis honorificè ſepelirentur: immenſo talionis auctu repercutiens; *Non* [c] *plangent* (inquit) *eum, væ frater, & væ ſoror: non concrepabunt ei, væ Domine, & væ Inclyte.* (Erant hæ ſolemnes formulæ Planctûs funebris Iudæorum, ut aliàs vidimus:) *Sepulturâ aſini ſepelietur, putrefactus, & proiectus extra portas Ieruſalem. Cadaver eius proiicietur ad æſtum per diem, & ad gelu per noctem.* Quod & perfectum fuiſſe per Nabuchodonozorem Regem, Ioſephus [f] teſtatur. Sed & ceteras eiuſmodi comminationes in ingratiſſimum, ac perfidiſſimum populum, tantâ aſſeveratione divinitùs intentatas, ſuis quibuſque temporibus impletas adamuſſim fuiſſe, quis dubitet? Et quamvis impletas non conſtaret, quin ſit hæc debita impiis & nefariis pœna, quis inficiari poſſit? Eam ſanè & illuſtri exemplo divinitùs longè poſteà inflictam legimus [g] Pſeudopontifici Iaſoni; ut *qui multos de patriâ ſuâ expulerat, peregrè periret; & qui multos inſepultos abiecerat, ipſe & illamentatus, & inſepultus abiiceretur, ſepulturâ neque peregrinâ uſus, neque patrio ſepulchro participans.* Quod idem infeliciſſimo apoſtatæ Menelao contigiſſe, idem auctor [h] poſteà narrat.

[c] Ierem. 22. & 36.
[f] 10. ant. 8.
[g] 2. Machab. 5.
[h] 2. Machab. 13.

VII. CONCESSA IN MAGNUM BENEFICIUM.

Hancque pœnam graviſſimam fuiſſe, vel ex eo inſuper apparet, quòd cùm eam (ut vidimus) per Ahiam Prophetam comminatus fuiſſet Dominus impio Ieroboamo, eiúſque ſemini; tamen ceu ingens beneficium Abiæ ipſius filio indulget [i], ut ſepeliatur: *Planget eum* (inquit) *omnis Iſraël, & ſepeliet: iſte enim ſolus deferetur de Ieroboam in ſepulchrum, quia inventus eſt ſuper eo ſermo bonus à Domino Deo Iſraël.* Dicunt enim hunc clàm patre facile præbuiſſe iter volentibus ire Ieroſolymam ad ſacrificandum Domino: & ideò hanc obtinuiſſe remunerationem ſepulturæ. Cuiuſmodi privilegio inſignitus etiam fuit Sedecias Rex Iuda; cùm inter frequentiſſimas privationis ſepulturæ minas, quas per Ieremiam Dominum intentâſſe legimus, audivit [k]: *In pace morieris: & ſecundùm combuſtio-*

[i] 3. Reg. 14.
[k] Ierem. 34.

nes patrum tuorum Regum priorum qui fuerunt ante te, sic comburent te, & vae Domine, plangent te. (De quâ combustione, & planctûs formulâ, dictum est aliàs.) etiamsi non in patriâ aut mortuus aut sepultus fuerit; sed Babylone, quò captivus ductus est à Rege Nabuchodonozore. Melior tamen longè conditio patris eius, Iosiæ pij Regis; qui in præmium humiliationis suæ coram Domino, optatissimum accepit [l] responsum ab eo: *Idcircò colligam te ad patres tuos, & colligêris ad sepulcrum tuum in pace.* Quantò enim patria cuique ingenuo & nobili viro charior, tantò & sepultura in eâ optatior.

[l] 4 Reg. 22.

VIII. ALIA EXEMPLA PRIVATIONIS SEPULTURÆ.

Ne verò putes solâ desertionis fidei causâ, hanc infligi consuevisse Hebræis pœnam; habes rursùm apud eumdem Ieremiam [m] iratum Dominum iis qui iuramentum violâssent de liberis dimittendis servis Hebræis, districtè minari: *Dabo eos in manus inimicorum eorum; & erit morticinum eorum in escam volatilibus cæli, & bestiis terræ.* Habes & apud Isaiam [n], pronunciantem Dominum in Sobnam præpositum templi, quod non solùm ad præsentis vitæ fastum munus illud ambiisset longè suis meritis altius, sed etiam ad mortis, oblivionisque remedium, sepulchrum sibi excidisset magnificè elaboratum: *Ecce Dominus asportari te faciet, & quasi pilam mittet te in terram spatiosam: ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ:* hoc est, longè à patriâ miser & exul, non tam quieturus eris in vulgari sepulchro, quàm instar pilæ huc atque illuc per ludibrium rotandus, & aut lacerandus à canibus, aut sepulturâ asini sepeliendus. Habes & hoc hostibus fuisse usitatum; cùm audis Davidem & Goliam sibi invicem minari, *daturos se carnes* adversarij *volatilibus cæli, & bestiis terræ.* Et in Historiâ Imperatoris Iosuæ [o] legis Achanem sacrilegum lapidatum & combustum, adhuc & acervo magno lapidum (*ignominioso & inhonoro sepulchro*, ut Iosephus [p] ait, *& quod damnatum iudicio publico sontem deceret*) obtectum fuisse. Eiusdémque modi infami tumulo, & Regem Hai [q] ab eodem Iosue affectum; & alios quinque Reges in quâdam speluncâ ignominiosè ingentibus saxis conclusos. In Regum verò libris perduellem Absa-

[m] Ierem. 34.
[n] Isa. 22.
[o] Ios. 7.
[p] 5. ant. 1.
[q] Ios. 8. & 10.

lom [r],quamvis erexisset sibi ingenti labore & opere mausolæum regium,quo post mortem conderetur;non alium tamen sortitum esse tumulum, quàm qui eius sceleribus debebatur; cùm *proiectus est in foveam grandem: & comportaverunt super eum acervum lapidum magnum nimis*: qui & duritiem ipsius cordis denotaret, & tam illis qui tum viverent, quàm omnibus qui consecuturi essent, continuò acclamaret; filium ingratissimum, indulgentissimo patri rebellem; virum inquietissimum,tranquillitatis publicæ perturbatorem, sub eo tegi. Sicuti olim in famosum quemdam latronem lusisse dicitur Virgilius:

Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus:
Nocte, die, tutum carpe viator iter.

Et qui Terræ Sanctę nobis prodiderunt [s] topographiam, referunt etiamnum paganos & Mahometanos peregrinos illàc transeuntes,in more habere lapides in tumulum illum Absalonis iacere, cum huiusmodi execratione: *Maledictus sit paricida Absalom: & quicumque iniustè parentes suos persequuntur, maledicti sunt in æternum.* Madianitas quoque olim [t] à Barac & Gedeone Iudicibus Israëlis profligatos, *factos esse ut stercus terræ*, David [u] cecinit: hoc est, insepultos computruisse. Et Chaldæos atque Assyrios, qui coacervata Iudæorum à se occisorum cadavera, insepulta in sterquilinio putrescere siverant; & ipsos posteà eodem supplicij & ignominiæ genere divinitùs affectos fuisse, Isaias [x] docet; cùm Assyrij sub Sennacherib ab Angelo, Chaldæi sub Baltazare à Persis & Medis contriti sunt. Qui & populos omnes hortans,ut eiusdem Sennacheribi exemplo discant, quid suo capiti timere debeant, si iisdem se peccatis implicuerint; inter alia ita habet: *Interfecti eorum proiicientur, & de cadaveribus eorum ascendet fœtor. Tabescent montes à sanguine eorum.* Horribili comminatione; ut non solùm ignobilis occisorum turba proiiciatur, hoc est, non aliâ quàm asini sepulturâ sepeliatur; verùm & ipsi quoque montes tabem inde contrahant: sive eorum Principes, quos per montes designari nonnulli interpretantur, insepulti putrescant, gravique halitu regionem inficiant. Occisus [y] autem Sennacherib

[r] 2. Reg. 18.

[s] Adrichom. in Ierusal. num. 217. Cotovic. in Itin. Ierosol.

[t] Iudic. 4. & 7.

[u] Psal. 82.

[x] Isa. 14. & 30. & 34.

[y] 2. Paral. 32. Tob. 1.

à propriis filiis in templo Dei sui post turpem reditum è Iudæâ, in eodem ipso templo tam infami paricidio profanato ignobiliter ac tumultuariò terrâ obrutus est magis quàm sepultus: uti etiam Dominus per Nahum prædixerat. Longè verò antè David [z] de impiis hominibus ipsum persequentibus, *Tradentur* (dixerat) *in manus gladij, partes vulpium erunt*: hoc est, postquàm gladio ceciderint, eorum cadavera proiecta sine honore sepulturæ cedent in prædam vulpibus, aliisque feris, à quibus dilaniabuntur; supplicio impiis & scelestis debito. Quemadmodùm & legimus [a], Iudam Machabæum fortissimum illum Ducem & Pontificem Iudæorum, victo & occiso impio Nicanore Demetrij Regis duce, qui ausus fuerat blasphemias in Deum evomere, abscissóque eius capite, *linguam præcisam iussisse particulatim avibus dari*. Et Herodem Idumæum, filicidam illum, ac liberis tam bonis quàm malis siquis umquam infelicem, dum ferè animam in ore haberet, filium Antipatrum omnium pessimum, quòd patri venenum parâsse diceretur, iussisse [b] occidi, & *corpus obscuro funere condi*. Et qui eidem aliquando detulit conspirationem decem Iudæorum in eum factam; postquàm decem illos Herodes exquisitissimis suppliciis, ut erat mos ei, necâsset; delatorem illum ab aliis Iudæis interfectum, *ac frustatim concisum, obiectum esse canibus*; narrat Iosephus [c]. Quo etiam auctore constat, qui seipsos interemissent, apud Iudæos insepultos abiici consuevisse; quòd nollent hanc religioni sepulchrorum inferri iniuriam, ut contaminarentur impuris eorum cadaveribus, quorum iam animas tartarus deglutisset, deglutiturus & aliquando eadem ipsa corpora. Hæcque planè Hebræi secundùm ius fásque, & ex præcipuâ distinctionis sepulchrorum causâ: quâ Gentiles, alienæque fidei, religionis, ac spei homines, in sua polyandria, sive cœmeteria, recipere, horrerent, distinctósque haberent agros sepulturæ illorum destinatos.

IX. IUDÆORUM IN CHRISTUM, ET CHRISTIANOS MALITIA.

Ex affectatâ verò malitiâ, quâ ferè semper mysteria salutis suæ ignorare gavisi sunt; adveniente plenitudine temporum; quando non solùm doctorum ac vindicem suum

[z] Psal. 62.
[a] 1. Machab. ult.
[b] Ioseph. 17. ant. 9. & 15. ant. 11.
[c] Id. 3. de bel. 13. & 14.

ſuum ſuſcipere recuſârunt, verùm etiam turpiter abiecerunt, & tam ipſum quàm ipſius diſcipulos internecino ac pertinaciſſimo odio proſequi numquam ceſsârunt: ubi in ipſo eius adventu, audiſſent Iuſtum Symeonem [d] revelante Spiritu ſancto magnificè prędicantem in templo præſentiam Salutaris Dei, quod paratum erat ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem Gentium, & gloriam populi Iſraëlitici; iam tum invidiâ tabeſcentes futuræ vocationis Gentium, & in pauperculo infantulo Regem ſuum agnoſcere ignominioſum ſibi ducentes; eumdem Symeonem paulò pòſt defunctum, (ut teſtatur Epiphanius [e]) poſtremo honore Sacerdotalis ſepulturæ privârunt. Quamvis enim nullam huius privationis cauſam Epiphanius afferat, (qui toto eo tractatu *de vitâ & interitu veterum prophetarum* diligenter notavit, quo quiſque loco ſepultus fuerit; ut planè oſtenderet, hoc inter præcipua mortis ſolatia deputatum fuiſſe, non ſolùm ſi honeſto, verùm multò magis ſi proprio conderentur tumulo:) ea tamen facilè intelligitur fuiſſe, quòd ex publicâ annunciatione Salvatoris adventûs, ceterorum Symeon in ſe ſacerdotum odium concitârit. Sicuti & illud inceſtuoſæ Herodiadis in ſe concitans Ioannes Baptiſta [f], eamdem ab eâ paſſum eſſe poſt necem pœnam Nicephorus [g] eſt auctor, cùm ſcribit ipſam Ioannis reprehenſionem quodammodò etiam poſt capitis reſectionem veritam, coniungeréque id rurſùs reliquo corpori timentem, apud ſe remotis arbitris in abſtruſiori regiæ loco ſepeliendum duxiſſe: truncum autem ipſum abiicere quópiam iuſſiſſe; quem diſcipuli eius ſublatum ſepelierunt. Rursúmque poſt necem Salvatoris Stephanum [h] protomartyrem, provocato in ſe Iudæorum odio vehementiſſimâ illâ exprobratione duritici eorum cervicis, & incircumciſionis cordis & aurium; æquè & ipſum inſepultum abiectum fuiſſe, intelligitur ex eo quòd eius narratâ nece Lucas Evangeliſta non ſtatim de funere egerit; ſed præmiſſa perſecutione, quæ facta eſt à principibus Sacerdotum in Chriſtianos, poſteà ſubdiderit curam funeris Stephani: eâ nimirùm ex cauſâ, quòd non eâ die

[d] *Luc.* 2.

[e] *De vit. & interit. prophet.*

[f] *Matth.* 14.

[g] *Lib.* 1. *cap.* 19.

[h] *Act.* 8.

S. STEPHANI PROTOMART. FUNUS.

quâ necatus est, sepulturæ traditus fuerit, prohibentibus id Iudæis; sed posteà, *Ut*[i] *primùm cessit furor, & rabida ora quiêrunt*: nempè defervescente paululùm primo illo ignito persecutionis impetu. Sic enim illa accipienda esse, declaratur relatione Gamalielis Discipuli Domini, in Epistolâ[k] Luciani presbyteri Ierosolymitani de Inventione corporis eiusdem Protomartyris, quam totus Christianus orbis recepit; cùm sic Gamalielem narrantem audivit: *Lapidatus est à Iudæis, & principibus Sacerdotum in Ierusalem pro Christi fide, extra portam quæ est ad Aquilonem quæ ducit ad Cedar. Ibi die ac nocte iacuit proiectus ut sepulturæ non daretur, secundùm mandatum impiorum principum, sed à feris consumeretur corpus eius. Ex Domini autem voluntate non tetigit eum unum ex his, non fera, non avis, non canis.* Pergit narrare sepulturam ab ipso honorificentissimè curatam, de quâ nos aliàs. Sanctum quoque Iacobum Apostolum Ioannis fratrem, qui primus Apostolorum sanguine suo Ecclesiam irrigavit, insepultum abiectum fuisse ab iisdem perfidis Iudæis, ex antiquis suis monumentis, testimonio Leonis Papæ tradit Historia[l] Compostellana his verbis: *Occidit Herodes Iacobum fratrem Ioannis gladio. Cuius beatissimi Apostoli corpus venerandum Iudæi malevolentiâ & invidiâ ducti, nec sepelire voluerunt, nec à Christianis qui tunc temporis Ierosolymis erant sepeliri permiserunt. Sed sicut Leo Papa in Epistolâ, quam de eius passione & corporis in Hispaniam translatione, ad Hispanos destinavit, affirmat, integrum corpus cum capite extra civitatem proiicientes, canibus, avibus, atque feris devorandum consumendumque exposuerunt: sed eius discipuli nocturno tempore arripientes, ad littus usque maris citato calle pervenerunt.*

X. IUDÆI INEXCUSABILES IN PERSECUTIONE CHRISTI, ET CHRISTIANORUM.

Sed quid ultrà exempla quærimus adhibitæ à Iudæis, quamdiù Ierusalem substitit, eiusmodi sævitiæ in Christianorum, quos ut Legis desertores execrabantur, cadavera: cùm & ipsosmet inter se, eiusdem licèt Legis studiosissimos observatores, in civilibus illis dissensionibus, quibus immanissimam patriæ suæ cladem iusto Dei iudicio accelerârunt, sibi invicem sepulturam invidisse,

[i] Virg. Æn. 6.
[k] Ext. in Append. ad to. X. oper. S. Aug.
[l] Lib. 1. cap. 1.

aliàs [m] viderimus? Quid subsequentibus temporibus, cùm sive ipsi soli per se, sive Gentilibus aut hæreticis in perniciem Christianorum permixti, nullam umquam vel usquam occasionem prætermiserunt, exquisitissimis eos tormentis ac cruciatibus, mortiúmque ac contumeliarum generibus afficiendi? Hæc nimirùm est ingratissimi, ac pervicacissimi populi Religio, quâ eò dementiæ ac impietatis prolapsus est, ut non solùm in naturæ legem hominum mentibus insculptam, verùm etiam in Mosaicam, cuius superstitiosissimum se cultorem iactitabat, malitiosissimè peccaverit. *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum*, (prædixit Christus [n]) *quia nesciunt eum qui misit me:* hoc est, quia ex ignorantiâ affectatâ scire noluerunt, quòd Deus me filium suum ab origine mundi promissum, à Patribus tantoperè desideratum, ab omnibus Hebræis avidè expectatum, miserit ad opus redemptionis. Quæ fuit eorum culpa prorsùs inexcusabilis. *Si enim non venissem*, (subdit Christus) *& locutus fuissem eis, atque opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo:* quo videlicèt non crediderunt in me efficacissimè docentem & verbis & factis, me venisse missum à Patre Christum Filium Dei promissum ipsis. Unde & quod ad sepulturæ privationem in Christianos exercitam spectat; non sanè culpandi eâ de re ipsi fuissent, si probabili aliquâ ignorantiâ excusari potuissent de odio in Christum, ac reiectione ipsius doctrinæ, & persecutione in discipulos: quippe scirent, hoc iure ipsorum decessores in impios & alienæ doctrinæ disseminatores, Deo ipso auctore, ritè piéque frequenter usos fuisse. Quinimmò arbitrari non abs re potuissent, obsequium [o] se præstare Deo in iis absque synagogis faciendis, & interficiendis, omníque ignominiæ ac pœnæ genere, tam vivis quàm etiam mortuis afficiendis: cùm non temerè assentiendum ei esset, qui assereret se Christum à Deo missum; quod nonnulli falsò & perniciosè iactàrunt. Verùm cùm tam ex vaticiniis Mosis, ac ceterorum Prophetarum, quàm ex miraculis quæ nemo alius facere

[m] Supr. lib. 2. par. 2. cap. 1.

[n] Ioan. 15.

[o] Ioan. 16.

poterat, clarissimè Christus demonstrâsset nullam satisfactionis rationem, nullum veniæ prætextum relinqui Iudæis, quin verè in illis diceretur adimpletus [p] sermo, qui in Lege eorum scriptus erat, quòd odio [q] habuissent ipsum gratis; id est, sine causâ & ratione; immò cùm maxima causa suppeteret in contrarium: inde & nefario iis crimini vertendum, quòd impiissimi ipsi non nisi ex purâ malitiâ in pios converterint pœnas, quæ non nisi impiis debentur. *Tantò igitur miseriores* (inquit præclarè Augustinus [r], de hoc ipsorum gratuito in Christum odio, & iniustâ in eius discipulos persecutione disserens) *qui propter hoc nomen* (Christi) *ista faciunt, quantò beatiores qui propter hoc nomen ista patiuntur.*

[p] Ioan. 15.
[q] Psal. 34.
[r] In Ioan. tract. 88.

CAPVT III.

De CHRISTIANORUM *Sepulturæ usu, tam inter se, quàm erga extraneos, & criminum reos, atque alterius fidei homines.*

I. CHRISTIANOS quod attinet; imprimis habuisse & ipsos antiquitùs privatim propria sua, ac familiaria sepulchra; cùm multis iam exemplis superiùs diversis occasionibus demonstratum est; tum supervacuum fuerit in iis ampliùs immorari: cùm nulla suppetat dubitandi ratio, quin etiam in his eadem viguerit inter ipsos, quæ inter ceteras gentes ac Religiones, quandocumque aut libitum fuit, aut licitum, consuetudo. Fuisse verò & distinctionem sepulchrorum, secundùm diversos Christianorum ordines, & alia Clericorum, Monachorum alia, & Laicorum extitisse; manifestum ex Areopagitâ [a] redditur: suáque cives & incolas ab exteris & peregrinis discreta habuisse, Ephræm [b], Evagrius [c], Ioannes [d] Moschus, & alij testantur. Extátque præthereà constitutio [e] Iustiniani Imp. de debitâ impensâ in exequiis defunctorum; quâ designantur diversa loca sepulturæ Constanti-

[a] De eccl. hier. c. 7.
[b] In Testam.
[c] Lib. 4. cap. 34.
[d] Prat. Spir. cap. 88.
[e] Novel. 59. cap. 5.

nopoli destinata, tam intra novos muros urbis, quàm extrà, atque etiam trans mare. Quanti verò æstimaret ipse, in patriis sepulchris inhumari, demonstrant eius verba aliâ novellâ [f] constitutione de Quæstoribus destinatis ad conquirendos homines otiosos, peregrinos vagantes, qui ingenti numero relictis suis civitatibus, Constantinopoli terræ pondus inutile otiabantur, eosdémque coërcendos, & ad sua remittendos: ubi inter rationes, quibus ad hanc legem sanciendam se motum fuisse ait, hanc præcipuè ponit: *Hæc omnia sancimus, nostrorum subiectorum curam habentes; ut non suas provincias deserentes, hic atterantur, & moriantur, forsan propriis privati, & neque paternis fruentes sepulturis.* Denique Christianis omnibus adeò fuit in usu, corpora suorum peregrè decedentium ad patriam in propria & avita sepulchra referre, (quod exemplis probare ridiculum videri possit, cùm & hodie usitatissimum ubique noscatur, & nullæ non historiæ de antiquioribus testentur) ut etiam quò commodiùs deferrentur è longinquis regionibus, aut locis remotis, consuescerent illa exenterare, & membratim cõcidere, ac decoquere, ut ossa nudata ad locum sepulturæ electum tumulanda exportarent. quod immanitatis genus, quamvis pietatis intuitu usurpatum, meritò fuit sanctionibus Ecclesiasticis [g] severissimè prohibitum; cùm possint absque fœdâ eiusmodi lanienâ, corpora balsamo inungi; vel etiam temporariæ tradi sepulturæ, ut cùm fuerint incinerata, deportentur ad locum perpetuæ sepulturæ destinatum.

[f] *Novel 80.*

[g] *Bonif. VIII. extravag. de sepult.*

II.

DISTINCTIO SEPULCHRORUM CHRISTIANORUM AB ALIENIS.

Sed ut quod præcipuũ est agamus; habuisse quoq; Christianos ab ipso Ecclesiæ initio, sua publica Cœmeteria, distincta à Iudæorũ & Infidelium Polyandriis & Sepulchretis; præter illa quę etiam superiùs [h] tam Orientalium quã Occidentalium Patrũ luculentissima de iis testimonia protulimus; & manifestissima exempla tot vetustorũ Cœmeteriorum Urbis, quæ nobis Roma subterranea suppeditat: sunt etiam qui ex ipsius Pauli Apostoli verbis colligant, scribentis [i] primò ad Corinthios: ut etsi eorum essent sanguine geniti, quòd tamen ab eorum per-

[h] *Lib. 1. par. 3. cap. 13.*

[i] *1. Cor. 15. Hoc autem colligunt etiam Centuriatores to. 1. lib. 2 c. 6. art. De sepult.*

fidiâ & infidelitate recessissent, sicuti in vitâ nihil eis erat cum illis commune in sanctitate religionis, ita nec esset post mortem in sanctitudine sepulturæ, & resurrectione mortuorum. Præceptum in his exequentes ipsiusmet Christi Domini, vel sanè Exemplum imitantes, quod præcepti vim ac disciplinæ contineret. Quídni enim Præceptum appellem, quod ipse [k] cuidam ad annunciandum Regnum Dei se sequi iusso, induciásque petenti ad sepeliendum patrem suum, dixit: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos; tu autem sequere me?* Sive enim eleganti hâc eiusdem vocis ambiguitate, *Mortuos* priori loco (de posteriori namque nullum est dubium, quin verè corpore mortuos significaverit) Infideles intellexerit, ut plerique magni nominis tam Græci quàm Latini Patres [l] interpretati sunt; sive ut alij [m], peccatores, qui animi vitâ sunt privati: utraque planè interpretatio non solùm id probat quod volumus, verùm etiam aliquid ampliùs significat; nimirùm ut præceperit Christus, non tantùm Fideles non commisceri iisdem sepulchris cum Infidelibus, vel cum manifestis peccatoribus, qui nullum locum in patriâ paradisi cum Christo ac veris eius discipulis habituri sunt: sed etiam non debere omninò Fideles illorum qualicumque sepulturæ officio se immiscere, ne videantur & ipsi aliquo modo participes esse ipsorum vel infidelitatis vel impietatis. Audi Hilarium [n]: *Ostendit Dominus inter fidelem filium, patrémque infidelem ius paterni nominis non relinqui. Non igitur obsequium humandi patris negavit; sed admonuit non admisceri memoriis sanctorũ mortuos infideles. Mortuos autem etiam eos esse, qui extra Deum vivant. Et idcircò mortua mortuis officia relinquenda, ut mortui sepeliantur à mortuis: quia per Dei fidẽ vivos vivo oporteat adhærere.* Audi Ambrosium [o]: *Non paterni funeris sepultura prohibetur, sed necessitudini generis divinæ religionis pietas antefertur. Illud consortibus relinquitur, hoc mandatur electis. Aut quia sepulchrum* [p] *patens est guttur eorum, memoria* [q] *eorum abolenda præscribitur, quorum simul cum corpore meritum occidit: nec revocatur ab officio patris filius, sed fidelis à perfidi communione secernitur. Non interdictum est muneris, sed re-*

[k] *Matth.* 8. *Luc.* 9.

CHRISTI DE EO PRÆCEPTUM.

[l] *Hilar. Hieron. Chrysost. Theophylact. Euthym. in Matth. Ambros. in Psalm.* 48. *&c.*

[m] *Aug.* 4. *de Trin.* 10. 20. *de civit.* 6. *& serm.* 6. *de verb. Dom.*

[n] *In Matth. can.* 7.

[o] *Lib.* 7. *in Luc.* 9.

[p] *Psalm.* 5.

[q] *Psalm.* 9.

ligionis mysterium: hoc est, communionem nobis cum gentibus mortuis non futuram. Audi Hieronymum [e]: *Mortuus est, quicumque non credit: Si autem mortuum sepeli: mortuus, non debemus curam habere mortuorum, sed viventium: ne dum solliciti sumus de mortuis, nos quoque mortui appellemur.* Audi & Chrysologum [f]: *Fidei filius ad domum perfidiæ cur rediret? Salutis proles perditum cum perditis cur defleret? Resurrectionis pignus ad sepulchra genitoris quid curaret? Accedebat ad causam, quòd cadaver perfidiæ perfidis agebatur obsequiis, & impietatis ministerio pietas curabatur. Christus ergo discipulum suum non deesse voluit exequiis paternis, sed profanis luctibus noluit interesse.* Audi & ex Græcis Theophylactum [t]: *Dicens, sine mortuos sepelire mortuos suos, insinuat incredulum fuisse patrem illius; & propterea indignum, cuius curam ageret filius qui crediderat.* Audi denique ex Chrysostomo [u] Euthymium [x]: *Opinor eum qui mortuus erat, infidelem fuisse; ideóque dixisse Christum, Dimitte mortuos, hoc est, recede ab his qui in fide mortui sunt, ut sepeliant mortuos qui ipsos contingunt. Nam hic mortuus, non est tuus mortuus: neque enim fideli pars est cum infideli.* Quæ quidem omnia non eo tantùm fine à nobis prolata volumus, ut omninò contendere velimus patrem huius discipuli fuisse Ethnicum: (quod nonnulli eâ ratione non admittunt, quia non videtur probabile, Christum tunc temporis hominem qui Iudæus non esset, ad prædicandum Evangelium vocâsse:) sed ut tantorum Patrum testimoniis ostendamus, fidem antiquæ Ecclesiæ, quam ipsi repræsentant, in eo fuisse, ut ex prædictâ Christi doctrinâ firmum eliceretur argumentum, vitandæ à fidelibus omnis cum quibuscumque Infidelibus, sepulturæ ac sepulchrorum, sive activæ, sive passivæ communionis; hoc est, ut non solùm non ipsi eorum sepulchris aut funeribus communicent, sed nec patiantur eos suis communicare.

[e] In Matth. 8.
[f] Serm. 13.
[t] In Luc. 9.
[u] Hom. 28. in Matth.
[x] Cap 10. in Matth. 8.

III.
ET EXEMPLUM.

Et ut ipsiusmet Exemplum Domini (quod promisimus) attingamus; nónne ad confirmandam hanc doctrinam voluit [y] ipse & à solis *suis discipulis sepeliri*, & *in monumento novo, in quo nondum quisquam positus fuerat, poni?* Sanè si nihil aliud curandum fuisset, nisi ut corpus eius

[y] Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

ſepulturæ traderetur; erat illud neceſſariò ex lege Mo-
[1] Deuter. 21. ſis [2] ab ipſis Iudæis, vel Gentilibus crucifixoribus, ante occaſum Solis deponendum de cruce, eodémque die ſepeliendum: nec adeò vel ipſum Dominum, qui poſt triginta octo circiter horas reſurrecturus erat, vel eius diſcipulos, quibus fides huius reſurrectionis inerat, ſolicitos habere debuiſſet honoratioris cura ſepulturæ: nec denique, ſi nihil ſpecialis obſervationis hàc in re extitiſſet, opus fuiſſet ſingulis Evangeliſtis eam ita accuratè deſcripſiſſe. At verò quoniam inſigne id documentum poſteris futurum erat, non permiſit Spiritus ſanctus aliquid ab eis taceri, quod eius commendationi & explicationi faceret: tum ad alia quidem plurima ſignificanda, quæ expendunt Interpretes; tum verò quod diximus, ut diſcipuli Chriſti intelligerent, nihil ſibi poſthac commune eſſe debere cum Iudæis in rebus ſacris & religioſis, poſtquàm per veli templi ſciſſionem, quæ contigit in ipſâ Chriſti animæ expiratione, facta [a] eſt abrogatio, ac veluti diſſolutio Synagogæ; & ex adytis [b] templi, Virtutum cæleſtium auditæ ſunt erumpere voces, *Tranſmigremus ex his ſedibus*. Habemúſque diſertiſſimam huius doctrinæ confirmationem, à Dionyſio [c] traditam, qui Dominum in carne vidit, & cum Apoſtolis vixit: dum ſacros deſcribens Apoſtolicos ritus in defunctis obſervari ſolitos, imprimis docet (quod nuper attigimus) nec quidem ipſos fideles indiſcriminatim ſepeliri conſueviſſe, verùm ſeiunctim iuxta ordinem aut clericalem aut laicalem, quem in vitâ obtinuiſſent. Deinde verò quibuſnam intereſſe liceret ceremoniis ſepulturæ enarrans, ait, *Catechumenos ex iis ſanctis locis eiici ſolitos, propterea quod hic ordo nullum penitùs ſacrum myſterium didicit, neque ei fas eſt quicquam ſive parvum ſive magnum eorum quæ ſanctè* perficiuntur aſpicere. Si non poterant Catechumeni (hoc eſt, qui poſt baptiſmi petitionem, priuſquàm illum conſequerentur, & in Eccleſiam intromitterentur, inſtruebantur in fide; quos & ideo nonnulli in membris Eccleſiæ cenſuerunt [d] numerari quoad fidem, licet non quoad communicationem ſacramentorum) aſpicere, vel intereſſe

[a] Aug. ſer. 114. de temp. Leo ſerm. 10. de Paſſio. Cæſar. hom. 6. de Paſch.
[b] Euſeb. in Chron. Hieron. ep. 17.
[c] De Eccl. hier. cap. 7.

S. DIONYSII TESTIMONIUM.

[d] Vid. Suar. tract. de Fide, diſp. 9. ſect. 1. num. 18. & 19.

esse mysteriis in sepulturâ Fidelium fieri consuetis; multò quidem minùs & eorum participes esse. Quemadmodùm & longè posteà in Concilio Bracarensi [e] Primo, qui pravus in contrarium irrepserat per ignorantiam apud quosdam usus, ad rectam formam antiquam à Patribus emendatus est; ut scilicèt Catechumenis sine redemptione baptismi defunctis, neque in oblatione commemoratio eorum fieret, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducerentur: qui sunt præcipui ritus sepulturæ Fidelium, quorum Dionysius meminit, quíque & hodie à Catholicis observantur. Si verò iis mysteriis interdicebatur Catechumenis, fidem quærentibus, ac propediem nomen Christo daturis; an non magis ceteris Infidelibus interdici debuit, Christum penitùs ignorantibus; ac demùm maximè hæreticis, fidem cognitam deserentibus, aut malis Christianis illam despicientibus?

[e] Can. 27. al. 35.

IV. PRAXIS TEMPORUM APOSTOLICORUM.

Atque ut verborum doctrinam, exemplis rerum iisdem Apostolicis temporibus gestarum, confirmemus; de praxi huiusmodi sepulchrorum distinctionis, inter diversæ Religionis sectatores tum receptâ, luculentissimum habemus testimonium magni Gamalielis præceptoris olim Pauli Apostoli, & posteà discipuli Christi Domini: qui in illâ Revelatione [f] celeberrimâ factâ Luciano Presbytero reliquiarum S. Stephani Protomartyris, ac sociorum fidei & sepulchri, cuius sæpiùs contigit suprà mentionem fieri; postquàm dixit, proiectum fuisse corpus Protomartyris à Iudæis absque sepulturâ: *Ego Gamaliel* (inquit) *compatiens Christi ministro, & festinans habere mercedem à Domino, & partem cum sancto viro fidei; misi per noctem quantos poteram religiosos Christianos, & in Christo Iesu fideliter credentes, habitantes Ierusalem in medio Iudæorum; & hortatus sum eos, & necessarias substantias ministravi, ac persuasi illis ire occultè, ut portarent corpus eius meo vehiculo in villam meam; & ibi feci eum poni in meo monumento novo in Orientali thecâ, & præcepi meis ut quæcumque necessaria erant pro eius planctu de meo darent. Ipse etiam domnus Nicodemus in aliâ thecâ positus est, qui venit ad Salvato-*

[f] Ext. in Append. to. X. S. Aug.

rem Iesum nocte, & baptizatus est à Christi discipulis: & cognoscentes Iudæi, amoverunt eum à principatu suo, & anathematizaverunt eum, & de civitate exiliaverunt. Hunc ego Gamaliel, quasi persecutionem pro Christo passum, sustuli in meum agrum, & alui usque ad finem vitæ eius, & defunctum honorificè sepelivi iuxta domnum Stephanum. Similiter & Abibas filius meus dilectissimus, qui mecum Christi baptismum accepit ab eius discipulis, & ante me mortuus est, in tertiâ thecâ excelsiori iacet; in quâ & ego ipse posteà defunctus sum applicitus. Mea verò uxor, Ethna habens nomen, & Sedamias primogenitus meus, quia noluerunt esse Christi fidei cultores, in aliâ villâ matris suæ sepulti sunt. Quis aliquid disertius hâc in re desideret?

V. NEFAS IUDÆOS CUM CHRISTIANIS SEPULTURAM PARTICIPARE.

Sicuti porrò abominabantur Christiani, Iudæos in sua sepulchra admitti; ita & horruisse suorum cadavera in Iudæorum monumentis iacere, egregiè nos docet Ambrosius [g], cùm agit de solemni translatione à se factâ corporum Sanctorum Martyrum Vitalis & Agricolæ, qui passi pro Christo Bononiæ, Diocletiano & Maximiano Ecclesiam persequentibus, *inter Iudæorum* (inquit) *sepulchra reconditi fuerant, ne à fidelibus reperirentur. Christum igitur confitentes, & pro eius gloriâ morientes, inter eos qui eum negaverunt indecorè sepulti sunt. Locum autem, qui omnes latebat, Christus Dominus noster mihi revelare dignatus est. Ubi ieiuniis & orationibus plures habentes excubias, invenimus tandem pignora Martyrum, prout mihi Dominus revelaverat, tamquam inter spinas rosam legentes.* Quinimmò & adeò funebrium suorum rituum, utpotè sacrorum, & ad cultum religionis pertinentium, zelo ductos fuisse antiquos Christianos, eorúmque se tam solicitos custodes atque conservatores præstitisse, ut eos Iudæorum usu profanari putarent, timeréntque; constat ex eo quòd Patres Concilij Narbonensis [h] sub Reccaredo, *hoc ante omnia* (ut loquuntur) *decreverunt, ut Iudæis non liceret corpus defuncti deducere psallendo; sed ut eorum habuisset mos, & consuetudo antiqua, corpus deducerent, & deponerent.* Cùm & alioqui (ut præclarè observavit Gregorius [i] Nazianzenus adversus Iulianum Apostatam,

[g] *Exhort. ad Virg. & ep. 55.*

[h] *Tom. 2. Concil.*

[i] *Orat. 1. in Iulian.*

qui ritus Christianæ Religionis in Ethnicismum transferre summo studio pertentaverat, nec tamen perficere valuerat:) *Christianorum ceremoniæ & sanctiones tales sint, ut nullus eorum qui vestigiis nostris insistere cupiunt, eas æmulari possit: quandoquidem non tam humanis ingeniis atque inventionibus, quàm vi divinâ, temporisque firmitate, vigorem obtinuerunt.* Putóque ad Iudæorum pœnam pertinere, quod de illis qui ingenti numero per omnem Angliam habitabant, habet Polydorus [k] Virgilius; nonnisi Londini habuisse agrum ad condenda demortuorum cadavera; ac proinde necesse habuisse, ad eum locum maximo incommodo ex toto regno deferre: quousque ab Henrico Secundo Rege anno Domini 1178. impetrârunt, ut ubicumque degerent, eo loci agrum sepulturæ suorum assignatum haberent. Denique in Concilio [l] Basileensi, inter multa mala illud optimè, & ex antiquâ Ecclesiæ praxi, severè prohibitum fuit neophytis, è Iudaismo ad fidem Christi conversis, *ne mortuos suos more Iudæorum sepelirent; aut sabbata, & alios antiquæ sectæ ritus quoquo modo observarent.*

[k] *Hist. Angl. lib. 13.*

[l] *Sess. 19.*

VI. ITEMQUE GENTILES.

Si verò & de Gentilitiorum sepulchrorum detestatione exemplum quæras; illustrissimum tibi exhibeo ex epistolâ [m] S. Cypriani, & Coëpiscoporum Africanorum ad Clerum & Plebem Hispaniarum: cùm vehementissimè in Martialem Asturicensem Episcopum invehuntur, eumdémque iustissimè gradu depositum contestantur; quòd inter alia gravia scelera, *filios, exterarum gentium more, apud profana sepulchra deposuisset, & alienigenis consepelisset.* Idque omnibus populis qui ad fidem converterentur, diligenter insinuari ab eorum instructoribus consuevisse, argumento est, quòd posterioribus temporibus magnus Otto [n] Episcopus Bambergensis, Pomeranorum Apostolus dictus, hanc inter ceteras commonitionem non omisit; *Ne sepelirent mortuos Christianos inter Paganos in silvis, aut in campis; sed in Cœmeteriis, sicut mos esset omnium Christianorum:* quódque Severus [o] Pragensis Episcopus, inter *prævaricationes & scelera in Catholicam Religionem*, de quibus suos Boëmos arguit, ponit, quòd

[m] *Ep. 68.*

[n] *Aub. Urspberg. in Chron. an. 1124.*

[o] *Longin. in Hist. Polon. an. 1038.*

ſepulturas mortuorum in locis profanis, neglectis ædibus & cœmeteriis ſacris facerent. Et quod ad Hæreticos pertinet, maximè notandū eſt decretum antiquæ Synodi [p] Laodicenæ: quo ſub pœnâ excommunicationis prohibuit Catholicis, *in Cœmeteria, & quæ martyria hæreticorum dicebantur, orationis gratiâ intrare.* Si enim non orationis tranſitoriæ causâ, quantò minùs communicationis perpetuæ?

p Concil. Laodic. c. 9.

CAPVT IV.

De HÆRETICORUM *Privatione Sepulturæ per Catholicos.*

I. QUAMVIS quę ſuperiùs prolata ſunt de Chriſtianarum ſepulturarū ab Ethnicis & Iudaicis diſcriminatione teſtimonia, tantam ſibi ex maieſtate perſonarum, & temporum vetuſtate, concilient auctoritatem, ut non niſi iniurioſi videri poſſint, quibus ea non ſint ſatis ad comprobandas eaſdem in Eccleſiâ Catholicâ, adverſus omnes cuiuſvis alienæ fidei ac religionis ſectas, vigentes hodiéque obſervationes: nequi tamen exiſtiment, illarum nos ceterarum ætatum deficere exempla, néve in aliquorum incurramus ſcire ea cupientium offenſionem; humanius nobis viſum, ſingulorum replicare memoriam temporum, quibus apud omnes populos, cunctaſque gentes, quæ Chriſti religione inſignitæ fuerunt, eadem ipſa continuâ praxi uſurpata fuiſſe ab Eccleſiâ; ſive in ſolicitâ curâ ſacrarum ſepulturæ ceremoniarum, dum eas impiis denegavit; ſive in intemeratâ cuſtodiâ ſacrorum ſuorum ſepulchrorum, dum longè ab iis quoſcumque indignos repellere ſategit; ordine magis temporum, quàm per nationum aut criminum claſſes demonſtremus.

II. Ducatum impij agminis agat amentiſſimus Noëtus, multorum aliorum hæreſiarcharum patriarcha: qui [q] cùm Patrem omnipotentem eumdem eſſe Chriſtum, & ipſum natum, & ipſum paſſum, & mortuum eſſe diceret; ac in tantum faſtum elatus eſſet, ut ſe ipſum Moſen, fratrem ſuum Aaronem, ſive Eliam eſſe diceret: poſtquàm

q Epiph. hær. 57. Theodor. hær. fabul. lib. 3. Philaſtr. de hæreſ.

uterque mortuus est, (inquit Epiphanius) *Non ipse Noetus velut Moses in gloriâ, neque ipsius frater Aaron sepultus est in honore: sed abiecti sunt velut transgressores, & nemo ex piis ipsos coopernit.* Hancque fuisse communem priorum illorum temporum praxim, apprimè intelligitur ex constitutione quâdam [r] Constantini Magni, de Novatianis promulgatâ in hæc verba: *Novatianos non comperimus prædamnatos, ut iis quæ petiverunt crederemus minimè largienda. Itaque Ecclesiæ suæ domos, & loca Sepulchris apta, sine inquietudine eos firmiter possidere præcipimus; ea scilicèt, quæ ex diuturno tempore, vel ex empto habuerunt, vel quâlibet quæsierunt ratione. Providendum erit, nequid sibi usurpare conentur ex his, quæ ante dissidium ad Ecclesias perpetuæ sanctitatis pertinuisse manifestum est.* Consueverant igitur, qui fuerant ab Ecclesiâ prædamnati, sepulchris Ecclesiasticis privari. Sed quoniam Constantino persuasum tunc erat, Novatianos minimè fuisse prædamnatos, qui eorum hæresim, & damnationem, tunc temporis ignorare potuit, prohibet eos de sepulchris inquietari: quos proculdubiò nôsset eo honore indignos, si fuissent inter hæreticos adnumerati. Quippe (ut aliâ idem ipse constitutione [f] paulò antè declaraverat) privilegia quæ contemplatione religionis indulta essent, Catholicæ tantùm legis observatoribus prodesse, hæreticos autem atque schismaticos ab his privilegiis alienos esse oporteret.

[r] L. 2. C. Th. de hæres.

CONSTANTINI MAGNI DE HIS CONSTITUTIONES.

[f] L. 1. eo.

III.

CONTRECTATIO LOCULI CONSTANTINI, IN CRIMEN VERSA MACEDONIO HÆRETICO.

Et priusquàm abeamus à Constantino, quid est quod cùm Macedonius Episcopus Constantinopolitanus, minante ruinam templo ubi conditum erat corpus Constantini, voluit illud transferre in Ecclesiam S. Acacij martyris, ne loculus corporis penitùs obrueretur; magnâ inde ortâ in populo seditione, qui fidem Consubstantialis sequebantur, hoc est Orthodoxi atque Catholici, communi consensu præ ceteris ei acriter restiterunt, etiam usque ad armorum dimicationem, & multam sanguinis fusionem? cùm præcipuè & necessaria videretur omninò corporis translatio, quòd (ut ait Socrates [t] hanc historiam narrans) adeò præsens videretur ruina templi, ut populus qui ad preces eò accesserat, in magno metu

[t] 2. hist. 30.

esse cœperit. Quid, inquam, istud; nisi quòd (ut accuratiùs observat Sozomenus [u]) fuisset Constantinus fidei Consubstantialis fautor; ac proinde non paterentur Catholici sacrum eius sepulchrum à perfidissimo hæretico Ariano contrectari, corpúsque contumeliâ affici per translationem quantumvis necessariam à scelestissimo sanguinario præsumptam? Tulit id quidem ægrè Constantius filius Constantini, quòd id præsumpsisset Macedonius, se Imperatore absente, & inscio: cùm etiam leges Imperiales (quod aliàs vidimus) eiusmodi translationes vetarent fieri iniussu Principum, ceu Pontificum: sed cùm & ipse Constantius hæresim sectaretur Arianam, non erat quòd Catholici tanto ardore obstarent Macedonio, nisi vidissent agi de conservatione iurium suæ Religionis. Quid verò putamus, si nollent Macedonium sepulchra religiosa tractare, facturos fuisse eiusdem ipsius corpori post mortem, si lege Christianâ in illud agere datum fuisset? Audi Gregorium [x] Nazianzenum, funus Iuliani Imperatoris Apostatæ, è Perside, ubi occisus fuerat, Tarsum Ciliciæ, ubi se condi iusserat, prosequentem: *Exagitabatur à populis & urbibus, publicisque & scurrilibus vocibus. Mimi & histriones eum ducebant, probrisque à scenâ petitis, ac ludibriis incessebant; eíque fidei abiurationem, & cladem, vitæque finem exprobrantes, nihil denique ex eis non facientes ac dicentes, quæ huiusmodi homines, qui petulantiam pro arte habent, perpetrare consueverunt: quoad eum tandem Tarsensis civitas excipit, haud scio quomodo & quam ob causam hâc contumeliâ mulctata. Hîc illi templum infame, tumulúsque impurus, & execrandus, ac ne piorum quidem oculis spectabilis.* Quem sanè, probè sibi consuluisset Iovianus eius in Imperio successor, si numquam spectâsset. Quòd enim exercitum reducens, Tarsi exornari [y] sepulchrum Iuliani non dubitaverit, ceterà Princeps Orthodoxæ fidei cultor & confessor, non vanè creditur paucos post dies divinâ vindictâ de medio sublatus esse; dum gustatis tantùm (ut Hieronymus [z] loquitur) Imperialibus bonis, fœtore prunarum suffocatus interiit noctu, florente triginta trium annorum ætate, nec solido

[u] 4. hist. 20.

[x] Orat. 2. in Iulian.

[y] Ammian. lib. 25.

[z] Ep. 3. ad Heliodor.

Principatûs octavo mense. Siquidem ædificatione & ornatu sepulchri probari acta eorum qui ibi reconditi sunt, sententiâ Domini[a] manifestum redditur, dum invehitur in hypocrisim Scribarum & Pharisæorum, quòd ædificarent sepulchra Prophetarum, & ornarent monumenta Iustorum, ac proinde videri vellent eorum defensores & imitatores; cùm tamen easdem operarentur impietates, quas perpetrâssent sui patres, qui Prophetas illos & Iustos occidissent. Ut etiam, si quidem verum dixerimus quod Cedrenus & Zonaras recentiores auctores scribunt, cadaver impij Iuliani Tarso posteà Constantinopolim translatum fuisse, & honorificè conditum; addiderimúsque quod Ioannes[b] Episcopus Citri habet, collocatum illud fuisse cum ceteris piis Impp. in templo SS. Apostolorum, à Constantino Magno constructo: minùs sit mirandum, si tot clades Constantinopolim invaserint, & universum Imperium Orientale in malam perniciem præcipitaverint. Cùm & alioqui non sit nobis sermo de iis quæ præter ordinem nonnumquam facta reperiuntur, sive per Principes supremâ suâ auctoritate, sive per hæreticos aut schismaticos in usurpatione communicationis cœmeteriorum Catholicorum, quibus non potuêre Catholici resistere: sed de universali usu Ecclesiæ, quotiescumque & ubicumque liberè potuit suis iuribus, constitutionibus, & consuetudinibus uti, déque divinis earum confirmationibus.

[a] Matth. 23. Luc. 11.

[b] Resp. ad Const. Cabasil. in Iur. Gr. Lat. lib. 5.

I V.

IMPP. IMPII SEPULTURA PRIVATI.

Sanè & Valens, qui cum fratre Valentiniano proximè successit Ioviano, & olim ipse confessor, sed posteà à recto fidei Catholicæ tramite in hæresis invia devectus; cùm post longam ac sævissimam in Orthodoxos persecutionem, tandem cum Gothis lachrymabili bello commisso, sagittis saucius in casam deportatus fuisset vilissimam, & supervenientibus Gothis incendio concrematus; *ne sepulturâ quidem quâ famuli vel mendici, dignatus est:* ut disertim, ceu pœnam eius apostasiæ debitam, observârunt Hieronymus[c] & Theodoretus[d]. Quemadmodùm & Chrysostomus apertè scribit, Regibus, qui contra legem Dei agunt deneganda esse solemnia sepulturæ.

[c] In Chron. in fi.

[d] In Hist. SS. Patr. in Aphraat.

Quare & posteà Anastasio Imp. impio & hæretico, in cubiculo suo fulgure divinitùs percusso; corpus eius *cum ignominiâ absque consuetis exequiis elatum est:* uti narrat in suo Chronico Victor Tununensis in Africâ Episcopus. Et defuncto item miserrimè in peccatis suis Alexandro Imp. Basilij Macedonis filio, Leonis Sapientis fratre, qui impiis suis dictis & gestis, si diutiùs vivere permissus fuisset, egregiorum pœnitudinem decessorum, quòd talem sibi successorem reliquissent, inducere potuisset; idem infami exitu sublatus, turpissimè quoque fuit elatus: cùm & *colliquescente iam in putorem corpore, factum est ut vix ad destinatum sepulchrum delatum turpiter fuerit, & ignominiosè proiectum: neque solita viris piis post mortem adhiberi exequiarum iusta ei persoluta fuère, neque regia exhibita à Magistratibus pompa:* ut scribit Aretas [c] Cæsariensis in Cappadociâ Archiepiscopus, cùm agit de translatione Euthymij pij Patriarchæ, quem impius Imp. è sede deturbaverat: addens, oportuisse ut huiusmodi sepulturam talis vir nancisceretur, quæ debita rebus ab eo scelleratè gestis, alterius ei vitæ supplicia repræsentaret. Sed satis veterum Orientalium Imperatorum.

[c] Ap. Lipom. tom. 3.

V. ALIIQUE MORIBUS IMPROBI, LICET FIDE CATHOLICI.

E quorum sublimi throno ad humiliorum exempla revertentes, ut nos quàm citissimè impudicâ feminâ expediamus, narrat Procopius in Anecdotis Iustiniani, Antoninam Belisarij coniugem, famulos qui turpes eius amores detexerant, linguis primùm resectis membratim concisos, sacculisque inclusos, in altum demersisse. Sceleratè quidem illa: Sed si de pœnâ improbis iustè debitâ Pachomium illum magnum, qui temporibus Magni Constantini universam Ægyptum & Thebaidem vitæ sanctitate, & miraculorum editione, siquis alius, illustravit, consulamus; inveniemus in eius Rebus [f] gestis, quas Dionysius exiguus è Græcis Latinas fecit, ipsum, cùm aliquando monasteria quæ ab eo curabantur invisens, cuiusdam fratris occurrisset exequiis, qui quamvis vitam suam negligenter consumpsisset, tamen à fratribus ipsius monasterij, & parentibus ac propinquis defuncti, funere deducebatur honorifico; confestim præcepisse defuncti

[f] Vit. Pachom. cap. 34.

defuncti vestimenta splendida, quibus indutus erat, auferri, eaque coram omnibus comburi; *& ita cadaver efferri, ac prater aliquam psalmodiam sepeliri.* Quod quantæ ignominiæ esset, satis ibidem declaratur, dum subditur, parentes defuncti cœpisse rogare Pachomium, ne mortuo hanc irrogaret iniuriam, unde & *ipsimet maximo notarentur opprobrio, aliaque quamplurima suspicionum probra nascerentur.* Et qualem putamus sepulturam obtinuisse monachum illum Nitriæ, quem refert S. Hieronymus [g], quòd centū solidos, quos lina texendo acquisierat, moriens dereliquisset, sancto per patres qui aderant decernente Spiritu, terræ defossum esse cum iisdem suis solidis, conclamantibus cunctis, *Pecunia tua tecum sit in perditionem?* Iudicium pronunciet supremus Ecclesiæ Christianæ Iudex Gregorius [h] Magnus. Is sanè dum similem narrat historiam de quodam monacho sui monasterij, qui in extremo vitæ repertus esset tres aureos occultatos habuisse, scribit, iussisse se præfecto monasterij, caveret diligenter nequis ex fratribus se ad eum morientem iungeret; *cùm verò mortuus fuisset, corpus illius cum fratrum corporibus non poneretur, sed in sterquilinio proiiceretur;* ibique super eum tres illos aureos iactarent, omnes simul clamantes, *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Solemni formulâ in proprietarios monachos: quam primò Petrus [k] Apostolus terribiliter protulit in Simonem Magum, quòd donum Dei existimâsset pecuniâ possideri. Sic enim & posterioribus temporibus, cùm monachus quidam Carthusianus [l] ardens ad nummos, plurimos iuxta se clàm coacervâsset; ac tandem iusto Dei iudicio in reprobum traductus sensum, nec sceleris sui pondus ipse ferre valens, nec tamen per pœnitentiam deserere volens, in cellâ linteo semetipse suffocâsset: Prior ac Fratres monasterij, nummos *inventos super ipsum in sterquilinio sepulturæ traditum proiecerunt, clamantes: Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Denique propriam esse proprietariorum monachorum pœnam, Christianæ privationem sepulturæ; Concilium [m] Lateranense sub Alexandro Tertio, ac posteà Clemens [n]

[g] *Ep. 22. ad Eustoch. de custod. virgin.*

[h] *4. Dialog. 55.*

SOLEMNIS IMPRECATIO IN MONACHOS PROPRIETARIOS.

[k] *Act. 8.*

[l] *Chron. Carthus. lib. 7. cap. 39.*

[m] *Cap. 10.*

[n] *C. super quodam. ex. de stat. monac.*

Tertius declarârunt. Nec cùm ad Carthusianos pervenimus, & de sterquilinari sepulturâ agimus, omittendum omninò horrendum illud spectaculum, quod Ordini[o] Cathusiensi initium præbuisse circa annum Domini millesimum octogesimum sextum, à nonnullis asseritur, ceteris licèt dubitantibus: quando videlicèt, ut aiunt, quidam in celeberrimâ Parisiensium Academiâ præcipuæ eruditionis Doctor; & omnium opinione vir sanctissimus, cùm in spiritu nimiæ præsumptionis defunctus, sepulturæ tradendus esset in ecclesiâ, & officium ex more celebraretur pro illo; repentè è feretro sese erigens, terrificâ voce clamavit, *Iusto Dei iudicio se accusatum esse*: unde in crastinum funere reservato, in frequentissimo totius urbis concursu erigens se rursùs, horribili mugitu *Iusto Dei iudicio se iudicatum*: ac demùm tertiâ die desperabili voce *Iusto Dei iudicio se damnatum esse* proclamavit: Qui propterea *indignus iudicatus ecclesiasticâ sepulturâ, in sterquilinium proiectus, sepulturâ asini sepultus est.*

o Vit. S. Brunonis ap Sur. 6. Octob. Anton. par. 2. tit. 15. cap. 22. Nauclec. gener. 37. &c.

VI.

ALIA PRIVATIONIS SEPULTURÆ, AUT FUNERIS EXEMPLA EX OMNI NATIONE.

Sed vetustiora repetentes, magnus ille Philosophus & Antistes Synesius, in Synodo Ptolomaidensi in Pentapoli Ægypti iaculum excommunicationis adversus Andronicum provinciæ Præfectum, eiusque socios impios & irreligiosos vibrans; inter alia cunctis sacerdotibus solemni formulâ edixit, ut *neque viventes ipsos salutarent, neque mortuos funebri pompâ deducerent.* Ægréque admodùm apud Cassianum[p], cùm Hero anachoreta ab angelo sathanæ deceptus, semetipsum in puteum altissimum præcipitem dedisset, magnum virtutis suæ meritum probaturus, indéque exiens vitam brevi finisset; qui eius compatiebantur exitio, potuerunt obtinere ab Abbate Paphnutio, pro meritis multorum & magnorum laborum in rigore continentiæ & solitudinis ab eodem Herone exantlatorum, & quinquaginta annorum numerositate quâ in eremo perduraverat, necnon miseratione & humanitate summâ, *ut non inter biothanatos reputatus, etiam memoriâ & oblatione pausantium iudicaretur indignus.* (Biothanatos vocabant olim Gentiles ignomi-

p Collat. 1. cap. 5.

niæ causâ Christianos, quòd morti violentæ obnoxij essent.) Quâ sanè misericordiâ omninò privatus fuit in Galliis Palladius Comes, quòd se à Sigeberto Rege interfici debere falsò invidorum rumore accipiens, mortem sibi ipsi consciviſſet. Quamvis enim sepulturæ mandatus fuerit, *non tamen iuxta Christianorum cadavera positus, sed nec Missarum solemnia meruit*: ut scribit Gregorius [q] Turonensis. Qui & memorandum eius interitûs modum recensens, ait eum evaginati gladij cornua pedibus calcantem, acumen ad pectus erexisse, impressúmque gladium ab unâ ingressum mamillâ in spatulam dorsi egressum esse; ac nihilominùs erectum rursùm, alterâ similiter mamillâ sese perfodisse, túmque cecidisse mortuum: mirúmq; existimans quòd à primâ corporis transfossione sese Palladius erexerit ad aliam, non nisi diabolicâ id ope peragi potuisse autumat: permittente Deo tãtum scelus in vindictam iniuriæ à Palladio illatæ Parthenio Episcopo Gabalitano. Idémque necem referens [r] Gundobaldi, qui se filium iactabat Clotarij Regis, postinde subiungit: *Venitque omne vulgus, & defixis in eum lanceis, pedes eius fune ligantes per omnia exercituum castra traxerunt: evellentésque cæsariem ac barbam eius, insepultum eo in loco quo interfectus fuerat reliquerunt.* Paritérque in Italiâ regnante Ariovaldo Longobardorum Rege Ariano, (circa annum Domini 630) cùm eius iussu Blidulfus quidam monachus Bobiensis Catholicus plagis contusus fuisset; & percussor eius divinâ vindictâ correptus igne febrium, inter pœnales incendij calamitates vitâ privatus esset; *nequaquam eum iuxta aliorum sepulchra sepelire ausi sunt, sed procul ab hominibus in quodam loco voluerunt*: ut scribit Ionas [s] Abbas in Vitâ S. Attalæ Abbatis Bobiensis, qui proximè successerat S. Columbano illius monasterij fundatori.

[q] 4. Hist. Franc. 34.

GRANDE FACINUS HOMINIS DESPERATI.

[r] Id. 7. hist. 38.

[s] Ap. Bed. to. 3.

VII.

Et in Maiori Britanniâ, auctore Bedâ [t], quidam monachus nobilis cuiusdam monasterij, cùm à vitæ remissioris illecebris correptionibus fratrum converti contempsisset, & diù toleratus ab eis, insanabilique tandem

[t] 5. hist. Angl. 15.

liguore percussus, horribili visione loci apud inferos sibi præparati, in desperatione sine viatico salutis miseram animam efflâsset; *corpus eius in ultimis est monastery locis humatum: neque aliquis pro eo vel Missas facere, vel psalmos cantare, vel saltem orare præsumpsit.* Eodémque propè tempore cùm Scotorum [u] Regina Fergusium Regem eius nominis Tertium, quòd ab eo pellicum amore despiceretur, noctu propriis manibus strangulâsset; criménque publicitùs fassa sibi ipsa manus intulisset: eâ de causâ *sacrâ caruit sepulturâ.* Ac rursùm in eâdem Britanniâ Rex Anglorum Æthelstanus, (ut est apud Malmesburiensem [x]) cùm detectâ Elfredi cuiusdam coniuratione, eumdem Romam remisisset, ut se apud Ioannem Papam Decimum purgaret; isque Elfredus ad altare S. Petri innocentem se falso iuramento asserens, & mox divinâ vindictâ in terram corruens, post tres dies miserè vitam finisset: indignum eum omninò Christianorum sepulturâ decrevit; nec illam diù licèt, & instanter, à suis Optimatibus rogatus, nisi consulto & consentiente Pontifice ei conferri permisit. Et ut narrat Matthæus Paris anno 1255. cùm quidam nobilis flagitiosus, ut patris sui hereditatem citiùs consequeretur, mortem eius procurâsset; eâ de re convictus, suspensus est ad patibulum: & cadaver propter sceleris immanitatem, devorandum expositum est canibus & volucribus. Veneti Petrum [y] Candianum Ducem suum, ob tyrannidem necatum unà cum parvulo filio, ad macellum traxerunt, eorumdémque corpora in frustra concidi, canibúsque devoranda proiici iusserunt. Rursúmque in Italiâ Bonifacius Cardinalis, cognomento Franco, patriâ Romanus; qui Benedicto Papâ Sexto in carcere strangulato, & Ioanne Decimoquarto similiter in carcere fame perire coacto, Sedem Apostolicam vi occupaverat sub nuncupatione Bonifacij Septimi; paulò pòst Deo ultore morte repentinâ sublatus, tanto odio fuit suis, ut *post mortem cæderent eum, & lanceis vulnerarent, atque per pedes traherent nudato corpore usque ad campum; &*

[u] Boëth. l. b. 9.

[x] De Gest. Reg. Angl. lib. 2. cap. 6. an. 924.

[y] Sabell. Dec. 1 lib. 3. Egnat. lib. 9. cap. 10.

ibi proiecerunt eum, atque dimiserunt: prout legitur in veteri Pontificum Romanorum Vaticano [z] codice. In Concilio verò Lemovicensi [a] habito anno Domini millesimo trigesimo quarto pro pace Ecclesiæ conservandâ, & Apostolatu S. Martialis asserendo, (qui fuit illic, sicut & anteà in Bituricensi, Synodicè stabilitus) accusatus quidam Abbas, quòd passus fuisset cæsum excommunicatum Vicecomitem in loco Monasterij sepeliri, sic in suî excusationem loquitur: Ecce idoneos testes adhibeo, quia ille Vicecomes, postquàm prædando interfectus est, me ignorante à militibus suis ad monasterium nostrum deportatus est; *cuius corpus neque suscepimus, neque sepelivimus; sed sine officio sacro ultra aquam vehi iussimus, ubi milites ipsi, nullo adstante clericorum, sepelierunt illud*: longè nimirùm à loco sacro. Et acerrimus ille vitiorum insectator, & Ecclesiasticæ disciplinæ rigidissimus observator, Petrus [b] Damiani, dum Romæ quondam ageret, interrogatus quid de presbytero fornicario agendum, qui repentinâ divinæ ultionis animadversione percussus, manè repertus fuisset in suo lecto exanimis; respondit, *ut eum quidem, quia presbyter fuerat, penes ecclesiam sepelirent; sed nullum ei vel hymnorum, vel psalmodiæ officium redderent*: cùm alioqui *dignus videretur ut mortuus sepulturam possideret asini, qui dum viveret humanâ contempsisset lege constringi: Sicut de Ioachin filio Iosiæ Rege Iuda per Ieremiam dictum esset; sepulturâ asini sepelietur putrefactus, & proiectus extra portas Ierusalem.*

[z] *Ap. Baron. to. X. an. 985.*
[a] *Ap. eumd. to. XII. an. 1034.*

S. MARTIALIS APOSTOLATUS, ASSERTUS IN SYNODIS.

[b] *4. ep. 5. ad Cunib. Taurin. Episc. Baron. an. 1057.*

VIII. Quare & in Germaniâ defuncto in desperatione anno 1079. Vuillelmo Traiectensi Episcopo, fautore Henrici Tertij (Quarti dicti) Imperatoris excommunicati; *diù iacuit insepultus, donec Romam mittitur; & inde quæsito consilio, ne populus fœtore corrumperetur, Apostolico iussu sine commendationibus sepelitur*: ut ex Annalibus Ecclesiæ Magdeburgensis recitat Paulus Langius in Chronico Citizensi. Quinimmò & ipsemet Henricus, in cuius gratiam Vuillelmus iste cum pluribus aliis omnis conditionis hominibus spontaneâ damnatione perierũt, postquàm universam Italiam & Germaniam sævissimâ in legitimos

HENRICUS IMP. III. SEPULTURA PRIVATUS.

Romanos Pontifices & Catholicos omnes persecutione vexavit, propriam matrem à se abalienavit, coniugem inaudito vituperio prostituit, filium in se armavit, & nullius non sceleris reum se præbuit, ac mortuus tandem est ingenti omnium gaudio Leodij; ex iis qui ei adhæserant, *Leodiensis Episcopus*, (inquit Abbas [c] Urspergensis) *caeterique coëpiscopantes, inter cetera recipiuntur in communionem pœnitentiæ hâc conditione, quòd cadaver ipsius excommunicati absque ullâ sepulturæ vel exequiarum communione, in loco non consecrato deponerent. quo facto, paulò pòst corpus ipsum Spirensi civitati est in Sarcophago lapideo delatum, sicque extra Ecclesiam ibidem per quinquennium mansit inhumatum.* post quod demùm sepulturæ Ecclesiasticæ demandari permissum est, cùm Sacerdotes Germaniæ testati essent eum peccatorum suorum pœnitentem extremum clausisse diem.

[c] In Chron. an. 1106.

ITEMQUE ANTIPAPÆ

Sic & anno 1138. mortuo in peccatis suis Petro Leone pseudopontifice Anacleto, qui Sedem invaserat adversus Innocentium Secundum, fecerátque secundùm Prophetam [d] pactum cum morte, & cum inferno fœdus inierat; qui & fundamenta iecerat profanæ Siculæ Monarchiæ; *miserabili pompâ corpus eius effertur*, (inquit Bernardus Abbas Bonævallis in Vitâ [e] Magni Bernardi Abbatis Claravallensis, qui insignem navaverat operam extinguendo sævissimo illi schismati) *cadaverque eius in latebris sepelitur.* Quemadmodùm cùm infelix Octavianus, evectus ab hoste iuratissimo Ecclesiæ Romanæ Friderico Imp. Ænobarbo in Antipapam, adversus legitimum Ecclesiæ Catholicæ Pontificem Alexandrum Tertium, & impropriissimè Victor dictus, mortuus impœnitens esset in civitate Lucensi Tusciæ; *Canonici maioris Ecclesiæ, & Regulares Canonici S. Fridiani, ei sepulturam negârunt; præeligentes à suis migrare sedibus, quam admittere corpus schismatici, quem crederent in inferno esse sepultum:* ut legitur in Epistolâ [f] Nuncij S. Thomæ Cantuariensis, qui tunc erat Senonis in Galliâ apud Alexandrum, scriptâ ad eumdem Thomam, quo tempore is exagitari cœperat ab Angliæ Rege Henrico Secundo. Cùm & paulò antè (nempè anno 1155.) infaustus hæresiarcha Arnaldus de

[d] Isa. 28. Bern. ep. 147. ad Petr. Cluniac.

[e] Lib. 2. cap. 7.

[f] Ap. Baron. to XII. an. 1164.

Brixiâ, Politicorum hæreticorum Patriarcha, qui populum Romanum vesanis suasionibus diutiùs fatigavit, dum antiquam Reipublicæ formam restaurare, & Pontificem ceterósque ubique sacerdotes omni sæculari potestate, & bonis temporalibus privare sategit, adversus cuius fatuos æquè ac impios conatus idem S. Bernardus, aliíque eius temporis sanctissimi viri efficacissimè conclamârunt: postquàm tandem à Friderico Imp. captus, redditúsque est, *ad ultimum à Præfecto Urbis ligno adactus, ac rogo in pulverem redacto funere, ne à stolida plebe corpus eius venerationi haberetur in Tiberim sparsus*: ut loquitur Otto [g] Frisingensis: quod & Ligurinus vates versibus cecinit.

[g] *In Frider. lib. 2. cap. 7. Ligur. in Frid. lib. 5.*

IX. *Ex detentione Regis Angliæ ab Austrio, quanta damna processerint.*

Leopoldus quoque Austriæ Dux, excommunicatus à Cælestino Papâ Tertio ob captum iniustè Richardum Regem Angliæ, redeuntem ab expeditione Terræ Sanctæ; cùm deridens Pontificis anathema, gravissimâ ultione divinâ percussus, intolerabili cruciatu spiritum exhalâsset; quantumvis in fine reatum agnoscens ab Episcopis suis absolutus esset; nihilominùs quòd post eius mortem, filius eius cunctaretur restituere quæ pater iniustè pro redemptione Regis exegerat; *clerus* (inquiunt [h] Rogerus de Hoveden, & Matthæus Paris) *corpus eius nullo modo sepeliri permisit; sed diutiùs iacuit inhumatum, donec horribilibus scateret vermibus, eò quod filius eius mandatum exequi nollet*: &c. Eâdémque de causâ excommunicato ab eodem Cælestino, Henrico Quinto (dicto sexto) Imp. ac misero in excommunicatione ex hâc vitâ sublato; *prohibuit Papa*, (ut scribit idem Rogerus anno 1197.) *ne corpus illius sepeliretur*: nec multùm licèt rogatus permittere id umquam voluit, *nisi pecunia, quam ipse de Rege Angliæ ceperat, redderetur*. De quo, eiúsque filio Friderico Secundo, ac successoribus eius stirpis in Regno Siciliæ, Antoninus [i] scribit; quòd Ecclesiam persecuti sint, eiúsque bona invaserint, *sepulturâ Ecclesiasticâ indignos iudicatos esse*, ac Regnum Siciliæ, & Imperium Romanum amisisse. Innocentius [k] quoque Tertius, prædicti Cælestini successor, scribens Fratribus Ierosolymitani Hospitalis

[h] *In Hist. Angl. an. 1. 95.*

[i] *Tit. 19. c. 1. §. 5.*

[k] *Regest. edit. Tolos. lib. 3. an. 15. ep. 129.*

& Templi, qui excommunicatos Ecclesiasticæ præsumebant tradere sepulturæ, prætextu confraternitatis; ait hoc saluti ipsorum Fratrum esse contrarium: minatúsque est, *si ipsos, vel alios excommunicatos sepulturæ tradere præsumerent, non sine suâ indignatione ipsos huius præsumptionis correctionem sensuros.* Quare sub Honorio Tertio, qui Innocentio successit, Raymundus [l] Comes Tolosanus, Templariorum socius & confrater, quòd è præcipuis fuisset hæresis Albigensium fautoribus; quamvis aliàs pœnitentiam aliquam prætulisset, quòd tamen subitâ morte in excommunicatione subductus non potuit quicquã loqui, nequaquàm traditus est sepulturæ: adeò ut nec filius eius, etiam post obtentã Ecclesię pacem, productis testibus apud Sedem Apostolicã quòd signum pœnitẽtię dedisset, ullo modo, ut catholicã sepulturam consequeretur, obtinere potuerit; sed insepultus mansit in domo Tẽpli Tolosæ, quæ posteà fuit Hospitalis S. Ioannis. Ac denique præclarissima illa heroina *Ioanna, Aurelianensis Puella* dicta, cuius laudes cuncti ferè omniũ nationum atque linguarum scriptores [m] celebrârunt: postquàm divinâ fortitudine Carolum Septimum Francorum Regem Christianissimum, regno penè ab Anglis occupato, consilio manúque restituisset; capta demùm ab iisdem Anglis, & magiæ atque hæręsis falsò insimulata, combusta est, *collectíque cineres in flumen sparsi, ne quod reliquiarum servari, aut coli posset.* Quam tamen posteà Sedis Apostolicæ iudicio innocentem declaratam visuri sumus. Nec iam ulteriùs progredimur, seu plura cumulamus exempla: à bellicis præcipuè abstinentes, quæ plurimi victores in peremptos hostes; & à politicis, quæ minores magistratus in damnatos reos exercuisse reperiuntur: ne fortè eorum multitudine obruamur; quódque non sit instituti nostri, cuncta proferre, aut recentiora tempora percurrere; sed insignia quædam anteriorum eruere, quæ maximè ad sacra pertineant; & hodiernam totius Christianitatis observationem, antiquo singulorum populorum usu, contra perfidam Novatorum petulantiam confirment.

l *Chron. Monfort. Bellefor. 5. hist. Franc. 83. an. 1222.*

DE PUELLA AURELIANENSI.

m *Æn. Silv. descript. Europ. cap. 43. S. Anton. tit. 22. §. 7. Bergom. de clar. mul. cap. 1 7. Fulgos. lib. 3. dict. factor. memor. cap. 1. Sabell. 10. ennead. 3. Naucler. gener. 48. Meyer lib. 16. Gaguin. in Carol. Sept. Polyd. lib. 23. Boeth. lib. 16. Chalcond. lib. 2. &c.*

Quòd verò ut plurimùm exempla magnatum intulimus, tum ne putarentur ipsi eâ pœnâ immunes, tum ne dubitetur eam in minores exercitam esse; lubet hîc cum Sapiente [n] exclamare: *Audite ergo Reges, & intelligite: discite Iudices finium terræ. Præbete aurem vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo: qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicâstis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulâstis. Exiguo enim conceditur misericordia: Potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus; nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum, & magnum ipse fecit; & horrendè, & citò apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt fiet: æqualiter est illi cura de omnibus:* (tam scilicèt in retributione pœnarum, quàm præmiorum:) *fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo Reges sunt hi sermones mei; ut discatis sapientiam, & non excidatis. Qui enim custodierint Iustitiam, iustè iudicabuntur.*

X. MONITIO AD PRINCIPES.

[n] Sap. 6.

CAPVT V.

CONSTITUTIONES *Ecclesiæ, circa Privationem Sepulturæ.*

I.

CHRISTI autem sponsa, Ecclesia Catholica, quæ omnem iudiciariam potestatem ab eo accepit (ut Scriptura [o] loquitur) super Gentes, ut regat eas in virgâ ferreâ; (quæ est virga [p] directionis, tum ad ulciscendum [q] omnem inobedientiam; tum ad docendum [r] in charitate & mansuetudine. *In Christo* enim, inquit Augustinus [s], *habet Ecclesia hanc potestatem: sicut dixit Apostolus ad Romanos* [t], *cum illo nobis omnia donata fuisse. Sic virgam ferream dixit Ioannes* [u] *propter iustitiam & propter rigorem; cùm virgâ corrigantur boni, mali verò confringantur:* sícque eadem lupos arceat, & oves dirigat) tum factis, ut vidimus, docuit quid in re Sepulchrali agendum esset, nullâ habitâ

[o] Apocal. 2.
[p] Psalm. 44.
[q] 2. Cor. 10.
[r] 1. Cor. 4.
[s] Hom. 2. in Apocal.
[t] Rom. 8.
[u] Apocal. 2.

acceptione personarum: tum & verbis, cùm universim sanctionibus suis necessitatem omnibus ubique statuit id ipsum præstandi cùm res exegerit, & facultas suppetierit leges præscriptas exequendi.

II. Sic enim Iudæos, Infideles quoscumque, & Hæreticos atque Schismaticos, à sacris sepulchris arcet [x]; quia [y] quibus vivis non communicavimus, nec mortuis communicare debemus. quod & ita procedit, ut etiamsi post mortem detecti [z] fuerint tales in vitâ extitisse, è locis sacris eliminari debeant: atque etiam defensores [a], & receptatores eorum eâdem pœnâ mulctentur: & qui [b] eosdem scienter præsumpserint Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, excommunicationis pœnam incurrant; à quâ non absolvantur, nisi propriis manibus publicè extumulent, & proiiciant huiusmodi corpora damnatorum: ac locus ille perpetuâ careat sepulturâ. Catechumenos [c] quoque, sine redemptione baptismi defunctos, vetitum fuit cum psalmis Christiano more ad sepulturam deduci: quinimmò & Infantes [d] non baptizatos, licèt ex parentibus Christianis progenitos; quia cùm ipsi needum ingressi sint Ecclesiam Christi, non debent Christianam sepulturam adipisci. Excommunicatos item excõmunicatione maiori & notoriâ, quorum in vitâ consortium vitare debemus, inter Christianos prohibent canones [e] accipere sepulturam; eâdem excommunicationis pœnâ iis afflictâ, qui eos sepelire præsumpserint. Pariterque Interdictos [f] nominatim; & quibus [g] est Ecclesiæ prohibitus ingressus. Blasphemos [h] in Deum, vel aliquem Sanctorum, & maximè Beatissimam Virginem Matrem: Eos [i] qui semel in anno peccata confessi non fuerint, & in Paschâ sacram Eucharistiam non acceperint; nisi iusta & rationabilis aliqua causa intercesserit: Monachos [k] proprietarios: Raptores [l] impœnitentes; & Incendiarios Ecclesiarum: Fures [m] & Latrones, qui in furando

[x] C. Ecclesiam. 27. & 28. de consecrat. dist. 1. ex Concil. Aurel. & Agripp.n.

[y] 24. q. 2. c. sanè quod. ex Leon. I.

[z] 24. q. 2. c. sanè trister ur. ex V. Syn Oecum.

[a] C. sicut ait. de hæret. ex Conc. Later. sub Alex. III. c. quicumque de hæret. in 6. ex Alex. IV.

[b] C. 2. de hæret. in 6. ex Alex. IV.

[c] Concil. Bracar. I. c. 17. sive 35.

[d] De consecr. dist. 4. & ibi DD.

[e] ad cc. sanè quod & sicut: c. in nostra. & c. sacris. ex. de sepult. ex Innoc. III. c. ad hæc. de privil. ex Alex. III. & Clem. 1. de sepult.

[f] C. in nostra. de sepult. & c. cùm in partibus. de verb. sig. ex Innoc. III. Clem. 1. de hæret.

[g] C. is cui. de sent. excom in 6. ex Bonif. VIII.

[h] c. statuimus. de mal dic. ex Greg. IX.

[i] C. omnis. de pœnit. & remiss. ex Innoc. I, I.

[k] C. super quodam. de stat. monach. ex Clem. III.

[l] C. super eo. ex Eugen. III. & cum literis, ex Alex. III. de rapt. & incend.

[m] C. fures. ex Concil, Tribur. de furt. & ibi DD.

& deprædando occiduntur: Eos [n] qui sibi ipsis voluntariè, quâcumque ratione vel occasione, violentam inferunt mortem: (nisi ex furore, vel phrenesi, aut casu: vel etiam nonnumquam impulsu Spiritûs sancti, ut de quibusdam Sanctis tam antiqui [o] quàm novi [p] Testamenti legitur:) necnon qui pro suis sceleribus puniuntur, ac moriuntur impœnitentes. Morientes [q] item in Torneamentis, in quibus milites ex condicto convenire solent, & ad ostentationem virium suarum & audaciæ temerè congredi: adeò ut quamvis eis poscentibus pœnitentia non denegetur, Ecclesiasticâ tamen privandi sint sepulturâ: Et qui [r] in agitatione taurorum, & aliarum ferarum bestiarum, quamvis in honorem Sanctorum, seu quarumvis Ecclesiasticarum solemnitatum & festivitatum, fieri prætendantur: & qui in Duello [s], seu singulari certamine occisi fuerint; tamquam suî ipsorum homicidas, & propriæ mortis spontaneos appetitores. Ortóque detestandæ feritatis abusu, ut peregrè defunctorum corpora exenterarentur, & in frusta immaniter concisa aquis decoquerentur, ut ossa à carnibus separata ferrentur tumulanda in locum sepulturæ electum; exenterantes [t] quidem excommunicationi subiecti sunt; corpora autem ipsa exenterata, in detestationem criminis, & aliorum exemplum, Ecclesiasticâ sepulturâ privata. Decimas [u] item recipientes laici, & Ecclesiæ non restituentes, Christianâ sepulturâ privari iubentur. Sicuti & olim [x] qui tutorem constituisset presbyterum, privabatur oblationibus pro defunctis fieri solitis, ac proinde & Ecclesiasticâ sepulturâ. Et aliàs [y] Sanctimoniales irregulariter viventes; Advocati præter ius aliquid extorquentes; Incendiarij, qui malo studio, vel odio, aut vindictâ, ignem apposuerint; Christianorum iubentur carere sepulturâ: ac denique ut rem contraham, publicus quilibet peccator, vel desperatus decedens in ipso notorio peccato mortali absque eius detestatione; ut sunt [z] Meretrices, Concubinarij, Usurarij, & alij eiusmodi;

[n] *C. placuit. 23. q. 5. ex Concil. Bracar. I.*

[o] *Sampsone Iud. c. 16. Hebr. 11. Razia Machab. lib. 2. cap. 14.*

[p] *Apollonia ap. Euseb. 6. hist. 34 Sophronia ap. eum. 8. hist. 17. & Ruffin. lib. 8. cap. 17. Pelagia ap. Ambros. lib. 3. de Virgin. aliis ap. Athan. in Apol. &c.*

[q] *C. 1. de torneam. ex Conc. Lateran. sub Alex. III.*

[r] *Pius V. const. de salute.*

[s] *Concil. Valent. sub Leon. IV. c. 12. Conc. Trident. sess. 25. c. 19. de reformat.*

[t] *Extravag. commun. de sepult. c. 1. ex Bonif. VIII.*

[u] *C. prohibemus. de decim. ex Conc. Later.*

[x] *C. neque apud. dist. 88. ex Cypr. & ibi DD.*

[y] *Concil. Rhem. sub Eugen. III. ap. Baron. to. 12. an. 1148.*

[z] *C. quibus. c. non æstimemus. 13. q. 2. ex August. & ibi DD. c. quia in omnibus. de usur. ex Conc. Later. sub Alex. III. c. quamquam. eod. tit. in 6. ex Conc. Lugdun. sub Greg. X.*

quia [a] cùm non sint resurrecturi ad vitam æternam, sed destinati gehennæ, nec iuventur loci sanctitudine; haud æquum est, ut iis locis condantur, quibus Ecclesia ideò vult fideles sepeliri, ut ibi iuventur suffragiis & orationibus viventium; & tamquam sacrum depositum serventur, donec resurgant ad vitam æternam.

III.
CUIUSMODI SEPULTURA PROHIBEATUR AB ECCLESIA.

Quâ quidem in re notandum; cùm agitur de *Sepulturâ Ecclesiasticâ*, sive *Christianâ*, non omnem prohiberi sepulturam, seu tumulationem; sed tantùm illam quæ ab spirituali Ecclesiæ auctoritate pendet, hoc est, quæ fit in loco benedicto, quem Episcopus ad usum sepulturę Fidelium solemniter consecraverit, sive sit cœmeterium, sive ecclesia; vel qui Ecclesiæ, seu pastorum eius auctoritate, ac receptâ consuetudine, ad illud munus speciatim destinatus sit. Itémque illam, quâ corpora, etiamsi non deferantur in huiusmodi loca, deferuntur tamen cum pompâ funerali Ecclesiasticâ, cum psalmis, cereis, & aliis sacris atque solemnibus Christianorum funerum ceremoniis. Hâc enim sepulturâ iubentur privari omnes illi, quos diximus: & qui eam illis impertierint, quâ peccant lethaliter, quâ etiam excommunicationem [b] incurrunt, pro casûs aut criminis gravitate: & si cadavera sepultorum internosci queant, exhumanda [c] sunt, & in profanum locum abiicienda: aliquando etiam cœmeterium, sive ecclesia in quâ sepulta fuerint, novâ benedictione [d] reconcilianda, vel etiam parietes [e] & tigna abradenda. Cùm alioquin minimè prohibere consueverit Ecclesia, quæ mitiùs semper agere gaudet, quin iidem impij ac rei, in campis & locis privatis sepulturam à quibuslibet tam sæcularibus, quàm etiam Ecclesiasticis personis adipiscantur, etiamsi locus esset contiguus ecclesiæ vel cœmeterio consecrato; dummodò non intra locum consecratum, nec cum ceremoniis Ecclesiasticis: ut est communis omnium Theologorum [f] sententia. Ita tamen ut nullum sit periculum, aut suspicio alicuius permixtionis: sicuti providissimè constitutum reperimus à Gaufrido de S. Bricio Episcopo Santonẽsi in Synodo suâ diœcesanâ anno 1282. cùm ad tollendũ abusum, quo cadavera Excommunica-

[a] *Hæc ita colliguntur ex c. quibus. & 2. seqq. c. quæsitum. c. fures. 13. q. 2.*

[b] *C. quicumque. de hæret. in 6. Clem. 1. de sepult. &c.*

[c] *C. ecclesiam. 27. & 28. de consecrat. dist. 1. c. sacris. de sepult. c. super quodam. de statu monach.*

[d] *C. consuluisti. de consecr. eccl. vel alt. quod tamen novo iure, post const. Mart. V. ad evitanda. non est necessarium; nisi sepulti fuissent nominatim excommunicati ac denunciati, vel notorii clericorum percussores.*

[e] *C. ecclesiam. 28. de consecr. dist. 1.*

[f] *Vid. Sayr. in Thesaur. Cas. consc. lib. 3. cap. 3(?). nu. 11. & qui ibi citantur.*

torum defunctorum ita prope cœmeteria, vel intra, à quibusdã contemptoribus nervi Ecclesiasticę disciplinæ intumulabantur, ut vix discerni possent sepulturæ profanæ Excommunicatorum à sepulchris Fidelium: id deinceps fieri prohibuit sub pœnâ excommunicationis. adiiciens, ne Excommunicatorum corpora traderentur sepulturæ prope sacra Cœmeteria, per spatium duorum terræ iugerum circumquaque: nec ultrà quàm duo corpora Excommunicatorum ponerentur simul extra metas prædictas, ne propter multitudinem crederetur ab aliquibus cœmeterium sacrum esse.

IV. RATIONES EIUSMODI PROHIBITIONIS.

Huiusmodi porrò sepulturæ indulgentiâ, minimè sublata intelligitur Principibus sæcularibus, eorúmque Magistratibus, legum severitas, quâ solent plerumque, quantumvis Christiani, (& quidem iustè) graviorum criminum reos omninò insepultos abiicere, feris ac volucribus dilaniandos; iisdem prorsùs modis, atque rationibus, quibus vidimus Græcos atque Romanos, alióśque olim ubique populos, suis legibus & consuetudinibus id ipsum observâsse. Quod verò Iura Ecclesiastica sepeliri delinquentes in loco sacro prohibent; tum id constituerunt ex rigore disciplinæ, quia nulla [ff] participatio iustitiæ cum iniustitiâ, nulla pars fideli cum infideli; nec par sit, ut sepulchris hìc iungantur, quos in altero sæculo diversa habitacula exceptura sunt: tum etiam propter reverentiam, quæ iisdem locis sacris debetur; proptérque immunitatem Ecclesiæ, quatenùs ad sanctitatem locorum sacrorum spectat, ut non nisi fideles, & qui in fide vivâ decessisse præsumuntur, ibi sepeliantur.

[ff] 2. Cor. 6



CAPVT VI.

CONFIRMATIO DIVINA *Legum & Consuetudinum Ecclesiæ, pro Sepulturæ prohibitione.*

I. QUò verò cunctis manifestum fiat, & quàm iustè hæc sancita fuerint ab Ecclesiâ, & quàm iniustè potentes aliqui ea infringere satagant; ac denique quantæ se clerici culpæ submittant, non solùm cùm eadem obseruare negligunt, verùm etiam cùm non omni sese conamine eorum violationi fortiter opponunt: placuit non semel divinæ potentiæ, illam quam diximus Ecclesiæ immunitatem, ac locorum sacrorum reverentiam, & disciplinæ rigorem, etiam calculo suo roborare. Ut enim pauca de multis in exemplum proferamus; imprimis habemus auctoritatem Gregorij Nazianzeni: qui cùm oratione secundâ in Iulianum Apostatam scripsisset, (sicuti vidimus) eiusdem Iuliani corpus sepulturæ mandatum fuisse, quamvis infaustissimæ, Tarsi; tamen aliàs [g] cùm Athanasij laudes celebrat, miraculo rem turbatam insinuat, dum sic scribit: *Non multum temporis intercesserat, cùm impium illum & sacrilegum* (nempè Iulianum) *ad Persas vis Numinis ultrix ablegat, illicque causam disceptat: & quem magnificum, & honoris cupiditate flagrantem transmiserat, eumdem mortuum reducit, ne miseratione quidem quemquam permoventem: immò, ut mihi quispiam narravit, nec ad sepulturam assumptum; sed à terrâ, quæ propter ipsius scelus tremore affecta fuerat, excussum, æstuque vehementi proiectum; insequentis, ut opinor, supplicij præludium.* Ut potuerit utrumque verum esse; nempè ut corpus primò sepulturæ traditum fuerit, & posteà terra impium cadaver divinâ virtute excusserit: sed tum hoc eius fautores, tantam eius ignominiam erubescentes, occuluisse; tum ex aliis plerosque, maiestatis Augustæ verecundiâ, minimè in vulgus divulgandum censuisse. Idem penè & voluit loculus Eudoxiæ Augustæ Arcadij Imp. coniugis, in vin-

[g] S. Greg. Naz. orat. 21. in laud. S. Atha.

IULIANI APOSTATÆ CADAVER A TERRA REIECTUM.

dictam exauctorationis S. Ioannis Chrysostomi, per eam vehementissimo nisu à conventu Episcoporum extortæ: nisi quòd ipsa levitate magis sexûs fragilis, & muliebris iræ impotentiâ, quàm perfidæ mentis scelere, id præstans, non adeò severam meruisse videretur divini Numinis vindictam; quæ iam culpæ confessione, & prodigioso interitu, maximam reatûs partem luisse existimari poterat. Et tamen *loculus eius* (ut scribit [h] Nicephorus) *moveri continuo visus est; Deo illum, qui per eam concitatus fuerat in Ecclesiâ motum ostendente:* donec triginta quinque pòst annis corpore S. Chrysostomi cum honore Constantinopolim relato, precibúsque ad illud per Theodosium Iuniorem Arcadij & Eudoxiæ filium fusis, is motus cessavit, qui priùs videbatur cadaveris eiectionem postulare. Honorem enim, & opprobrium sepulturæ, in præmium & pœnam cedere, significavit aliquando Angelus [i] cuidam servo Dei: qui cùm vidisset divitem quemdam impium duci post mortem magnâ pompâ ad sepulturam, & solitarium quemdam pietate insignem devoratum à belluis; causam à Deo sciscitatus audivit, illum impium, quòd quiddam boni in hoc sæculo egisset, recepisse illud hic per eiusmodi sepulturam, ut in altero sæculo nullam requiem inveniret; solitarium autem, quòd habuisset ut homo aliquid culpæ, recepisse illud hic per eiusmodi pœnam, ut inveniretur illic purus coram Domino. Quod & ipsum Pachomius [ii] significavit; cùm prohibens defuncti illius monachi irreligiosi, cuius superiùs aliâ occasione meminimus, cadaver cum honore sepeliri, conquerentibus eâ de re propinquis eius respondit, maiores illi dolores per hunc honorem acquiri, per illam autem iniuriam requiem ac satisfactionem præparari.

[h] Lib. 13. cap. 36. & lib. 14. cap. 43.

EUDOXIÆ LOCULI TREMOR, OB INIURIAM CHRYSOSTOMO FACTAM.

[i] Vit. Patr. lib. 6. cap. 1. num. 13.

[ii] Vit. Pachom. cap. 34.

II.

Ut autem manifestiora divinæ circa hæc Iustitiæ exempla prosequar; Gregorius [k] Antistes Turonensis agens de gloriâ Iuliani Martyris, qui sub Diocletiano necem pro Christo fortiter Brivate subierat, narrat de quodam sacrilego milite, qui irruptâ æde viam commilitonibus fecerat ad Ecclesiam martyris spoliandam; cùm Rex Francorum Theodoricus Magni Clodovei filius,

[k] 2. de glor. mart. 13.

INGENTIA ALIA MIRACULA CIRCA SEPULTURAM IMPIORUM.

qui tunc ibi in expeditione adversus Gothos agebat, comprehensos ex istis sacrilegis aliquos diversis mortibus condemnâsset; fugiénsque ille sacrilegij auctor, igne de cælo delapso consumptus interiisset; ac denique *super eum multi acervum lapidum congregâssent; eumdem à tonitruis & coruscationibus detectum, terrenâ caruisse sepulturâ.* Temporibus Caroli Magni Francorum Regis Christianissimi, & Imperatoris augustissimi, cùm Saxones, gens tunc iugi Christiani, siqua umquam alia, impatientissima, ab eo, ex consuetudine ferè annuâ violandi fidem semel datam, rebellantes, in odium absentis Caroli, quamvis tunc Christianitatem profitentes, irrupissent in VVerdam civitatem, eámque depopulati essent, (sicuti narratur in Epistolâ [1] nomine S. Ludgeri primi Monasteriensis Episcopi ad Rixfridum Traiectensem Episcopum sub eodem Carolo scriptâ:) & unus aliquis ex præcipuis eorum satellitibus, nomine Ogellus Oesterbach de Paderborne, post infinita alia flagitia in illâ sævâ depopulatione commissa, etiam ecclesiam S. Svviberti primi illius civitatis Episcopi, & Saxonum atque Frisiorum appellati Apostoli, incendisset; móxque divinâ vindictà percussus dignas temeritatis ac sacrilegij pœnas horribili morte luisset: *convenientes consanguinei, & socij malitiæ eius,* (inquit Ludgerus) *eum sepelire in cœmeterio ecclesiæ S. Svviberti decreverunt; sed nullo modo valuerunt. Namque cùm indigestam terram effoderent, conantes facere sepulchrum in præfato sancto cœmeterio, in quo ipsum condendo sepelirent; statim digesta terra per se defluxit in eamdem foveam, ac si non fuisset sulcata. Cúmque iterùm, atque iterùm, fodiendo tentâssent, & multùm laboris insumpsissent ut facerent sepulchrum, licet in aliis locis eiusdem cœmeterij, & semper terra per se omnibus stupentibus subitò decidisset in eamdem foveam, permanens & apparens plana terra ut antè, desistebant à fodiendo sepulchro in eodem sacro cœmeterio: & exterriti dicebant alterutrum, ipsum indignum Ecclesiasticâ sepulturâ, & præsertim sepulturâ illius cœmeterij, eò quòd ecclesiam illam & cœmeterium cremando profanâsset. Et sic multùm attoniti recedentes, proiecerunt indignanter cadaver in Rhenum, ut esset pabulum piscium.* In Magno

[1] *Ext. in Append. ad Vit. S. Svvibert. ap. Sur. 1. Mart.*

Magno item Speculo [m] Exemplorum, antiquiorum Scriptorum auctoritate narratur, Udone Archiepiscopo Magdeburgensi, homine perditissimæ vitæ, inusitato & horrendo mortis genere absumpto; (cuius & plurimi alij [n] meminerunt) *cives videntes & audientes hoc horribile & insolitum Domini Dei nostri iudicium, cadaver ignobile procùl ab urbe in paludem iactasse: bestiásque ferales cum plausibus & lusibus protinùs illud excepisse, & huc illúcque trahendo morsibus discerpsisse, & rusticolas iuxtà habitantes variis iniuriis affecisse. Tandem inito consilio, glebam illam maledictam de palude trahentes combussisse, & pulverem in Albam fluvium proiecisse. Mira res; omnes pisces suum gurgitem relinquentes Oceanum adierunt, donec litaniis, psalmodiis, orationibus, & pœnitentiis, placato iam Domino, post decennium vix tandem redierunt.* Paritérque in castro [o] quod dicitur Mons-Desiderij, *cùm Præpositus quidam valdè facinorosus mortuus esset, vellentque eum sepelire, viderunt fossam scaturire bufonibus: tunc fodientes aliud sepulchrum, invenerunt illud similiter plenum bufonibus; similiter tertium, & decimum. Tunc dixit quidam sapiens: Quare vultis cassare iudicium Dei? proiicite cadaver, ubi vult Deus proiici illud. Cúmque proiecissent corpus in fossam ubi erant bufones, devoraverunt illud totum usque ad ossa.* Recentiúsque in Historiâ [p] Lusitanâ Indiarum legimus, Alfonso Albuquercio prorege stationem ad quandam insulam habente, cùm unus quidam miles mortuus fuisset in navi, & pro nauticâ pietate proiectus in mare, nocte sequenti auditis frequentibus ad illius navis gubernaculum pulsibus, cùm arreptâ scaphâ vigiles descendissent, ne fortè navis ad aliquod scopulum illideret; implexum carinæ sub ipso gubernaculo, defuncti militis corpus offendisse: delatum in proximam terram ad sepulturam, postridie rursùm super ipsam humum inhumatum vidisse: eâ re cunctis attonitis, quemdam Religiosum qui aderat coniicientem illum hominem fuisse aliquo anathematis vinculo constrictum, in terram descendentem, eum ritu Christiano absolvisse, rursúmque humo texisse, sicque corpus quievisse. Sed hæc satis supérque ad exemplum. Etenim ab ulteriori

[m] *Dist. 9. ex. 173.*

[n] *Trithem. in Chron. Hirsaug. an. 1101. Krantz. [illegible] 34. Fulgos. lib. 9. cap. 12. &c.*

[o] *Ibid. Dist. 9. ex. 108.*

[p] *Ap. Barros. Asi. dec. 2. li. 5. cap. 13. & ex eo ap. Maff. Hist. Ind. lib. 5.*

probatissimæ rei confirmatione, tumultus nos avocant Hæreticorum atque Schismaticorum; qui hanc ipsam sepulturæ prohibitionem egregiè in Catholicos nullis non temporibus & locis exercuerunt.

LIBER II. PARS III.

HÆRETICORUM, SCHISMATICORUM, & MAHOMETANORUM, *praxis in denegatione Sepulturæ. Ac de* BRUTORUM *convenientiâ.*

CAPUT I.

De HÆRETICIS *&* SCHISMATICIS *antiquioribus.*

I. SOLENT Hæretici Simiarum more, (inquit Cyprianus [a]) quæ cùm homines non sint, homines tamen imitantur, Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem sibi & veritatem vindicare, quando ipsi in Ecclesiâ non sint, immò adhuc insuper contra Ecclesiam rebelles & hostes existant. Ac sanè quod ad rem quam tractamus attinet, quid ad imitationem Ecclesiæ luporum feritas? quid canum rabies? ac cruenta sævitia bestiarum? Sed apprimè Ælianus [b] observavit; cùm ceteris in rebus omnium bestiarum simia perversissima sit, tum perversiorem in iis quibus hominem imitari conatur. Exemplóque rem confirmans ait; cùm aliquando una ex his turpissimis & monstrosissimis bestiis (ut eas Cicero [c] describit) nutricem quamdam ex eminenti

[a] Ep. 73. ad Iubaian.

[b] 7. hist. anim. 11.

[c] Lib. 1. de nat. deor. & lib. 2. de divinat.

loco perſpexiſſet infantulum in pelvi lavare, & faſcias primùm ſolvere, deinde à balneo iiſdem denuò involvere; atque quo reliquiſſet loco puerum obſervâſſet; feneſtellâ, quæ tum pateret in domum, intrâſſe ad puerum, eúmque ſimiliter, ut factitari à nutrice viderat, ex lecto ſublatum integumentis nudaſſe, & aquam ſuccenſis carbonibus caleſcentem in miſerum infantem infudiſſe, atque interfeciſſe. En præclaram quadrupedum ſimiarum imitationem! vide & bipedum omni ferinâ immanitate longè truciorem.

II. Exemplum Novati in Africa.

Deſcendátque primus in arenam impuriſſimus gladiator Novatus, qui præcipuus extitit auctor Novatiano, ut primum omnium in Eccleſiâ Romanâ ſchiſma conflaret adverſus legitimum Pontificem Cornelium. Sed priùs, qualis is fuerit, audi ſanctiſſimum Martyrem Cyprianum [d]; Rerum videlicèt novarum ſemper cupidus, avaritiæ inexplebili rapacitate furibundus, arrogantiâ & ſtupore ſuperbi rumoris inflatus, quaſi hæreticus ſemper, & perfidus, omnium ſacerdotum voce damnatus; curioſus ſemper ut prodat; ad hoc adulator, ut fallat; numquam fidelis ut diligat; fax & ignis, ad conflanda ſeditionis incendia; turbo & tempeſtas ad fidei facienda naufragia; hoſtis quietis, tranquillitatis adverſarius, pacis inimicus. Hic igitur talis, cùm in ſcelerum cumulum, proprium patrem extra domum proieciſſet, & in vico fame mori ſiviſſet, *etiam in morte poſtmodùm nec ſepelivit:* ut idem Cyprianus & Pacianus [e] affirmant. Et quid mirum, ſi patrem ita ſæviter habuerit, qui matrem tam turpiter violavit? Magnus Athanaſius Epiſtolâ ad ſolitariam vitam agentes ſcelera recenſens Gregorij Cappadocis perfidiſſimi Ariani, & Eccleſiæ Alexandrinæ ſceleſtiſſimi invaſoris, quem ceteri Ariani in locum eiuſdem ipſius Athanaſij armatâ manu violenter intruſerant; inter alia hæc habet: *Homicida ille, carnifex, & contumelioſus, fraudulentus, & in ſummâ Chriſti hoſtis, Epiſcopi materteram ita perſecutus eſt, ut ne extinctam quidem humari ſineret: & quod voluit conſecutus eſſet, & inſepulta abiecta fuiſſet; niſi qui eam ſuſtu-*

Arianorum in Ægypto.

[d] *Ep. 49. ad Cornel.*

[e] *Ep. 3. ad Sympron.*

legerint, suum se cadaver efferre dixissent. Tam impius iste moribus fuit! Et in Apologiâ ad Constantium Imp. agens pariter de alio etiam sceleratiore eiusdem Ecclesiæ invasore Georgio, (de cuius nece superiùs) qui in locum Gregorij substitutus fuerat; *Præstiterit fortasse omittere eius rei expositionem, ne vel sola eius calamitatis mentio lachrymas omnibus excutiat. Tanta siquidem immanitas fuit, ut & virgines denudârint, corporáque interfectorum aliquamdiu reddere ad sepulturam negaverint; sed foris obiicerent canibus, donec depensâ ingenti mulctâ clanculùm à necessariis subducerentur.* Eadémque fermè in Apologiâ de fugâ suâ; & aliis locis, quibus occasio fuit invehendi in crudelissimam Arianorum persecutionem. Qui & tum in Eremo delitescens, cùm durissimum nuncium accepisset de acerbissimis cruciatibus, quos Deo dicatæ Virgines ab impiis illis carnificibus pertulissent; eas literis consolaturus, hæc inter alia de his quæ ad sepulturam spectant [f]: *Ob hanc causam nulla vestrûm in mæstitiâ sit: quamvis isti impij vobis invideant sepulturam, & funera ducere prohibeant, & portas occludant, & propter monumenta tamquam larvæ assideant, & observantes ne mortuorum quisquam tumulo condatur.* Quâ etiam de re Petrus eiusdem Ecclesiæ Alexandrinæ dignissimus post Magnum Athanasium Antistes, in Epistolâ [g] Circulari ad omnes Christianæ Religionis toto orbe diffusas Ecclesias, describens cladem eidem Ecclesiæ à Lucio illatam impiissimo ac crudelissimo Arianorum Pseudoëpiscopo; hæc inter alia: *Verum, proh dolor! multæ virgines per vim stupratæ, complures etiam fustibus cæsæ: quarum corpora tumulis mandandi nulla omninò permissa potestas est. Et propterea complura earum corpora, quæ sunt ab illarum parentibus cum multo gemitu quæsita, non reperiuntur.* Et posteà: *Porrò autem cùm Iudex tenera puerorum corpora torqueret, quidam eorum post cruciatus remansére iure sepulturæ defraudati: idque cùm parentes, fratres, cognati, & tota penè dixerim civitas postularet, ut unum hoc, atque adeò ultimum vitæ solatium illis tribueretur. Sed ô sævam iudicantis, immò verò condemnantis crudelitatem!*

[f] *Ap. Theodor. 2. hist. 14.*

[g] *Ap. Theodor. 4. ep. 20.*

Namqui pro pietate decertárint, idem cum homicidis iudicium subeunt, corporaque eorum manent insepulta: & qui pro fide strenuè dimicárint, bestiis & volucribus obiiciuntur ad vorandum. Eorumdémque Ruffinus [h] mentionem faciens: *Per idem tempus,* (inquit) *Ecclesia velut persecutionis igne conflante, purior auri metallo refulgebat. Non enim in verbis uniuscuiusque fides, sed in exiliis & carceribus probabatur: quia non honori erat Catholicum esse, sed pœna: præcipuè apud Alexandriam, ubi ne sepeliendi quidem corporibus mortuorum libera facultas Fidelibus erat.* Necdum finis malorum afflictissimæ huius Ecclesiæ. Siquidem post expulsionem ab eâ sede Dioscori, decretam in Oecumenico Concilio Chalcedonensi ob eius hæresim Euthychianam; qui ab eo ibi stabant, irruentes in Proterium sanctissimum Patriarcham, qui fuerat in eius locum suffectus; *percusserunt inculpabilem virum,* (inquiunt Ægyptij Episcopi, & Clerici Alexandrini, in Literis [i] eâ de re scriptis ad Leonem Thracem tunc imperantem;) *eumque crudeliter occiderunt; & circumducentes eius ubique cadaver vulneratum, crudelitérque trahentes per omnia penè civitatis loca, insensibile corpus plagis sine misericordiâ affecerunt, dividentes membratim eum, & neque interiora more canum gustare parcentes; tradentésque reliquum corpus igni, disperserunt cineres in ventos.*

[h] *1. hist. 6.*

[i] *Ext. int. epist. illustr. vir. pro Conc. Chalcedon.*

III. ET CONSTANTINOPOLI.

Constantinopoli quoque sub Valente Imp. dirissimè ab iisdem Arianis vexati Catholici, cùm octoginta viros ordinis Ecclesiastici ad eum Nicomediam misissent, tranquillitatem deprecaturos; nihilque motus impius Augustus sacratissimæ legationis maiestate, ipsis etiam Angelis venerandâ, in mandatis dedisset Modesto Præfecto, ut omnes illos comprehensos morte mulctaret: hic iussa libentiùs implens, iisdem navigio impositis, *nautis in mandatis dedit, ut cùm ad medium pelagus pervenissent, navigium succenderent; uti hoc modo è vita migrantes, non haberent qui eos sepulturæ mandarent.* Sicque factum esse, refert Socrates [k] in Historiâ Ecclesiasticâ. Denique id ipsum ab iisdem ubique Arianis factitari in Orthodoxos solitum, satis Gregorius [l] Nazianzenus insinuat; dum oratione vehementissimâ, ex illorum sceleribus se pur-

[k] *4. hist. 15.*

[l] *Or. 25. ad Arian.*

gans; *Quibus* (inquit) *datum est crimini, quòd mortuos, qui feris etiam ipsis venerationi fuerunt, sepulturâ donâssent? Et quidem quale hoc crimen iudicatum est? aliò scilicèt theatro, atque aliis feris dignum.* nempè adeò vetitum fuisse Catholicos sepulturæ tradere, ut qui eos sepelissent, bestiis ipsimet in theatris obiicerentur. Qui idē aliâ oratione [m] in Synodo habitâ, mala recésens quibus Ariani Catholicos afflixissent, cōmemorat *templa Sanctorum cruore contaminata, & ex templis in sepulchra immutata.* Ipséque eorum acerrimus defensor Constantius [n] Imp. quòd aliquando audisset Eusebium presbyterum Catholicum, quem neci dari iussisset, sepultum fuisse à Gregorio alio presbytero; iratus præcepit, ut in eâdem cryptâ vivus includeretur Gregorius. Hieronymus quoque scribens [o] ad Pammachium adversus errores Ioannis Ierosolymitani, fautoris tunc Origenistarum, cùm accusatus ab eodem Ioanne fuisset quòd scinderet Ecclesiam: *Nósne sumus* (inquit) *qui Ecclesiam scindimus, an ille qui vivis habitaculum, mortuis sepulchrum negat? Quis ossa sanctorum, & innoxios cineres verberari ab imbribus sinit?* Ita sanè, quicumque ubicumque Catholicos oppugnarent, ad sepulturæ eorum prohibitionem præcipites ferebantur, tamquam pœnam ceteris omnibus luctuosiorem.

[m] *Or. 32. ad 150. Episc.*

[n] *Rom. Subter. lib. 3. c. 16. ex cod. Later.*

[o] *Ep. 61.*

IV.

AC PLURIBUS ALIIS PROVINCIIS.

Id namque ipsum & in Africâ vehementi in Donatistas invectivâ conqueritur Optatus [p], sanctus Milevitanæ Ecclesiæ Episcopus; dum sic in eos loquitur: *Quid referam etiam illam impietatem de vestrâ coniuratione venientem, quia ad hoc basilicas invadere voluistis, ut vobis solis cœmeteria vindicetis, non permittentes sepeliri corpora Catholica? Ut terreatis vivos, malè tractatis & mortuos, negantes funeribus locum. Si inter viventes fuerat certamen, odia vestra vel mors aliena compescat. Iam tacet cum quo paulò antè litigabas. Quid insultas funeri? quid impetis sepulturam? Quid cum mortuis litigas? perdidisti malitiæ fructum. Etsi corpora non vis in unum quiescere, animas tamen in uno apud Deum positas non poteris separare.* Pariterque Vvandalicam Arianorum eiusdem Africæ cladem pleno dolore, ac lachrymis lugens Augustinus [q], in ipsâ suæ civitatis Hipponensis ob-

[p] *Lib. 6. cont. Parmen.*

[q] *Serm. 111. de temp.*

sidione, quâ paulò pòst ipse interiit: *Considerantes illa mala, quæ iusto Dei iudicio illata sunt, quando totæ provinciæ in captivitatem ductæ sunt, sustinuimus matresfamilias abductas, prægnantes abscissas, & nutrices avulsis è manibus parvulis, atque in vias proiectis, nec vivos ipsos filios retinere, nec mortuos permiserunt sepelire. Cruciatus magnus, & dolor, timor & horror, tortores cordis pariter insistebant*, &c. Qui & olim [r] agens de direptione Urbis Romæ, à Gothis pariter Arianis Alarico duce factâ, ostendit plerosque Catholicorum insepultos abiectos fuisse. Sicuti & sub Iustiniano Imp. (ut scribit Procopius [s]) occupato à Gothis Mediolano, Reparatus quidam qui auctor anteà fuerat defectionis eiusdem urbis ad Romanos, *comprehensus, minutatímque concisus, vorandus canibus abiectus est.* Rursúmque in Oriente, ipsâque sanctâ civitate Ierosolymâ, (referente Nicephoro [t] ex antiquioribus monumentis) Athanasius quidam diaconus, quòd zelo fidei se Eutychianis hæreticis opposuisset publicè, post omnia cruciatuum genera constantissimè tolerata, postremò etiam necatus, *pedibus per urbem raptatus est, & canibus in escam proiectus.* Nec multò pòst Clerici Ecclesiæ Antiochenæ in Epistolâ ad Synodum Constantinopoli coactam sub initium Imperij Iustini Senioris, prædicti Iustiniani avunculi, quæ recitata est posteà in aliâ posteriori Synodo [u], adversus Antimum sub Menâ Patriarchâ celebratâ; conquerentes maximè de clade illi Ecclesiæ ab execrando eius invasore Severo hæretico Eutychiano, & Acephalorum capite, illatâ, inter alia hæc habent: *Quot quidem homicidia sanctorum monachorum feceris, & cum manibus Iudaicis eiusmodi iugulationem iniunxerit; neque vos, sanctissimi, neque aliquem aliorum latuit. Dirum enim spectaculum fecerunt iacentes viri, qui religiosis certaminibus usque ad canitiem certaverunt, nudi & insepulti iactati, ultra trecentos canibus & avibus lacerandi proiecti. Similia autem & aquè miseranda sunt, & quæ in Xenodochiis ab ipso facta sunt*, &c.

[r] 1. de civit. 2.
[s] Lib. 2. de Bel. Goth.
[t] Lib. 15. cap. 9.
[u] Conc. Constantin. sub Men.

V. ICONOMACHORUM IN CATHOLICOS FUROR.

Denique tempore crudelissimæ omnium persecutionis ab Iconomachis in Catholicos, perfidis Iudæis, & impiis Mahometanis auctoribus, in Oriente excitatæ; quos

rugientis Leonis Isaurici rabies sustulit, eosdem plerumque & insepultos abiecit. Sicuti de Hypatio Episcopo, [x] 10. Sept. & Andreâ presbytero, traditur in Menologio [x] Græcorum: quos ille in carcerem detrusos excarnificari præcepit, insuper & capitis cutem extrahi, desupérque pictas tabellas congestas accendi, barbámque pice liquente conspergi, & sic incendi: atque ita per Constantinopolitanam urbem distracti, ad partes Xirolophi perducti, iugulati sunt, *expositaque eorum corpora canibus*. Cuius & filius nefandus Copronymus, quem nullus umquam sævitiâ & irreligione superavit, fermè nec æquavit; sacrum S. Pelagij martyris templum *in Ethnicorum reorum sepulchrum mutavit*, ac Pelagij sepulchretum nuncupavit: in quod à plebe furente ignominiosè raptatum, ac proiectum est corpus S. Stephani Auxentiani, acerrimi sacri Imaginum cultûs propugnatoris: ut pluribus narratur in eiusdem Sancti Martyris Actis apud Ioannem Damascenum. [y] Act. mart. ap. Sur. 17. Octob. Idémque impius Imperator, [y]. Andreæ in Chrysi cadaver ob æquè insignem cultûs Imaginum confessionem neci damnatum, ad locum maleficorum, feris & volucribus futurum pabulum trahi iussit. Et ut ex [z] Lib. 22. Theophane traditur in Miscellâ [z], Constantinum Patriarcham Constantinopolitanum, licèt & ipsum impium, atque hæreticum, iniquè tamen condemnatum quòd horrendas ipsius Copronymi in Dei matrem blasphemias propalâsset, post exilium & ludibria multa necatum, *restéque tractum per plateas ad pelagus, iactandum statuit biothanatis*: (hoc est, sceleratis: de quâ voce dictum superiùs.) Fuisséque illud totâ eâ sævissimâ Persecutione commune omnibus sacrarum Imaginum defensoribus, post cruentissima mortium genera supplicium; patet, quòd etiam illorum, quos Theophilus Imp. Michaëlis Balbi filius, eiusdem hæresis & impietatis fautor acerrimus, neci tradi mandabat, *corpora insepulta proiiciebantur*; ut testatur Ioannes Curopalates in Historiâ de rebus eius gestis. Et quòd idem Imperator, postquàm insignes illos Confessores Theodorum atque Theophanem fratres, monachos Palæstinæ, sacrarum Imaginum propugnatores

gnatores constantissimos, sæpiùs flagellis dirissimè cęsos, terribili supplicio frontibus singulorum inscriptionem duodecim (mirum dictu!) iamborum inussisset, & in exilium expulisset; disertè *iussit, ut ne sepulturam quidem eorum corpora consequerentur; partim quidem eos afficiens contumeliá, partim verò communiter invidens orthodoxis possessionem tam bonam, & tam desiderabilem:* ut scribit auctor [a] eius temporis, qui certamina eorum quàm syncerissimè memoriæ mandavit. Et hæc quidem sæviente Iconomachiâ, & Iconoclastiâ. Quo tempore accidit illud planè mirandum; ut quæ hæresum crebriùs infecta venenis Orientalis Ecclesia penitùs elanguerat, eadem mox huius ipso tantummodò conspectu impietatis, spiritus sumpserit, adversus eam totis viribus certatura. Ut vix umquam visa sit adeò illustris; cùm numquam tot tantisque fuerit decorata martyribus. Donec tandem post centum viginti annos extinctâ penitùs impietate unà cum prædicto Theophilo Imperatore, sacræ Imagines in pristinum honorem restitutæ sunt sub eius filio Michaële; diesque restitutionis annuâ celebritate recoli iussa.

[a] *Ext. ap. L. pom. to. 5.*

VI.

ALIORUM EXTRA RELIGIONEM EXEMPLA.

Quod porrò nostram rem spectat; possemus equidem ex eorumdem Græcorum Annalibus [b] & Andronicum Comnenum referre, qui Alexium imperio & vità privatum in mare proiici iussit, ne sepeliretur Augustorum more: & ipsummet Andronicum, qui post crudelissimam obitam mortem, ab Isaacio Angelo sepulturâ privatus est: & quemdam Ioannem Comnenum, qui quòd insurrexisset in Alexium Angelum Imp. necatus, datus est in escam canibus & volucribus: aliáque eiusmodi quamplurima omnium gentium, quàm religionis publicæ, tam inimicitiæ odiique privati causâ, ex diversis auctoribus exempla compilare. Sed ne singulis immoremur, unicum apponemus exemplum Russorum [c] Schismati Græcanico adhærentium: quorum Dux nomine Romanus cùm à Lesco Principe Poloniæ Catholico, prælio victus, necatúsque, iusto honore tumulatus fuisset; eius cadaver Russi pretio mille marcarum argenti, & dimissione captivorum omnium quos ante id prælium ceperant, redemerunt, ut

[b] *Nicet. in Annal.*

[c] *Cromer. Hist. Polon. lib. 7.*

in ſepulchro maiorum ſuorum ſepeliretur; eximio exemplo, & curæ ſepulturæ patriæ, & abominationis ſepulchrorum alienæ religionis: cùm Leſcus humanitatis ergô, & ne crudelis in perfidiſſimum hoſtem videretur, iuſtam ei ſepulturam deferre non abnuiſſet.

VII. Ut verò demùm inde opus exigam, unde inchoavi, nempè à liberorum in parentes impietate; illuſtrius quidem, ſed tamen religionis ſpecie obtectum facinus exhibeo, alterius Andronici Palæologi Imperatoris: quem ſcribit Nicephorus [d] Gregoras proprium patrem Michaëlem Palęologum Auguſtum, quamvis & ipſum adamaret, & pietate reliquos filios atque obſervantiâ ſuperaret; nihilominùs quod conſenſiſſet unioni Eccleſiæ Græcæ cum Latinâ, in agnitione primatus Romani Pontificis, à quo Andronicus clàm alienus erat; poſt eius obitum, Eccleſiæ ſuæ Græcæ atque ſchiſmaticæ *ſanctiones patriæ pietati longè præferentem, Imperatoria ſepulturâ adeo non honoraſſe, ut ne plebeiâ quidem ſit dignatus: præterquàm quòd iuſſit, ut noctu pauci quidam cadaver procul à caſtris abductum* (obiit namque in expeditione Theſſalicâ) *multâ terrâ obruerent*: id tantummodò cavens, ne Imperatorium cadaver à feris diſcerperetur. Hæc Schiſmatici Græci in Catholicos Latinos; quòd ſe ipſos Orthodoxos, Latinos verò hæreticos exiſtimarent: ac proinde minimè mirandum, ſi ſuis ſepulchris, tamquam ad cultum ſuæ religionis pertinentibus, privarent. Quod quidem tamdiù locum habuit, quamdiù apertè ſciſſa eſt Eccleſia Græca à Romanâ. Cùm verò aliqua interceſſit inter eas communio, (quæ ſæpè interciſa, ſæpè redintegrata reperitur; etiamſi non uſquequaque in dogmatibus, ac ritibus convenirent:) fuiſſe pariter communicationem ſepulchrorum, intelligi etiam poſſe videtur ex interrogatione [e] eâ de re Conſtantini Cabaſilæ Archiepiſcopi Dyrrachini, & reſponſione Ioannis Epiſcopi Citri. *Apud nos orthodoxi Romani* (inquit Conſtantinus, ſic Græcos appellans) *in Latinorum Eccleſiis ſepeliuntur; pſallentibus Romanis ſimul & Latinis: pariterque Latini morientes, à Romanis & Latinis indiſtinctè pſalmis & canticis honorantur:*

[d] *Hiſt. lib. 5.*

FILIUS PATREM IMP. SEPULTURA OB RELIGIONEM PRIVAT.

[e] *Iur. Gr. Lat. lib. 5.*

QUALIS COMMUNICATIO SEPULTURÆ INTER GRÆCOS ET LATINOS.

liceine hoc? Respondet Ioannes: *Duo sunt manifesta, quæ inter nos & Latinos faciunt differentiam; nempè doctrina de Spiritu sancto, & Azymorum oblatio. Sacræ autem Scripturæ, precationes, & musici cantus, ac divina templa, veneratióque pretiosæ Crucis & sanctarum Imaginum, illis sunt nobiscum communia. Non est igitur à ratione alienum, nec pietatem ullo modo offendit, Latinos sepeliri in templis Romanorum; & ut à Romanis Latinisque sacerdotibus, tam in Romanorum quàm Latinorum morte, unanimi concentu psalmodiæ funebres peragantur.* Ita quidem ille. Verumenimverò postquàm Græci in extremum schisma proruperunt, proculdubiò neque Græci Latinis, neque Latini Græcis in templis suis sepulturam concederent, nisi necessitas inevitabilis vel hos vel illos compelleret. Uti accidit post ortum hæresis Lutheranæ, in locis quos illa occupavit, ubi mortuos suos hæretici in ecclesias & cœmeteria Catholicorum ad sepulturam vi intrudunt. Ceterùm si fides adhibenda sit Historiæ Patriarcharum, qui sederunt Constantinopoli post eam urbem à Turcis expugnatam, quæ habetur libro secundo Turcogræciæ Crusij ex Malaxo Græco, mirum illud accidere illic consueverat, ut quos Episcopi aut Sacerdotes Christiani ob scelus aliquod communione Ecclesiæ movissent, nec ante mortem restituti fuissent; eorum cadavera terræ tradita, non dissolverentur, sed remanerent tympanorum instar inflata: cuíusque rei luculentissimum affert exemplum cuiusdam impuræ feminæ, in Gennadium Scholarium Patriarcham iniuriosæ, & ab eo excōmunicatæ: aliúdque Ioannicij invasoris sedis Patriarchalis, in excommunicationē pariter mortui. Quod fortassis aliquando permisit Deus fieri, quò religio Christiana, de cuius generatim veritate tunc agebatur, maiori venerationi Turcis esset.

CAPVT II.

De HÆRETICIS *hodiernis.*

I. QUOD ad hodiernos Hæreticos attinet; quomodò & ipsi ubi propria habent sepulturæ loca, sese ipsimet inter se longè ab iis arceant; (cum Catholicis enim nulla iis est de hâc re contentio, quòd horreant Catholici cum iis communicare post mortem, quorum in vitâ communionem refugerunt:) memorandum extat apud Hospinianum Calvinistam, in alterâ parte Historiæ [f] Sacramentariæ, exemplum de Iacobo quodam Lossio Italo Placentino, qui viginti circiter annos continuos sub Augusto & Christiano Ducibus Saxoniæ aulicum egerat musicum & fidicinem: nempè illum, quòd tam in vitâ quàm in morte, quoniam fuerat Calvini addictus sententiæ, à Lutheranorum sacris se abstinuisset; Dresdę mortuum, Dresdenses Lutheranismo addictissimos, ac proinde Calvinistis infensissimos, neque in polyandrio, neque usitatis cum ceremoniis sepelire voluisse. Institisse socerum Magistratui, seu Ecclesiasticis supplicem, ut locus illi in sepulchreto concederetur, útque honestè & Christianorum more conderetur. Ceterùm nihil aliud impetrâsse, quàm in cœmeterio S. Bartholomæi, ubi malefici, seu homines flagitiosi, post publicè datam pœnam sepeliri solerent, & hunc Lossium licere tumulari. Amicos itaq; & affines quatuor mercenarios conduxisse, qui cum loco dicto sepelirent. Itaque paulò antè quàm vespere portæ urbis clauderentur, funus absque ullo cantu, aut æramentorũ sonitu, cum summo silentio extulisse. Cùm autem extra portam ventũ esset, occurrisse aliquot lanionum & fabrorum ministros, alióque homines suburbanos, fortè ad hoc destinatos, qui lapides in vespillones certatim iacere cœperunt: nec destiterunt, priusquàm illi relicto funere sese in fugam conicerent. Alios cum impetu accurrentes, sandapilam & capulum comminuisse, ipsúmque cadaver immaniter tractâsse,

[f] *Ad an. Christi 1594. Ap Grets. 2. de fun. 11.*

LUTHERANI ARCENT CALVINISTAS A SUIS COEMETERIIS.

& allectis canibus laniandum obiecisse. Dum ita in hominem mortuum insanirent, rusticos quosdam Strellenses, qui vicino in pago nuptias celebrârant, forte fortunâ illàc iter facientes domum reversuros, videntes hanc tragœdiam accurrisse, tympanúmque suum pulsantes, novæ pugnæ signum dedisse, animósque ac vires iam fessis addidisse. Hic iterùm in cadaver insiluisse, lapidibus cooperuisse, iniecto pedibus laqueo ad præterfluentis Albis ripam protraxisse, in fluvium præcipitare volentes: sed id ne fieret, quemdam paulò ceteris humaniorem impedisse. Hoc modo à quintâ horâ pomeridianâ ad octavam in miserum hominem debacchatos esse, defessósque tandem recessisse. Hæc Hospinianus de Lutheranorum in Calviniana cadavera humanitate. Qui etiam tractatu de libro Concordiæ [g], Lutheranum præfectum loci, ubi Peucerus non ignotus Calvinista in carcere detinebatur, his verbis Peucerum ægrotantem solatum scribit: *Morieris quandocumque voles: sed hoc certò scias, quòd non admissurus sim ad te quemque, nec consolationis, nec medicationis causâ. Nec sepultura te sollicitet; de quâ mandata habeo, ut sepeliam te sepulturâ asini inter cadavera excoriatorum pecorum.* Hæc nimirùm est concordia fraterna inter pullos unius corvi. De quâ Lutherani in Colloquio [h] Maulbrunensi: *Quòd Calvinistæ se à nobis pro fratribus agnitos scribunt; id tam impudenter, tantâque vanitate ab illis confictum est; ut illorum impudentiam satis mirari nequeamus. Nos verò sicut locum illis in Ecclesiâ nullum concedimus, ita pro fratribus minimè agnoscimus; quos spiritu mendacij agitari deprehendimus, & in Filium Dei contumeliosos esse.* Ut non mireris, si & à suorum sepulchrorum communicatione eiiciendos statuant.

g Cap. 41.

CONCORDIA CADMÆA LUTHERANORUM ET CALVINISTARUM.

h Pag. 86. an. 1564.

II. CALVINISTARUM DE HIS DOCTRINA.

Quod cùm non ita absolutè audeant astutiores Calvinistæ in eos decernere; discriminationem tamen sepulturæ ab aliis Infidelibus, Beza etiam Calipha Genevensium post Calvinum, in Testamento [i] suo (sic enim vocat Sermones, à se provectâ iam admodùm ætate habitos Gallicè in Passionem Domini) liberè agnoscit; *quamvis Domini sit omnis terra, & medius paries maceriæ solutus sit*

i Serm. 7.

CAPVT II.

De HÆRETICIS *hodiernis.*

I. QUOD ad hodiernos Hæreticos attinet; quomodò & ipsi ubi propria habent ſepulturæ loca, ſeſe ipſimet inter ſe longè ab iis arceant; (cum Catholicis enim nulla iis eſt de hâc re contentio, quòd horreant Catholici cum iis communicare poſt mortem, quorum in vitâ communionem refugerunt:) memorandum extat apud Hoſpinianum Calviniſtam, in alterâ parte Hiſtoriæ[f] Sacramentariæ, exemplum de Iacobo quodam Loſſio Italo Placentino, qui viginti circiter annos continuos ſub Auguſto & Chriſtiano Ducibus Saxoniæ aulicum egerat muſicum & fidicinem: nempè illum, quòd tam in vitâ quàm in morte, quoniam fuerat Calvini addictus ſententiæ, à Lutheranorum ſacris ſe abſtinuiſſet; Dreſdę mortuum, Dreſdenſes Lutheraniſmo addictiſſimos, ac proinde Calviniſtis infenſiſſimos, neque in polyandrio, neque uſitatis cum ceremoniis ſepelire voluiſſe. Inſtitiſſe ſocerum Magiſtratui, ſeu Eccleſiaſticis ſupplicem, ut locus illi in ſepulchreto concederetur, útque honeſtè & Chriſtianorum more conderetur. Ceterùm nihil aliud impetrâſſe, quàm in cœmeterio S. Bartholomæi, ubi malefici, ſeu homines flagitioſi, poſt publicè datam pœnam ſepeliri ſolerent, & hunc Loſſium licere tumulari. Amicos itaq; & affines quatuor mercenarios conduxiſſe, qui eum loco dicto ſepelirent. Itaque paulò antè quàm veſpere portæ urbis clauderentur, funus abſque ullo cantu, aut æramentorũ ſonitu, cum ſummo ſilentio extuliſſe. Cùm autem extra portam ventũ eſſet, occurriſſe aliquot lanionum & fabrorum miniſtros, alióſque homines ſuburbanos, fortè ad hoc deſtinatos, qui lapides in veſpillones certatim iacere cœperunt: nec deſtiterunt, priuſquàm illi relicto funere ſeſe in fugam conicerent. Alios cum impetu accurrentes, ſandapilam & capulum comminuiſſe, ipſúmque cadaver immaniter tractâſſe,

[f] Adan. Chriſti 1594. Ap Greſſ. 2. de fun. 11.

LUTHERANI ARCENT CALVINISTAS A SUIS COEMETERIIS.

& allectis canibus laniandum obiecisse. Dum ita in hominem mortuum insanirent, rusticos quosdam Strellenses, qui vicino in pago nuptias celebrârant, forte fortunâ illàc iter facientes domum reversuros, videntes hanc tragœdiam accurrisse, tympanúmque suum pulsantes, novæ pugnæ signum dedisse, animósque ac vires iam fessis addidisse. Hîc iterùm in cadaver insiliisse, lapidibus cooperuisse, iniecto pedibus laqueo ad præterfluentis Albis ripam protraxisse, in fluvium præcipitare volentes: sed id ne fieret, quemdam paulò ceteris humaniorem impedisse. Hoc modo à quintâ horâ pomeridianâ ad octavam in miserum hominem debacchatos esse, defessósque tandem recessisse. Hæc Hospinianus de Lutheranorum in Calviniana cadavera humanitate. Qui etiam tractatu de libro Concordiæ [g], Lutheranum præfectum loci, ubi Peucerus non ignotus Calvinista in carcere detinebatur, his verbis Peucerum ægrotantem solatum scribit: *Morieris quandocumque voles: sed hoc certò scias, quòd non admissurus sim ad te quemque, nec consolationis, nec medicationis causâ. Nec sepultura te sollicitet; de quâ mandata habeo, ut sepeliam te sepulturâ asini inter cadavera excoriatorum pecorum.* Hæc nimirùm est concordia fraterna inter pullos unius corvi. De quâ Lutherani in Colloquio [h] Maulbrunensi: *Quòd Calvinistæ se à nobis pro fratribus agnitos scribunt; id tam impudenter, tantâque vanitate ab illis confictum est; ut illorum impudentiam satis mirari nequeamus. Nos verò sicut locum illis in Ecclesiâ nullum concedimus, ita pro fratribus minimè agnoscimus; quos spiritu mendacij agitari deprehendimus, & in Filium Dei contumeliosos esse.* Ut non mireris, si & à suorum sepulchrorum communicatione eiiciendos statuant.

[g] Cap. 41.

CONCORDIA CADMÆA LUTHERANORUM ET CALVINISTARUM.

[h] Pag. 86. an. 1564.

II. CALVINISTARUM DE HIS DOCTRINA.

Quod cùm non ita absolutè audeant astutiores Calvinistæ in eos decernere; discriminationem tamen sepulturæ ab aliis Infidelibus, Beza etiam Calipha Genevensium post Calvinum, in Testamento [i] suo (sic enim vocat Sermones, à se provectâ iam admodùm ætate habitos Gallicè in Passionem Domini) liberè agnoscit; *quamvis Domini sit omnis terra, & medius paries maceriæ solutus sit*

[i] Serm. 7.

per Evangelij prædicationem, tamen si essent in aliquâ civitate Turcæ ac Iudæi Christianis mixti, rectum ordinem requirere distinctionem locorum ad sepulturam eorum. Pariterque Ioannes Brentius [k] Lutheranus fatetur, *decere Christianos habere loca sepulturæ, & honesta, & a profano usu separata.* Similia & alij. Nec puto aliquos usquam repertos fuisse hæreticos, seu schismaticos, qui hanc distinctionem improbaverint; nisi quando exercetur in eos ipsos: quòd ipsi nimio fastu tumidi, & iniquo sui amore excæcati, immunes esse velint eius pœnæ, quam diversæ religionis sectatoribus meritissimè competere, ipsorummet etiam constet & dictis & factis. A quibus & privari exequiis solitis, quos ipsi excommunicaverint, patet etiam ex Conciliabulo [l] Londoniensi in Angliâ habito anno Domini 1603. ubi disertè cavetur, *ne ministri cuiquam baptismum aut sepulturam denegent, sub pœnâ trimestris suspensionis; nisi personæ illæ essent excommunicatæ pro aliquo gravi crimine.* præter illos quos Catholicæ religionis odio, honore sepulturæ indignos censent. Quemadmodũ & olim Boëmi Hussitæ, sacramenta Ecclesiæ, publicósque honores, & sepulchra, iis qui calicis usum (quem & adhuc pertinacissimè retinent) recipere nollent, per iniuriam adimebant: uti narrat Iacobus Cardinalis Papiensis in suis commentariis. Atque expressiùs Cochlæus in illorum Historiâ [m] tradit; cùm quâdam sæviente Pragæ pestilentiâ, morbo correpti Catholici venerabile Sacramentum sibi afferri postularent, compelli solitos per sacerdotes Hussitas ad communionem utriusque speciei: qui verò nollent de calice communicare, quando moriebantur denegari eis sepulturam ecclesiasticam, nec permitti sepeliri circa ecclesias parrochiales, vel in monasteriis; sed efferri extra civitatem in locum calvariæ, ut ibi sepelirentur sepulturâ asini. Verùm quoniam prolixior nobis futura est posteà de his concertatio in hodiernos hæreticos, quorum causâ hunc laborem suscepimus; illis modò dimissis, quod reliquum est institutæ semel disputationis, probatio addenda Religionis Mahometanorum.

k Hom. 69. in Luc. 7.

l C. 68.

m Cochl. Hist. Hussit. lib. 10.

CAPVT III.

De MAHOMETANIS.

I. TURCORUM LEGES DE SUIS SEPULCHRIS, ET TEMPLIS.

DE Mahometis sectatoribus res expeditior est; quandoquidem certum est, habere illos sua cœmeteria seorsim à Latinis, Græcis, Armenis, Æthiopibus, Cophtis, Iudæis, aliarúmque sectarum hominibus, qui ingenti numero inter ipsos conversantur, habéntque singuli cœmeteria ab invicem distincta. paritérque templa tantâ diligentiâ custodire, ut sacrorum tempore siquis alterius quàm Mahometanæ religionis ingrediatur, ea polluta existiment: nec possint alieni sine præsenti morte, aut aliâ gravissimâ pœnâ, eorum sacris interesse. Hæc enim uno consensu confirmant auctores illi, quòs de rebus eorum priori libro de religione sepulturæ citavimus. Quinimmò (ut aiunt [a]) siqui ex suis ipsorum sectatoribus, vel segnitiâ, vel etiam aliarum rerum curâ, temporibus orationi destinatis, ac præsertim solemnibus ieiunij diebus, templa adire negligant; eos Christianis hominibus deteriores iudicare; (Et cùm *Christianos* dicunt, omne scelus infidelitatis & impietatis designare intendunt, cùm ipsi se *Musulmanos*, hoc est, fideles & orthodoxos appellent) mortuósque honestâ sepulturâ minimè dignari; sed abiectos inter cadavera à carnifice lacerata, canibus volucribúsque prædam relinquere. Sicuti & qui manifestis contaminati sunt sceleribus, putà homicidas, ebriosos, aleatores, adulteros, usurarios, & ex feminis, quæ vitam agunt minùs pudicam; publicis interesse sacris ceremonijs, templáque adire prohiberi, ac proinde nec sepeliri publicis eorum ceremonijs permitti. Qui verò ex Christianis artium mechanicarum (quæ solæ apud Turcas in pretiò sunt, & honore) ignari sunt, eos [o] morientes detractis vestibus in proximam foveam, aut vallem, canibus vulturibúsque escam abijci consuevisse. Et hæc quidem posteriores Mahometani.

[a] *Lonicer. Chron. Turc. lib. 2. cap. 8. &c.*

[o] *Georgevis. cap. de Rer. Turc. cap.*

II. Quid verò antiquioribus illis usitatum esset, intelligitur ex Memoriali [p] Sanctorum, Eulogij sanctissimi martyris Cordubensis, & fulgentissimi illius Ecclesiæ, totiúsque Hispaniæ sideris: ubi atrocissimam describens persecutionem Saracenorum in Christianos Hispanos, qui pseudoprophetam Mahometem detestarentur; *Inauditis* (inquit) *sævitiæ furoribus illa frendens turba, cunctos animadversione gladij præmittit ad cælum, presbyteros, levitas, confessores, virginésque beatas. Ac ne sibi quispiam inesse humanitatis ostenderent, quos gladio vindice huius vitæ limen sub testimonio veritatis excedere coëgerant, præ foribus palatij inhumatos relinquentes, canibus iusserunt exponi; adhibitis simul custodiis, nequis Catholicorum intuitu pietatis carnibus etiam spoliata cadavera sepeliret.* In quem locum Notas adhibens Ambrosius Morales, hæc in eamdem sententiam refert de iisdem Mahometanis ex antiquo codice, cui titulus Indiculo Luminoso: *Ut alia taceam, certè dum defunctorum corpora à sacerdotibus vident, ut mos est Ecclesiasticus, humanda portare; nónne apertis vocibus, & impurissimis gemitibus dicunt, Deus non miserearis illis? & lapidibus sacerdotes impetentes, ignominiosis verbis populum Domini denotantes, spurcitiarum fimo Christicolas transeuntes pedore infando aspergunt, maiora minitando ringentes?* Móxque ex eiusdem sæculi Abbate Sampsone S. Zoili aliud adiungit testimonium; quo pariter confirmatur, pœnam mortis impendisse illis, qui Christianos à Mahometanis Saracenis necatos sepelire ausi fuissent. Denique tanto odio Christianos prosequebantur, ut (quod addit [q] Eulogius) *multi ex eis tactu indumentorum suorum illos indignos diiudicarent, propiúsque sibimet accedere execrarentur: magnam scilicèt coinquinationem existimantes, si in aliquo rerum suarum admiscerentur.* Eamdémque ipsemet tandem pœnam passus Eulogius, post consummatum fortiter martyrium unà cum Leocritiâ Virgine, Mahometanæ gentis sobole, sed in Christo per eumdem sanctum renatâ; amborum corpora in flumen proiecta sunt: ut traditur ab Alvaro [r] eius temporis scriptore in eius Vitâ. Similiterq; posteà Pelagij [f] pueri, insigni martyrij coronâ decorati; & aliorum plurimorum. Nec

[p] Lib. 1. cap. 8.

De antiquioribus Mahometanis.

[q] Cap. 13.

[r] Ap. Sur. 11. Mart.

[f] Ext. eius mart. Acta.

III.

Nec omittimus quod refert Ioannes de Barros Lusitanus in suâ Historiâ [t] Asiæ, ex Tarigh Arabum, quo summatim continentur gesta ipsorum Calipharum, hoc est, summorum Principum simul & Pontificum; paulò antè quàm Hispania occuparetur à Saracenis, Ciafam quemdam omnium ferè consensu electum in Arabiâ in supremum ipsorum sectæ Calipham, quòd sanguine proximiùs tangeret pseudoprophetam Mahometem; misisse Abedelam propinquum suum cum potenti exercitu adversus alium pseudocalipham sedentem Damasci; húncque Abedelam, victo & fugato pseudocaliphâ, quamplurimos eius propinquos ferro & flammâ extinxisse, *eorumque cadavera insepulta abiecisse, escam feris & volucribus; quòd essent (ut dicebat) excommunicati, ac proinde omni indigni sepulturâ*. Nec item omittimus quod legitur in Chronico [u] eorumdē Calipharum collecto ab Abrahamo Zacuthi Salmanticensi ex Israëlitarū monumentis, de Walid filio Iezid filij Abdelmelich, qui fuit decimusquintus Calipharum in Bagded & Damasco à pseudoprophetâ Mahomete: nempè ipsum non reliquisse ullum loculum condendo fratris cadaveri, neq; cucumam aquæ calefaciendæ ad cadaver lavandum, sed posuisse tantùm in quâdam storeâ. Nec insuper quod habetur in Historiâ [x] Musulmanâ Turcorum, Osmanem, quem alij Othomanum vocant, fundatorem Imperij Turcici; cùm quodam certamine Calanum Christianorum ducem occidisset, eius ventrem scindi iussisse, & effusis visceribus instar canis sepeliri: adeò ut locus ille posteà dictus fuerit Sepulchrum caninum. Quódq; in Indice Libitinario eorumdem item legitur, Urchanem, Urchanis filium, Emiris Suleimanis nepotem, quia periit in occupatione Constantinopoleos, inter Christianos occisus, próque suppositio à suis Turcis habitus fuit, honore funeris regij privatum fuisse. Itémque Dusmen, sive fictitium quemdam Mustapham, ob natales pariter ementitos, & infame mortis genus, indignum habitum sepulturâ Sultaninâ. Rursúmque Cassimem Baiasethis primi filium, quòd ab Emire Suleimane fratre Constantinopolim obsidis loco missus, Christianis

[t] *Dec. 1. lib. 1. cap. 1.*

ALIA SEQUENTIUM TEMPORUM EXEMPLA.

[u] *Ap. Scalig. lib. 2. canon. Isag. pag. 138. & lib. 5. pag. 318.*

[x] *Leunclav. in Hist. Musulman. lib. 3. & in Libit. n.*

imbutus fuisset sacris, post mortem non potuisse patriis inferri sepulchris; statuentibus Musulmanis, etiam loculos suos propinquitate Christianorum cadaverũ pollui. Ut ex his intelligas, etiam Mahometanos antiquis temporibus, quos odio vel ob diversam religionem, vel aliâ quâcumque de causâ, habuissent; illis pœnam irrogâsse, vel nullius, vel turpis sepulturæ. Mirum, quòd qui minima quæque Mahometis sui, & quæ tam in vitâ quàm in morte ei contigerunt, singulari observantiâ colere consueverunt; non etiam turpem ipsius corporis exitum, quibusvis aliis sanctioribus funerum ceremoniis antepofuerint: maximè cùm fuerit ea (ut vidimus) antiquis Persarũ Magis in honore & pretio: quippe idem qui suprà S. Eulogius [y] antiquiorum auctoritate refert, Mahometem à canibus semesum fuisse, antequàm terræ mandaretur: suos tamen ad eius vindicandam iniuriam, annis singulis canes occidere decrevisse: dignè verò ei accidisse, ut canum ventrem talis Propheta repleret, qui non solùm suam, sed multorum animas inferis tradidisset.

[y] *Apolog. SS. Martyr.*

TURPE MAHOMETIS PSEUDOPROPHETÆ FUNUS.

Hæcque iam satis sunto in exemplum propositæ distinctionis sepulturæ singularum Religionum, ac Gentium; & pœnæ privationis cunctis Iuribus in nefarios, & irreligiosos, ac ceteros Reipub. perniciosos existimatos, ratione ipsâ, ac naturali, divinâq; lege dictante, usurpatæ.

CAPUT IV.

De BRUTIS *animantibus*.

I. IN Brutis Animantibus nihil est quòd multi simus: cùm ex iis quæ de illarum inter sese curâ sepulturæ priori libro retulimus, satis etiam intelligere quis possit singularem earumdem affectum in propria uniuscuiusq; gregis sepulchra, & alienorum ab iisdem repulsum, horroremque commixtionis: ac proinde siquando repertæ sunt alienis sepulturæ honorem impendisse, eas id illis omninò ut amicis præstitisse, quod penitus inimicis denegaturæ essent. Quidni inter se id servârint, cùm etiam

CANUM SAGACITAS IN DISTINGUENDIS CADAVERIBUS.

erga homines id præstitisse reperiantur? Nicetas Chroniates narrat, captâ Thessalonicâ à Balduino Flandriæ Comite, iterúmque paulo pòst à Græcis receptâ, cùm cædes utrimque variæ & multæ factæ fuissent, Canes Thessalonicenses nullum omninò cadaver Græcum tangere, quasi amicis popularibúsque parcentes; at contrà Latinos vorare tantâ rabie visos fuisse, ut etiam sepulchris conditos eruerent & lancinarent.

Sanè & quæ animantes laniatu alias perimunt, quid aliud quàm & insepultas abiiciunt? Possem multiplicia diversarum extera, civiliáque certamina, pugnásque celebres ex antiquioribus, recentioribúsque auctoribus recensere: sed ne sine causâ, prætérque propositum res trahatur in longius, duas tantùm alterius retrò sæculi memorare sufficiat, quæ nullis non forent insolentiâ suâ mirabiles: alteram diversorum generum, eiusdem alteram, utramque ex Æneæ [z] Silvij commentariis Rerum memorabilium, quæ temporibus suis contigerunt; & quidem animantium, quibus sepulturæ curam in pretio esse vidimus. Prioris causa nidus fuit: ob cuius possessionem, cùm inter Corvum & Accipitrem (Milvum fortè; quippe ait Cicero [a] esse ei quoddam bellum naturale cum corvo; alterúmque alterius ubicumque nactus fuerit ova, frangere.) acerrimè pugnatum fuisset; iisdem postremò non tam satiatis quàm lassis in diversas partes volantibus, postridiè ibidem visæ sunt accipitrum, corvorúmque tot per aëra turmæ, ut cæli aspectum tamquam nubes auferrent: nec mora, velut à peritissimis ducibus ordinatis aciebus, atrocissimum prælium in aëre commissum, rostris, unguibúsque: quo cùm modò hi, modò illi cederent, & iterùm resumptis viribus, & reparatis ordinibus, certamen instaurarent, totúsque undique subiectus ager pennis, & cadaveribus obtegeretur; ad extremum corvis ad internecionem deletis, victoria & nidus accipitribus cessêre. Certamen alterum inter formicas in arbore Bononiensis agri: quam cùm partûs causâ ex minoribus formicis complures ascendissent, superveniénsq; maiorum multitudo plurimis earum morsu per-

II. (margin)

[z] *Hist. de Europ. cap. 53. & comment. rer. memor. lib. 6.*

[a] *Lib. 2. de nat. deor.*

MIRABILIS PUGNA VOLUCRUM:

ET FORMICARUM.

emptis reliquas deiecisset: paulò pòst exortum minorum infinitum agmen, truncum arboris circumvallant, & catervatim ascendentes, non sine disciplina & ordine in hostes pergunt. quibus visis maiores loca occupant opportuniora, ne circumveniri possent; & cùm ad pugnam ventum est, rostro valentiores ingentem minorum numerum trucidant, laniant, conterunt: quousque minores pertinaciùs instantes, cùm longissimè numero excederent, viginti aut plures unam ex maioribus circumstantes aggrediuntur, & undequaque morsibus confodientes, victas, & in fugam ad summum arboris versas, ad unam omnes necàrunt. Quis dubitet, quamvis sit huic animalculo proprius amor sepulturæ sui generis, sitque alioqui cunctis imago sua sancta; tamen cùm ad dissidium certamênque venitur, quibus vitam adimunt, iisdem etiam sepulturam invidere? Quid enim illæ, de quibus dixi aliàs ex Cleanthe, pro quadam mortuâ ab alterius cavernæ formicis pretium redemptionis lumbricum acceperunt; nisi quòd vel ipsæ eam iure belli detentam, vel aliquo scelere in suo deprehensam, sibi habebant? Legimus [b] ex Atizoës Historiâ Rerum Indicarum, formicas, dum gestant cadaver, mortuámve formicam, ut sepeliant, nigras naturâ eam comitari; si verò rubræ, aut albæ sequantur, eas à nigris dilacerari morsibus, & ob dedecus commissum insepultas relinqui; quòd sine veste funerali, ac tristi, in aliarum contubernio emortuam dehonestare tentaverint. His porrò cùm tale sit à naturâ ingenium, quis iustè fabulosam [c] antiquitatem damnaverit, quod eas in homines transformatas finxerit? Quin immò Socrates apud Platonem [d], homines illos qui popularem, civilémque virtutem, quam temperantiam & iustitiam nominant, non ex philosophia, sed exercitatione acquisitam, in mundo exercuerint, post obitum in formicas demigrare ait, indéque rursùm humano generi redditos, modestos ac civiles homines fieri.

[b] *Ap. Bustamant. de Reptil. lib. 5. cap. 2.*

FORMICARUM INGENIUM.

[c] *Ovid metamor. lib. 7. Tzetz. chil. 7. hist. 133. Strab. lib. 8. circ.*

[d] *In Phadon.*

LIBER III. PARS I.

De EFFOSSIONE *Cadaverum Sepulturâ indignorum; vel in Alienis Sepulchris conditorum.*



SICUT à Naturâ docemur, eius cui fuerit ingressus in aliquem locum interdictus, si fortè sese intruserit, expulsionem inde ipso iure sequi, ceu iniusti, ac temerarij invasoris: Ita in re nostrâ contigisse reperimus, ut quotiescumque aliqui ex iis, quos demonstravimus, legibus, aut consuetudinibus indignos iudicari sepulturâ; aut à sacris, propriisque singularum Religionum monumentis, ac cœmeteriis arceri; seu vi, seu clàm, aut aliquo errore & imprudentiâ, alióve quocumque modo, vel sepulturæ dati fuerint, vel etiam sacris monumentis iniecti: eorum cadavera extumulata sint; & vel feris avibúsque exposita, vel Aquis, aut Igni proiecta, vel in profanos locos abiecta, quandocumque id commodè fieri potuit. Idque sæpiùs cælesti etiam confirmatione comprobatum fuisse. Nec deesse Brutorum exempla, quæ idem instinctu naturali præstiterint. ARGUMENTUM LIBRI III.

CAPVT I.

De tempore LEGIS NATURÆ.

QUOD ut concepto semel ordine Religionum *Legis Naturæ, Ethnicorum, Iudæorum, Christianorum, Hæreticorum*, & *Mahometanorum* probemus, verendum sanè I.

ne in ipso aditu hæreamus, si quod hactenùs fecimus, Legem Naturæ angustis illis coarctemus, & coërceamus terminis, quos sacra Scriptura verborum suorum, exemplorúmq; sanctorum Patriarcharum descriptione complectitur, ante Legem scriptis Mosi datam. Verùm cùm (ut initio dictum est) ferè nihil à Mose de primâ illâ mundi ætate conscriptum fuerit; nisi quod humani generis propagationem spectaret; quis iustè à nobis exigat expressa exempla rerum, quæ parùm ad eam pertinere noscuntur? Expressa, inquam: quin enim plurima facili interpretatione colligi possint, ex solicitâ illâ, & intentissimâ curâ distinctionis sepulturæ Fidelium ab Ethnicis, & translationis ossium eorumdem in Terram Promissionis; nemo, puto, inficiabitur: præsertim si non solùm ipsam Sepulturam, verùm etiam eius Privationem, Iuris Naturalis esse considerans; (quod abundè probatum est superiùs:) eâdem & ratione animadverterit, non posse non eiusdem Iuris Extumulationem esse; institutam in pœnam delinquentium, quos Ius Divinum, & Naturale puniri iubet. Eò maximè quòd idem & ceteris quoque Religionibus usurpatissimum fuisse sciamus: nec solùm antiquissimæ Ethnicæ, quam vidimus non nisi à Lege Naturali hanc doctrinam accipere potuisse; verùm & præcipuè Iudaicæ, atque Christianæ, quas novimus divinitùs institutas; & non tantùm non contrarias extitisse Legi Naturali, sed etiam fundamentum ab eâ accepisse: quinimmò & à Deo imperatum, auctore Naturæ, omnísque rectæ Religionis; ut non possit quod ipse præcepit, in crimen vocari violatæ Naturæ, ac Religionis. Unde & rectè Philo [a] observavit, Leges scriptas nihil aliud esse, quàm vitarum Patriarcharum ὑπομνήματα, hoc est, monumenta, sive commentarios rerum ab iis dictarum, factarúmque. Quippe qui Naturam nondum corruptam & depravatam ducem secuti, absque legum præscripto ea omnia, quæ legibus posteà sancita sunt, sanctissimè observârint, & religiosissimè tenuerint.

[a] *Lib. de Abrah. ad pr.*

II. Et sanè quid putamus facturos fuisse sanctos illos Patriarchas, siqui è Gentilibus sepulti fuissent in suis ipso-

rum Patriarcharum monumentis, vel possessionibus; quos tam anxiá solicitudine curâsse vidimus, ne sua corpora in monumentis Infidelium deponerentur, vel ne illorum in suis? Quid alij Principes, ac Iudices, in reos, quos sepulturâ indignos iudicâssent? Quid utique nisi quod tam Ethnicis, quàm Iudæis, illi ævo proximis, receptissimâ consuetudine frequentatum fuisse reperimus? quinimmò (ut iam tandem ad disertissima accedamus temporis *Legis Naturæ* exempla) quod in ipso Diluvio universali divinitùs præstitum constat; cùm videlicèt mortuorum omnium ossa disiecta & dissipata fuerunt, eorúmque sepulchra cum reliquis quæ tunc extabant ędificiis, aquarum inundationibus diruta, vastata, ac dispersa omninò, ita ut nullum eorum posteà vestigium remanserit. (In pœnam utiq; scelerum hominum, propter quæ & Diluvium contigit. Quamvis enim & piorum hominum sepulchra æquè ac impiorum disiecta fuerint; tamen sicuti Diluvium non immissum est nisi in supplicium reorum, etsi plurimi qui tunc perierunt credantur salutem consecuti, quòd vel tunc à peccatis resipuerint: ita & pœna illa dissipationis sepulchrorum & corporum, nonnisi in punitionem impiorum accidisse noscitur, quamvis & piorum æquè ossa idem passa sint; ne Deus sine necessitate miracula multiplicaret, cùm scitum sit, nihil propterea deperire saluti iustorum.) quódque per Legislatorem Mosen sancivit ipse Dominus, cùm inter gravissimas pœnas, quas statuit in transgressores Legis, & hanc [b] expressè commemorat: *Ponam cadavera vestra super cadavera Idolorum vestrorum:* quemadmodùm legitur in Hebræo, & Græcâ Septuaginta translatione, ac paraphrasi Chaldaicâ; pro eo quod habet eodem sensu Latina interpretatio vulgata, *Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum.* non solùm intelligens privationem sepulturæ, sed etiam extumulationem: qualem posteà pium Regem Iosiam [c] fecisse, cùm tollens de sepulchris ossa falsorum Prophetarum, aliorúmque idololatrarum, combussit ea super altaria idolorum: & Dominum per Isaiam, & Ezechielem, comminatum esse, pau-

EXEMPLA EXTUMULATIONIS IN LEGE NATURÆ.

[b] *Levit.* 26.

[c] 4. *Reg.* 23.

lò pòst visuri sumus, cùm priùs de Gentilibus agendum præscriptus semel ordo admoneat.

CAPVT II.

De usu EFFOSSIONIS, *sive* EXHUMATIONIS, *apud* GENTILES *Ægyptios, & Persas.*

I. DE *Gentilibus* igitur acturi, ut de more incipiamus ab iis, quæ ipsimet in sese invicem præstiterunt, (omissis tamen, quæ iam superiùs, occasione violationis sepulchrorum, aliisque retulimus; quæ valdè etiam huc faciunt:) inde ad ea quæ in Fideles exercuerunt progressuri; & ab antiquioribus rem inchoantes, imprimis legimus apud Diodorum [d], Ægyptiorum aliquot Reges, qui sibi pyramides in sepulchra condiderant, nequaquàm in illis sepultos fuisse; propterea quod plebs ob laborum molestias, & Regum violentiam, cadavera è monumentis se eruturos, & direpta ignominiosè abiecturos interminabatur: eámque ob rem morientes Reges amicis suis mandàsse, ut sua corpora obscuris locis conderent, ne paterent iniuriis plebis. Expressiùs Herodotus [e] Cambysen refert Persarum Regem, ductâ in Ægyptum expeditione, Amasis Ægypti Regis, iam tunc mortui, ac regiè sepulti, iussisse corpus, quòd ab eo delusus aliquando fuisset, è conditorio extrahi, verberibus cædi, & omni alio contumeliæ genere affici, ac demùm turpiter cremari. Fuisséque pariter eiusmodi effossionem Ægyptiis familiarem, satis ex Plutarcho [f], & Strabone [g] intelligitur; dum referunt, Isim multis variisque locis Osiridi viro suo monumenta extruxisse, cùm tamen uno dumtaxat cunctis aliis ignoto corpus eius recondidisset; ut falleret Typhonem fratrem, eius occisorem acerrimúmque adversarium, *ne inventum corpus ex sepulchro erueret.* Quinimmò & primò arcâ inclusum, proiectúmque in mare, cùm Typhon fortè reperisset; eductum arcâ, quæ pro sepulcro illi erat, in frusta dissecuisse, ac disiecisse, quæ reperta

[d] *Lib.* 1. DE ÆGYPTIIS.
[e] *Lib.* 3.
[f] *De Isid. & Osir.*
[g] *Lib.* 17.

perta Isis iterùm sepulchro ignoto condiderit, Plutarchus narrat. Quamvis enim quæ de his deorum quisquiliis narrarentur ab Ægyptiis, fabulosè fuisse conficta ad alia quædam significanda fateatur; quod tamen ad rem nostram attinet, nemo ex iis non videat, conatum Typhonis de cadavere effodiendo, non nisi ex more Ægyptiis familiari & frequentato, eodémque iniuriosissimo, describi.

Quâ in re memorandum, quod de posterioribus Persis referct Agathias [h]: videlicèt non solùm ipsos cadavera suorum non priùs humâsse, quàm à feris dilaniata fuissent; (quem morem superiùs explicavimus:) verùm etiam siquando sepelirentur, eadem spontè à terrâ foras expelli consuevisse. Quosdam enim Gentiles philosophos, cùm sub Iustiniano Imp. è Romano solo in Persidem transissent ad Regem Cosrhoën, eruditionis famâ celebrem; inde ad propria remeantes, quàdam die in agro Persico conspicatos cadaver hominis recenter mortui, neglectim inhumatum abiectum; barbaricæ legis iniquitatem commiseratos, contexisse ut potuerunt de more patriæ suæ cadaver, terrâque contumulantes sepeliisse: nocte verò illâ dormientibus iam omnibus, apparuisse in somnis uni eorum virum senem, gravem, & venerandum, ac philosophiæ studium tam vestis formâ, quàm promissâ barbâ præseferentem; qui ei inclamavit hos versus: II. [h] Lib. 2. DE PERSIS.

Ne tumules inhumatum; at nudum linque cadaver
Dilacerare canes, escámque volucribus esse:
Mater enim Tellus cunctorum haud suscipit illum,
Qui matrem est ausus facto vitiare nefando.

Tum illum confestim præ metu experrectum, somnium aliis renunciâsse: omnes autem dubios animi, quónam esset id somnium evasurum, summo mane institutum iter prosequentes, cùm situ locorum cogente agrum eumdem transirent quo mortuum terrâ obruerant; reperisse cadaver illud denuò nudum super tumulum iacens, perinde ac si terra illud spontè extumulâsset, & in apertum proiecisset, neque non à feris discerptum, atque ab-

sumptum, asservare sustinuisset. Illos autem spectaculi miraculo obstupefactos, iter continuásse nullo ampliùs officio ei sepulturæ præstito; quòd somnium expendentes in eam sententiam venerint, hanc meritò Persas pœnam, & vindictam luere impurissimi tunc temporis usurpati moris, ut cum propriis matribus flagitiosè commiscerentur.

CAPVT III.

De usu Exhumationis apud GRÆCOS *Gentiles.*

I. FUISSE verò & Græcis Exhumationis pœnam familiarem, imprimis inde constat, quòd ne eam contumeliam paterentur necessariorum cadavera ab odio inimicorum, solerent aliquando intra templa deorum ea tumulare, quò religione locorum inviolata conservarentur. Sic enim apud Euripidem Medea post filiorum necem, Iasoni eorum patri petenti eorum corpora ad sepulturam; *Nequaquam*, (inquit) *quia ego sepeliam eos hâc manu, ferens in locum Iunonis deæ Acreæ; nequis hostium eos contumeliâ afficiat, sepulchrum revellens.* At Periander, (inter Septem Sapientes, melioris, ut puto, penuriâ, magis quàm eius merito, à plurimis connumeratus) sævissimus Corinthiorum tyrannus, cùm & sibi post mortem timeret; alio adinvento vaframento, ut sepulchrum suorum lateret omnes, duos iuvenes dicitur [i] intempestâ nocte per semitam quamdam incedere iussisse, & quicumque primus occurrisset, eum interimere, ac clàm sepelire; póstque illos, quatuor alios misisse, qui duos illos necarent, ac sepulturæ traderent; rursúmque contra illos misisse plures, iterúmque plures, cum iisdem mandatis: sícque effectum, ut ipse solus primis obvius occisus ab iis fuerit, & incognito omnibus loco sepultus. Tyrannis enim, quibus leges terram negabant, si adepti eam fuissent, extumulationem deberi apud Græcos, intelligitur ex Plutarcho [k]; cùm scribit, datum crimini fuisse Dioni, quòd Syracusanis Dionysij Senioris conditorium dissipare, & ossa proiicere volentibus, non permisisset. quod

[i] *Ap. Diog. Laert. in Perianar.*

TYRANNIS EXHUMATIO DEBITA.

[k] *In Dion.*

quidem posteà ab iisdem impletum fuisse, testatur alias idem auctor [l]. Extatque [m] pariter elegans Crinagoræ antiqui poëtæ epigramma in Niciam Coënsium tyrannum: quod Latinè versum sic habet:

Ne dicas mortem, vitæ terminum.
Sunt mortuis tamquam vitæ principia
Calamitatum aliarum. Inspice Niciæ
Coi mortem; iam iacet in inferno;
Mortuus verò venit in Solem. Cives
Enim tumbæ aperientes seras, traxerunt
Ad pœnas miserum bis mortuum.

[l] De ser. num. vind.
[m] Anthol. lib. 2. cap. 37.

II.

Sacrilegis quoque, Proditoribus, Hostibúsque capitalibus, & aliis perniciali odio habitis, eamdem apud Græcos inuri consuevisse notam; de *Sacrilegis* quidem, tum docet apud Thucydidem [n] exemplum Deliorum; qui cùm ob vetus quoddam sacrilegij crimen polluti censerentur, sæpiùs lustrati, tum demùm plenè expiati existimati sunt, cùm omnia quæcumque in Delo defunctorum sepulchra erant, sublata sunt; edictúmque est, nequis imposterum in eâ sepeliretur: tum apud eumdem auctorem [o], & Plutarchum [p], aliósque [q], supplicium Atheniensium in reos criminis Cylonij. Cùm enim Cylon quidam Atheniensis, genere & opibus potens, Athenarum arcem occupâsset; obsessúsque mox intùs ab Atheniensibus, ipse quidem clàm evasisset unà cum fratre, sed qui cum iis erant ad aras deorum supplices recurrentes, fidéque de sospitate acceptâ exeuntes, nihilominùs à Magistratibus occisi fuissent; atque inde omnes illi qui eos occiderant, scelerati & impij ob violationem templorum unà cum universâ ipsorum progenie censerentur: post multum temporis, solemni iudicio de iis habito, vivi in exilium pulsi fuère, mortui è sepulchris eruti, & extra fines Atticæ proiecti. quorum & rursùm meminit idem Plutarchus tam in Vitâ Solonis, quàm in tractatu de Serâ numinis vindictâ, cùm agit de impiorum corporum proiectione, mortuorúmque è finibus expulsione. *Proditorum* exemplum habet Lycurgus antiquus Rhetor oratione contra Leocratem, dum scribit, Phry-

ITEMQUE SACRILEGIS.

[n] Lib. 3. & 5.
[o] Lib. 1.
[p] Apophtheg. Lacon.
[q] Herod. in Terps. Pausan. in Achaic.

PRODITORIBUS.

ſumptum, aſſervare ſuſtinuiſſet. Illos autem ſpectaculi miraculo obſtupefactos, iter continuâſſe nullo ampliùs officio ei ſepulturæ præſtito; quòd ſomnium expendentes in eam ſententiam venerint, hanc meritò Perſas pœnam, & vindictam luere impuriſſimi tunc temporis uſurpati moris, ut cum propriis matribus flagitiosè commiſcerentur.

CAPVT III.

De uſu Exhumationis apud GRÆCOS *Gentiles.*

I. FUISSE verò & Græcis Exhumationis pœnam familiarem, imprimis inde conſtat, quòd ne eam contumeliam paterentur neceſſariorum cadavera ab odio inimicorum, ſolerent aliquando intra templa deorum ea tumulare, quò religione locorum inviolata conſervarentur. Sic enim apud Euripidem Medea poſt filiorum necem, Iaſoni eorum patri petenti eorum corpora ad ſepulturam; *Nequaquàm*, (inquit) *quia ego ſepeliam eos hac manu, ferens in locum Iunonis deæ Acreæ; nequis hoſtium eos contumeliâ afficiat, ſepulchrum revellens.* At Periander, (inter Septem Sapientes, melioris, ut puto, penuriâ, magis quàm eius merito, à plurimis connumeratus) ſæviſſimus Corinthiorum tyrannus, cùm & ſibi poſt mortem timeret; alio adinvento vaframento, ut ſepulchrum ſuorum lateret omnes, duos iuvenes dicitur [i] intempeſtâ nocte per ſemitam quamdam incedere iuſſiſſe, & quicumque primus occurriſſet, eum interimere, ac clàm ſepelire; póſtque illos, quatuor alios miſiſſe, qui duos illos necarent, ac ſepulturæ traderent; rursúmque contra illos miſiſſe plures, iterúmque plures, cum iiſdem mandatis: ſícque effectum, ut ipſe ſolus primis obvius occiſus ab iis fuerit, & incognito omnibus loco ſepultus. Tyrannis enim, quibus leges terram negabant, ſi adepti eam fuiſſent, extumulationem deberi apud Græcos, intelligitur ex Plutarcho [k]; cùm ſcribit, datum crimini fuiſſe Dioni, quòd Syracuſanis Dionyſij Senioris conditorium diſſipare, & oſſa proiicere volentibus, non permiſiſſet. quod

[i] *At. Diog. Laert. in Periandr.*

TYRANNIS EXHUMATIO DEBITA.

[k] *In Dion.*

quidem posteà ab iisdem impletum fuisse, testatur alias idem auctor [l]. Extátque [m] pariter elegans Crinagoræ antiqui poëtæ epigramma in Niciam Coënsium tyrannum: quod Latinè versum sic habet:

[l] *De ser. num. vind.*
[m] *Anthol. lib. 2. cap. 37.*

Ne dicas mortem, vitæ terminum.
Sunt mortuis tamquam vitæ principia
Calamitatum aliarum. Inspice Niciæ
Coi mortem; iam iacet in inferno;
Mortuus verò venit in Solem. Cives
Enim tumbæ aperientes seras, traxerunt
Ad pœnas miserum bis mortuum.

II.

ITEMQUE SACRILEGIS.

Sacrilegis quoque, Proditoribus, Hostibúsque capitalibus, & aliis perniciali odio habitis, eamdem apud Græcos inuri consuevisse notam; de *Sacrilegis* quidem, tum docet apud Thucydidem [n] exemplum Deliorum; qui cùm ob vetus quoddam sacrilegij crimen polluti censerentur, sæpiùs lustrati, tum demùm plenè expiati existimati sunt, cùm omnia quæcumque in Delo defunctorum sepulchra erant, sublata sunt; edictúmque est, nequis imposterum in eâ sepeliretur: tum apud eumdem auctorem [o], & Plutarchum [p], aliósque [q], supplicium Atheniensium in reos criminis Cylonij. Cùm enim Cylon quidam Atheniensis, genere & opibus potens, Athenarum arcem occupâsset; obsessúsque mox intùs ab Atheniensibus, ipse quidem clàm evasisset unà cum fratre, sed qui cum iis erant ad aras deorum supplices recurrentes, fidéque de sospitate acceptâ exeuntes, nihilominùs à Magistratibus occisi fuissent; atque inde omnes illi qui eos occiderant, scelerati & impij ob violationem templorum unà cum universâ ipsorum progenie censerentur: post multum temporis, solemni iudicio de iis habito, vivi in exilium pulsi fuère, mortui è sepulchris eruti, & extra fines Atticæ proiecti. quorum & rursùm meminit idem Plutarchus tam in Vitâ Solonis, quàm in tractatu de Serâ numinis vindictâ, cùm agit de impiorum corporum proiectione, mortuorúmque è finibus expulsione. *Proditorum* exemplum habet Lycurgus antiquus Rhetor oratione contra Leocratem, dum scribit, Phry-

[n] *Lib. 3. & 5.*
[o] *Lib. 1.*
[p] *Apophtheg. Lacon.*
[q] *Herod. in Terps. Pausan. in Achaic.*

PRODITORIBUS.

nicum ab iisdem Athenienſibus poſt mortem, atque ſepulturam, proditionis accuſatum atque damnatum, è ſepulchro erutum extra Atticam amādatum fuiſſe. Aliúdque Plutarchus in Alexandro, cùm narrat Olympiadem Alexandri matrem ſexto demùm anno poſt eiuſdem Alexandri mortem, indicio quodam delato veneni ei propinati, multos necâſſe; oſſáque etiam proieciſſe mortui Iolæ pincernæ Alexandri, quaſi venenum hic miſcuiſſet. Quibus & Carthaginienſes adiungimus: quos Appianus [r] ait, corpus Aſdrubalis Giſconis filij proditionis accuſati, è ſepulchro erutum, cōtumeliis affeciſſe.

[r] De bel. Pun.

III. Et Hostibus.

De *Hoſtibus* verò narrat Plutarchus [ſ]; cùm Pyrrhus Epirotarum Rex, poſt reditum ex Italicâ & Siculâ expeditione, Macedoniam iterùm occupâſſet, (longè ad acquirenda imperia, quàm retinenda aptior) captâ Ægeorum civitate, in quâ Reges Macedonum ſepeliri mos erat, præſidium Gallorum ibi collocâſſet; ipſos Regum ibi humatorum monumenta diripuiſſe, oſſáque cum ludibrio diſſipâſſe: ídque Pyrrhum ferentem lentè atque ſolutè, malè audîſſe apud Macedonas. Tribuit quidem Plutarchus facinus avaritiæ Gallorum; & diſſimulationem Pyrrhi, impotentiæ ſumendi de iis ſupplicij: ſed ánnon fortè id ipſe libentiùs permiſerit, in vindictam ſimilis iniuriæ, olim Regibus Epiri ipſius deceſſoribus illatæ à Lyſimacho uno ex Alexandri Magni ſucceſſoribus, Macedoniam tunc occupante; quando Pyrrhum bello adortus, cùm ad Regum Epiri ſepulchra perveniſſet, iis è terrâ eductis oſſa diſſipavit? Hoc enim ita geſtum fuiſſe, Hieronymus Cardianus apud Pauſaniam [t] ſcribit. Nec ſanè Pauſanias ea ſic peracta dubitâſſet, (ſicuti fecit, eâ ratione motus, quòd non ignoraret Lyſimachus homo Macedonicos Reges Epiri, non Pyrrhi ſolùm, ſed etiam Alexandri, cuius ipſe ſatelles fuerat, maiores extitiſſe:) ſi tam conſiderâſſet nō fuiſſe hoſtibus hoſtium ſepulchra ulli venerationi; (Sicuti exemplo Delphorum ipſemet anteà oſtenderat, dum narravit eos Pyrrhi Achillis filij ſepulchrum, tamquam hoſtis, nullis honoribus umquam dignum putâſſe, uſque dum viſus ipſe fuiſſet pro iis pugnare adverſus Gallos:) quàm divina humanáque iura

[ſ] In Pyrrh.

[t] In Attic.

frustrà esse turpi hominum avaritiæ, & impotenti hostium & inimicorum iræ; dum plerumque ita sæviunt in quæcumque sacra profanáque, ut tum demùm cessent, cùm non tam ira satiata, quàm iræ exercendæ materia desit. Quod & longè posteà Philippo Macedonum eorumdem Regi parenti Persei tribuens Livius [u], dum eius repetitas in agrum Atticum populationes describit, orationem etiam recitat Atheniensium in Concilio Ætholorum contra eum habitam: quâ ei invidiam præcipuè conquirere conati sunt; *non quòd hostilia ab hoste passi forent. Esse enim quædam belli iura, quæ ut facere, ita pati sit fas. Sata exuri, dirui tecta, prædas hominum pecorúmque agi, misera magis quàm indigna patienti esse. Verumenimverò id se queri, quòd is adeò omnia simul divina humanáque iura polluerit, ut priori populatione cum infernis diis, secundâ cum superis bellum nefarium gesserit. Omnia sepulchra monumentáque diruta esse in finibus suis, omniúmque nudatos manes, nullius ossa terrâ tegi: circa templa quoque ac delubra, Philippum infestos circumtulisse ignes: semiusta & truncata simulacra deûm inter prostratos iacere postes templorum.* Ubi videas potiùs quàm legas, non tam hostis, quàm iratissimi hominis, in exosam & invisam gentem exertissimum animum. Lepidius est, quod antiquus poëta [x] Ammianus imprecatur cuidam Nearcho: nimirùm ut terra eius sepulchri sit ei levis, quò eum faciliùs eruant canes, ac devorent: prorsùs ut Martialis [y] in Philænem,

Sit tibi terra levis, mollíque tegaris arenâ,
Ne tua non possint eruere ossa canes.

[u] *Lib.* 31.

[x] *Anthol. lib.* 2. *cap.* 43.

[y] 9. *epigr.* 30.

CAPUT IV.

De ROMANORUM *praxi, circa Exhumationẽ sepultorũ.*

I.

EUMDEM enim morem etiam viguisse apud antiquos Romanos, adeò verum est, ut scripserit Plinius [z]; cùm fuisset veteris ipsorum instituti, terrâ mortuos condere, (quâ de re aliàs dictum) tamen *postquàm longinquis bellis obrutos erui cognovêre*, tunc institutum esse ut crema-

[z] *Lib.* 7. *cap.* 54.

CREMATIO CADAVERUM EX

METU EF- FOSSIONIS. rentur; ne videlicèt paterent aliquando hostium iniuriis. Multas nihilominùs familias priscos servâsse ritus: & in Corneliâ neminem ante Syllam Dictatorem crematum fuisse: ipsúmque id voluisse, *veritum talionem, eruto C. Mary cadavere.* Cuius sitas reliquias apud Anienem fluvium, dissipari iussit, acerbo odio incitatus; cui paruisset numquam, si tam sapiens fuisset quàm fuit vehemens: ut eleganter Cicero [a] scribit. Quippe non hoc Sylla præstitit zelo causæ publicæ, sed odio privato, & internecino in virum, cuius (ut etiam exprobrat Valerius [b] Maximus) etsi posteà hostis, quæstor tamen aliquando fuerat. Sed dominandi cupiditate quid sævius? quid iniquius? ferenda longè magis Iunioris Pompeij indignatio [c]; cùm auditâ nece patris in Ægypto, & iniuriâ eius cadaveri à Rege illatâ;

[a] Lib. 2 de leg.

[b] Lib. 9. cap. 2.

[c] Ap. Lucan. lib. 9.

——non in gemitus, lachrymásque dolorem
Effudit: iustâque furens pietate profatur:
Præcipitate rates è sicco littore nautæ:
Classis in adversos erumpat remige ventos.
Ite duces mecum: numquam civilibus armis
Tanta fuit merces inhumatos condere maneis.
Sanguine semiviri Magnum satiare tyranni.
Non ego Pelleas arces, adytísque retectum
Corpus Alexandri pigrâ Mareotide mergam?
Non mihi Pyramidum tumulus evulsus Amasis,
Atque alij Reges Nilo torrente natabunt?
Omnia dent pœnas nudo tibi Magne sepulchra.
Evolvam busto iam Numen gentibus Isin;
Et tectum lino spargam per vulgus Osirim;
Et sacer in Magni cineres mactabitur Apis;
Suppositísque deis uram caput. has mihi pœnas
Terra dabit: linquam vacuos cultoribus agros:
Nec Nilus cui crescat erit, sólúsque tenebis
Ægyptum, genitor, populis Superísque fugatis.

Sic erumpebat iuvenis stomachum in Ægyptum. *Sed Cato* qui aderat, *laudatam iuvenis compescuit iram.* Estque pariter de Hostibus illustre exemplum apud Dionem [d]; cùm expeditionem scribens Antonini Caracalli in Par-

[d] Lib. 78.

thos, ait eum captis Arbelis, *sepulchra Regum Parthorum abiectis ossibus subvertisse.*

Nam neque Romanis Hostium fuisse religiosa sepulchra, legibus [e] eorum declaratum reperimus; ideóque lapides inde sublatos, in quemlibet usum impunè converti potuisse, absque metu actionis sepulchri violati. Quam sanè frustrà intendissent Corinthij in Romanos duces, qui eversâ civitate vetera monumenta suffodientes, inde famosissima νεκροκορίνθια Romam transtulerunt: cùm tanta fuerit circa illa multorum Romanorum affectio, ut tradatur [f], non aliâ de causâ Verrem, quem Cicero damnaverat, proscriptum cum eo fuisset ab Antonio, quàm quòd Corinthius se ei cessurum negavisset. Sicuti & cùm loca Romanorum capta essent ab hostibus, omnia desinebant [g] esse religiosa, vel sacra. Quod timens Horatius [h] à continuis bellis civilibus, quibus Roma peritura foret, quam non potuerant externa perdere:

II. HOSTIUM SEPULCHRA, NON ERANT SACRA.

[e] L. sepulchrum. D. de sep. viol.

[f] Plin. lib. 34. cap. 2.

[g] L. cùm loco. 36. D. de relig.

[h] Epod. od. 16.

Impia perdemus (inquit) *devoti sanguinis ætas:*
Ferisque rursùs occupabitur solum.
Barbarus heu cineres insistet victor; & urbem
Eques sonante verberabit ungulâ.
Quæque carent ventis, & solibus, ossa Quirini,
Nefas videre, dissipabit insolens.

Quòd si ab eiusmodi calamitate loca illa capta liberarentur; quasi quodam postliminio reversa, pristino usui restituebantur: & per expiationem [i], ac purgationem, recuperabant religionem.

[i] Liv. lib. 5.

Parricidas item, sicut insepultos proiici debere, ita si fortè sepulti forent, ossa eruenda fuisse; & abiicienda; moribus legibúsque antiquis ostenditur Declamatione [k] Quintiliani avi, cui titulus *Ossa eruta parricidæ.* Ubi inter alia: *Sepulti ergo essent, & æternâ quiete conditi iacuissent Parricidæ manes iuxta patris latus; ut quod diis hominibusque videatur indignum, tumulo tectus videretur, cui leges terram negant? quem in pœnâ suâ lex iubet vivere, huic tumulum & exequias persolvi fas fuit?* &c. *Nunc unus superest dolor, quòd parricida sepultus est; quòd æternâ quiete compositus sepulchro meo parricida patrem premit:* &c. Et tamquam re divinitùs

III. PARRICIDÆ EXHUMANDI.

[k] Decl. 299.

METU EFFOSSIONIS. rentur; ne videlicèt paterent aliquando hostium iniuriis. Multas nihilominùs familias priscos servâsse ritus: & in Corneliâ neminem ante Syllam Dictatorem crematum fuisse: ipsúmque id voluisse, *veritum talionem, eruto C. Mary cadavere.* Cuius sitas reliquias apud Anienem fluvium, dissipari iussit, acerbo odio incitatus; cui paruisset numquam, si tam sapiens fuisset quàm fuit vehemens: ut eleganter Cicero [a] scribit. Quippe non hoc Sylla præstitit zelo causæ publicæ, sed odio privato, & internecino in virum, cuius (ut etiam exprobrat Valerius [b] Maximus) etsi posteà hostis, quæstor tamen aliquando fuerat. Sed dominandi cupiditate quid sævius? quid iniquius? ferenda longè magis Iunioris Pompeij indignatio [c]; cùm auditâ nece patris in Ægypto, & iniuriâ eius cadaveri à Rege illatâ;

[a] Lib. 1. de leg.

[b] Lib 9. cap. 2.

[c] Ap Lucan. lib 9.

——— non in gemitus, lachrymásque dolorem
Effudit: iustâque furens pietate profatur:
Præcipitate rates è sicco littore nautæ:
Classis in adversos erumpat remige ventos.
Ite duces mecum: numquam civilibus armis
Tanta fuit merces inhumatos condere maneis,
Sanguine semiviri Magnum satiare tyranni.
Non ego Pelleas arces, adytísque recentum
Corpus Alexandri pigrâ Mareotide mergam?
Non mihi Pyramidum tumulus evulsus Amasis,
Atque alij Reges Nilo torrente natabunt?
Omnia dent pœnas nudo tibi Magne sepulchra.
Evolvam busto iam Numen gentibus Isin;
Et tectum lino spargam per vulgus Osirim;
Et sacer in Magni cineres mactabitur Apis;
Suppositísque deis uram caput. has mihi pœnas
Terra dabit: linquam vacuos cultoribus agros:
Nec Nilus cui crescat erit, solúsque tenebis
Ægyptum, genitor, populis Superísque fugatis.

Sic erumpebat iuvenis stomachum in Ægyptum. *Sed Cato* qui aderat, *laudatam iuvenis compescuit iram.* Estque pariter de Hostibus illustre exemplum apud Dionem [d]; cùm expeditionem scribens Antonini Caracalli in Par-

[d] Lib. 78.

thos, ait eum captis Arbelis, *sepulchra Regum Parthorum abiectis oßibus subvertisse*.

II. HOSTIUM SEPULCHRA, NON ERANT SACRA.

Nam neque Romanis Hostium fuisse religiosa sepulchra, legibus [c] eorum declaratum reperimus; ideóque lapides inde sublatos, in quemlibet usum impunè converti potuisse, absque metu actionis sepulchri violati. Quam sanè frustrà intendissent Corinthij in Romanos duces, qui eversâ civitate vetera monumenta suffodientes, inde famosissima νεκροκορίνθια Romam transtulerunt: cùm tanta fuerit circa illa multorum Romanorum affectio, ut tradatur [f], non aliâ de causâ Verrem, quem Cicero damnaverat, proscriptum cum eo fuisset ab Antonio, quàm quòd Corinthus se ei cessurum negavisset. Sicuti & cùm loca Romanorum capta essent ab hostibus, omnia desinebant [g] esse religiosa, vel sacra. Quod timens Horatius [h] à continuis bellis civilibus, quibus Roma peritura foret, quam non potuerant externa perdere:

Impia perdemus (inquit) *devoti sanguinis ætas:*
Ferisque rursùs occupabitur solum.
Barbarus heu cineres insistet victor; & urbem
Eques sonante verberabit ungulâ.
Quæque carent ventis, & solibus, ossa Quirini,
Nefas videre, dissipabit insolens.

Quòd si ab eiusmodi calamitate loca illa capta liberarentur; quasi quodam postliminio reversa, pristino usui restituebantur: & per expiationem [i], ac purgationem, recuperabant religionem.

III. PARRICIDÆ EXHUMANDI.

Parricidas item, sicut insepultos proiici debere, ita si fortè sepulti forent, ossa eruenda fuisse; & abiicienda; moribus legibúsque antiquis ostenditur Declamatione [k] Quintiliani avi, cui titulus *Ossa eruta parricidæ*. Ubi inter alia: *Sepulti ergo essent, & æternâ quiete conditi iacuissent Parricidæ manes iuxta patris latus; ut quod diis hominibusque videatur indignum, tumulo tectus videretur, cui leges terram negant? quem in pœnâ suâ lex iubet vivere, huic tumulum & exequias persolvi fas fuit?* &c. *Nunc unus superest dolor, quòd parricida sepultus est; quòd æternâ quiete compositus sepulchro meo parricida patrem premit:* &c. Et tamquam re divinitùs

c L. sepulchrum. D. de sep. viol.
f Plin. lib. 34. cap. 1.
g L. cùm loco. 36. D. de relig.
h Epod. od. 16.
i Liv. lib. 5.
k Decl. 299.

iudicatâ; *Ut primùm accessi ad tumulum, sponte resolutâ lapidum compage, impios cineres ineditum terra suggessit: onerosa etiam inferis monstra in lucem redundare visa sunt.* Indéque

[l] In Commod. & illæ apud Lampridium [l], Senatûs conclamationes in Commodū mortuum: *Innocentes sepulti non sunt, parricida cadaver trahatur: Parricida sepultos eruit, parricida cadaver trahatur.* Et cùm nihilominùs iussu Pertinacis, qui fuerat in eius locū electus Imperator, eius corpus sepulturæ per noctem traditum fuisset, posterà die Senatus acclamavit; *Quo auctore sepelierunt? Parricida sepultus eruatur, trahatur.* Ciciúsque Severus dixit: *Iniuste sepultus est. Quia Pontifex, dico: hoc collegium Pontificum dicit.* quòd videlicèt quæ sepulturam spectarent, utpotè rem sacram, (ut aliàs ostendimus) ad collegium Pontificum pertinerent. Quapropter & sub initia Imperij Octaviani Augusti, Marcus quidam Oppius Ædilis, qui quamvis inter proscriptos unà cum patre recensitus, fuisset tamen Romano populo gratissimus, & ab eodem post mortem in Campo Martio humatus: *Hoc plebis studium erga Oppium*

[m] Lib. 48. ad fi. *indignè ferens Senatus*, (inquit Dio [m]) *ossa eius, monitu Pontificum, tamquam loco sacro non ritè posita, inde removit, quamvis & antè & post multos eodem loco sepelierint.* Siquidem Maiestatis crimine etiam post mortem reos teneri, quin imò & post mortem nocentium, eius criminis ac-

[n] D. & C. ad l. Iul. maiest. cusationem inchoari posse, leges [n] decernunt. Denique Domitianus, *ne qua religio Deûm* (inquit Suetonius [o])

[o] Id Domit. cap. 8. *impunè contaminaretur, monumentum, quod libertus eius è lapidibus templo Capitolini Iovis destinatis filio construxerat, diruit per milites; ossáque & reliquias quæ inerant mari mersit.*

CAPVT V.

De EXHUMATIONE *Christianorum, per Gentiles.*

I. QUÒD si censuit hic Imperator, ob lapides templo destinatos, in alium, licèt & ipsum religiosum, usum conversos, suffossionis pœnam iustè infligi; quid putamus,

mus, vel ipsum, vel ceteros eidem religioni Deorum addictos, censuisse de iis hominibus, qui ipsammet Deorum religionem apertè despicabantur, eiúsque vanitatem tam verbis quàm scriptis propalabant? Testis sit Tertullianus, qui primis illis temporibus vixit, quibus Religio Christiana acerbissimæ persecutionis cibo gemens pascebatur. Is enim sub Severo Imp. sic in Apologetico [p] pro Christianis edito adversùs Gentiles: *Quotiens in Christianos desævitis, partim animis propriis, partim legibus obsequentes? Quotiens etiam præteritis vobis, suo iure nos inimicum vulgus invadit lapidibus, & incendiis? Ipsis Bacchanalium furiis nec mortuis parcunt Christianis, quin illos de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis, iam alios, iam nec totos avellant, dissecent, distrahant.* Et ad Scapulam Africæ Proconsulem, Carthagine ceteris crudeliùs in Christianos grassantem, dum ut eum à cœpto retrahat, terrorem incutere cupit exemplo aliorum Præsidum, qui sævientes in Christianos graviter fuissent divinitùs mulctati: *Doleamus* (inquit) *necesse est, quòd nulla civitas impunè latura sit sanguinis nostri effusionem: sicut & sub Hilariano Præside, cùm de areis sepulturarum nostrarum acclamâssent, Areæ non sint; areæ ipsorum non fuerunt: messes enim suas non egerunt.* Nimirùm cùm peterent Gentiles, ut Cœmeteria Christianorum everterentur, ne possent ex more primitivæ illius Ecclesiæ, quem aliàs descripsimus, in iis convenire ac sepeliri; immisit Deus cladem in fruges Gentilium, ne iis vescerentur. Testis & Eusebius [q], dum postquàm tormenta, & necem quorumdam ex Imperatoris Diocletiani familiâ Christianorum descripsit, addit; *Famulos illos regios post mortem decoro & celebri funere terræ mandatos, Imperatores rursùs de integro effodiendos, ínque mare præcipitandos sententiis decrevisse; ne, ut eorum ferebat opinio, quidam eos in sepulchris & monumentis conditos, deos esse reputantes, divinâ veneratione prosequerentur.* Testes & qui de temporibus Iuliani Apostatæ scripserunt: cùm imprimis Gregorius Nazianzenus, qui cum eo aliquando conversatus est, oratione secundâ in eum habitâ loquens de contumeliis, quas eo imperante soliti Genti-

[p] Cap. 37.

[q] 8. hist. 6.

les essent Christianorum monumentis inferre; *Non iam*, inquit, *in sanctorum incisorum viscera fœdos & impuros porcos immittent, ut simul & pabulo & visceribus saturentur. Non iam Martyrum sepulchris ignem admovebunt, ut per eorum ignominiam alios à certamine deterreant. Non iam sanctorum reliquias cum vilissimis ossibus per contemptum permixtas flammis absument, aut in ventos spargent, ut eo honore qui huiusmodi hominibus debetur ipsos privent.* Ruffinus [r]: *Iuliani temporibus, velut relaxatis frenis efferbuit in omnem sævitiam feritas Paganorum. Ex quo accidit, ut apud Sebasten Palæstinæ urbem, sepulchrum Ioannis Baptistæ mente rabidâ & funestis manibus invaderent, ossa dispergerent, atque ea rursùs collecta igne cremarent, sanctos cineres pulveri immixtos per agros & rura dispergerent.* Idipsum Theodoretus [s]. Nec verò Ioannis tantùm ossa, sed etiam Elisei Prophetæ eâdem fuisse tunc eodem loco affecta contumeliâ, Nicephorus [t] scribit.

[r] 2. hist. 28.

[s] 3. hist. 6.

[t] Lib. 10. cap. 13.

II. IULIANUS IMPIUS EFFOSSOR.

Nec horum solùm Sanctorum fuisse reliquias dispersas, aut unius Iuliani ævo, verùm etiam aliorum quamplurimorum singulis propemodùm Principum Persecutorum temporibus, fidem faciunt antiqua Historiæ Ecclesiasticæ monumenta. Quod tamen non ausum fuisse Iulianum in Reliquias S. Babylæ Antiocheni olim Episcopi, licèt dæmon suaderet, Chrysostomus exprobrat oratione de eodem sancto Martyre habitâ; eò quòd timeret Iulianus, ne quid sibi adversi à sancto Martyre obveniret. Exultans autem idem de ceterorum effossione in Misopogone, Gentilésque Syros inde laudans; *Deorum*, inquit, *templa restituerunt; sepulchra verò Atheorum omnia signo à me nuper dato everterunt: ita elati, & erecti animis, ut scelera eorum qui deos violârunt, acrius etiam quàm mea ferebat voluntas vindicârint.* Ac posteà: *An verò Emeseni Christum amabant, qui Galilæorum* (ita per contumeliam, sicuti & superiùs *atheos*, Christianos vocans) *sepulchra incenderunt?* Unde certò intelligas, eius constitutionem [u] ad populum, De non violandis sepulchris, pertinere potiùs ad cohibendos Christianos, qui, ut videbimus, haud pati poterant in suis agris monumenta Diis Manibus conse-

[u] L. 5. C. Th. & Iustin. de sep. viol.

erata; quam ad Gentiles, quibus ipse liberam indulgebat facultatem, in Christianorum sepulchra insaniendi. Quando & Scythopoli Palęstinę Gentiles ossa Patrophili olim eius civitatis Episcopi effodisse è sepulchro, ac dissipâsse, caput autem in sublime elatum omni contumeliarum genere affecisse; tradit Nicephorus [x]. Quod equidem licèt pro pietate passus sit Patrophilus ab impiis Ethnicis, meruit tamen ipse pati in pœnam impietatis; qui ad ultimum usque spiritum nefariæ hæresis Arianæ patronus permanserit; & Eusebio Episcopo Vercellensi, ob fidem Catholicam apud ipsum exulanti, ingentia mala & tormenta intulerit: ut constat ex eiusdem Eusebij Vitæ Actis [y].

[x] d. cap. 13.

[y] Ap. Baron tom. 3. an. 356.

LIBER III. PARS II.

De IUDÆORUM, *&* CHRISTIANORUM *usu, in Effoßione cadaverum segregum, & noxiorum.*

CAPUT I.

De IUDÆIS.

PROFANIS Gentilium monumentis, ad sacram *Iudæorum* historiam transeuntes, ipsum Dominum imprimis legimus apud Isaiam [a], in Regem Babylonis diram sententiam intonantem: *Detracta est ad inferos superbia tua; concidit cadaver tuum: subter te sternetur tinea; & operimentum tuum erunt vermes. Ad infernum detrahêris* I.

[a] Cap 14.

MINÆ DIVINÆ IN REGEM BABYLONIS

in profundum laci. Omnes Reges Gentium universi dormierunt in gloriâ, vir in domo suâ. Tu autem proiectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis, pollutus, & obvolutus cum his qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta laci, quasi cadaver putridum. Non habebis consortium neque cum eis in sepulturâ, &c. Quasi dicat; Regum Babylonis cadavera pretiosis condiri consueverunt unguentis, ne tabe solvantur ac putrescant, & stragulis involvi pretiosis: (quanto enim hæc studio apud Assyrios & Babylonios fierent, iam aliàs ex Herodoto[b], & Strabone diximus) tu verò nihil horum habebis; sed vermibus tantummodò undequaque ac sanie circumdaberis. Ac Reges quidem alij, illique ipsi quos tu armis tuis persequutus es, dormiunt in gloriâ; hoc est, nacti sunt honestam, & regiam sepulturam in suis vel maiorum suorum sepulchris, in quibus placidè quiescant. Tu autem, si fortè sepulturam qualemcumque nactus fueris, eiicieris tamen vel inde, & putresces in stercore fœdè atque ignominiosè, non aliter atque si canis esses aut asinus. Quod quidem Hebræi[c] interpretantur de Nabuchodonozore: cuius filius Evilmerodach, cùm septennium, quo pater mutatus in belluam inter homines esse desierat, regnâsset; restituto verò patre, fuisset ab eo in vincula coniectus ob pravam regni administrationem; ac rursùm mortuo patre revocaretur in regnum: cadaver patris extumulârit, uncóque & funibus publicè raptârit, atque in trecentas partes concisum totidem vulturibus absumendum tradiderit; tum ut nonnullis, eum in Regem admittere detrectantibus, quòd patrem adhuc vivere suspicarentur, fidem faceret verè esse mortuum; tum ut omnem sibimet ipsi metum adimeret novi paterni reditûs. Sed quoniam hæc à plerisque deridentur ut fabulosa, & vaticinium Isaiæ Balthasarem Nabuchodonosoris nepotem spectare contendunt; qui à Persis & Medis occisus[d] in excidio Babylonis, proiectus est cum reliquâ proiectorum multitudine, ut vultures pasceret & canes; aut in foveam simul omnes catervatim coniecti, ut sanie & vermibus fœdè putrescerent: Ut ut se res habeat, manet tamen

[b] Lib. 1. Strab. lib. 16.

[c] Ap. Hieron. in Isa. 14. Comest. in Dan. 5. Lyran. & Abulen. in 4. Reg. ult. &c.

ADIMPLETÆ IN NABUCHODONOZORE:

VEL BALTHAZARE.

[d] Dan. 5. in fi.

ſemper divina comminatio effoſſionis; quâ patenter intelligatur iuſtè illam exerceri poſſe in impios, etiamſi fortè non adimpleta fuerit in Nabuchodonozorem, aut Balthazarem.

II. SIMILES COMMINATIONES IN REGES IUDÆ FACTÆ.

Quidni enim in Gentiles; cùm in ipſos etiam Iudæorum Reges, & Sacerdotes, ac Prophetas, & prædictam, & impletam fuiſſe eadem ſacra Scriptura ſignificet? cùm quæ per Ieremiam [c] ait Dominus, *In illo tempore eiicient oſſa Regum Iuda, & oſſa Principum eius, & oſſa Sacerdotum, & oſſa Prophetarum, & oſſa eorum qui habitaverunt Ieruſalem, de ſepulchris ſuis: & expandent ea ad Solem, & Lunam, & omnem militiam cæli, quæ dilexerunt, & quibus ſervierunt, & poſt quæ ambulaverunt, & quæ quæſierunt, & adoraverunt: non colligentur, & non ſepelientur; in ſterquilinium ſuper faciem terræ erunt.* Itémque per Ezechielem [f]: *Ecce ego deiiciam interfectos veſtros ante idola veſtra; & dabo cadavera filiorum Iſraël ante faciem ſimulacrorum veſtrorum, & diſpergam oſſa veſtra circum aras veſtras.* Hæc, inquam, fuiſſe poſteà à Babyloniis & Chaldæis patrata, diſertè tradit Propheta Baruch [g], dum ſcribit: *Statuiſti verba tua, quæ loquutus es in manibus puerorum tuorum Prophetarum, ut transferrentur oſſa Regum noſtrorum, & oſſa patrum noſtrorum de loco ſuo: & ecce proiecta ſunt in calore Solis, & in gelu noctis.* Sive enim hæc fecerint Chaldæi ex avaritiâ, ut quidam putant, quia ſolebant Iudæi, ſicut & aliæ gentes, (quod & nos ſuis locis oſtendimus) theſauros, & pretioſa ornamenta in ſepulchris condere: ſive, ut alij, ex contemptu, & illuſione, atque opprobrio, quòd non ſatis fuerit Chaldæis, libertatem vivis, & vitam ipſam eripere, ſed mortuis etiam illudere voluerint: quâcumque ratione id factum fuerit ex parte Chaldæorum, certum eſt ex parte Dei id eis facere permiſſum fuiſſe in pœnam idololatriæ Iudæorum: videlicèt ut eruta eorum cadavera diſpergerentur ante Solem & Lunam, quæ ipſi coluerant; atque ita circa quæ peccâſſent, circa eadem & punirentur. Siquidem & hanc ipſam pœnam, atque ignominiam, eâdem de causâ intuliſſe reperitur [h] Ioſias pius Rex Iudæ, oſſibus Sacerdotum idolorum; dum *tulit illa de ſepulchris, & combuſſit ſu-*

ET ADIMPLETÆ.

[c] Ierem. 8.
[f] Cap. 6.
[g] Cap. 2.
[h] 4. Reg. 23.

per altare, & excelsum, quod fecerat Ieroboam in Bethel; *& polluit illud:* Intacto tamen relicto monumento illius prophetæ Dei, per quem hæc ab ipso Iosiâ perficienda
i 3. Reg. 13. fore prædixerat [i] olim Dominus: ut eâ solemni distinctione manifestissimè demonstraret, quæ piorum hominum sepulchris reverentia, quæ impiorum pœna deberetur.

III. Nec te moveat, quod per Prophetam Amos [k] Domi-
k Cap. 2. nus Moabitis, in gravissimum omnium scelus, & nullâ

INIUSTA EFFOSSIO A DOMINO DAMNATA.

dignum condonatione, exprobrat, quòd ossa Regis Idumæi effoderint, & combusserint. Id enim inde processit, quoniam iniustè hoc Moabitæ perpetrârant: non aliâ videlicèt de causâ, quàm quòd cùm ipsi rebellâssent adversus Ioram Regem Israël, cui anteà tributum pendebant; Idumæus non solùm suppetias isset Ioramo, unà cum Iosaphato Rege Iudæ; sed etiam exercitum duxisset per deserta Idumææ, quà minimè hostes expectarent: eâque expeditione in tantam calamitatem Moabitæ redacti fuissent, ut eorum Rex desperatione rerum filium suum primogenitum more gentis obtulerit idolis suis in holo-
l 4. Reg. 3. caustum: sicut refertur in sacrâ Regum historiâ [l]; & in-
m 9. antiq. 1. terpretantur Iosephus [m], Hieronymus [n], & alij. Un-
n In Amos 2. de tam atroci odio Idumæum Moabitæ prosecuti sunt, (eâ etiam forte additâ causâ, quòd cùm utrique populi eiusdem legis ac religionis Ethnicæ sectatores essent, tamen Idumæus adhæsisset potiùs Israëlitis alterius fidei hominibus) ut in eius rei ultionem, ipsius Idumæi posteà defuncti, oblatâ sibi occasione, ossa è monumento evulserint, & in cineres redegerint. Quod quidem eorum scelus ideò se ulturum, Dominum minatum esse obser-
o Ruff. in Amos. vavit Ruffinus [o] in explicatione huius loci; tum ut Iudæorum arrogantiam comprimeret, qui solos se ad Dominum pertinere credebant; tum ut Gentibus vel spei solatium, vel intelligentiæ lumen obiiceret: ut sentiret se sub unâ creatoris sui providentiâ, & gubernatione consistere; qui videlicèt non solas Iudæorum, sed etiam aliarum gentium iniurias ultum iret.

IV. Denique illud idem supplicium posterioribus etiam

temporibus à Iudæis, postquàm omninò desierunt esse populus Dei, usurpatum fuisse in Gentes quæ Christum suscepissent; exemplo sit Dunaan Rex Homeritarum, (quæ regio Saba illa existimatur esse, ex quâ Regina [p] Saba progressa est audire sapientiam Salomonis) religione Iudæus; qui temporibus Iustini Senioris Imp. Christianos in ditione suâ constitutos dirâ persecutione conterens, cùm Nagran civitate dolo malo captâ, rogâsset ubinam esset eius Episcopus, (qui nomine Paulus, egregiâ claruerat sanctitatis famâ) intellexissetque eum iam duobus antè annis mortuum esse; *non habens in quem iram immitteret, contendit ad pulverem, & iussit sepulchrum effodere, & illius corpus comburentes in aërem ventilare*: ut scribit auctor illius temporis, quem posteà Metaphrastes [q] in tomum à se collectum Vitarum Sanctorum contulit.

DUNAAN REX HOMERITARUM.

[p] 3. Reg. 10.

[q] Etap. Sur. 24. Oct.

CAPVT II.

De CHRISTIANORUM *Legibus, & usu Extumulationis: ac primò in* INFIDELES.

I.

EAMDEM pœnam Christianis legibus, & moribus, deberi Hæreticis atque Schismaticis; necnon Excommunicatis, & aliis maiorum criminum reis, qui impœnitentes ex hâc vitâ decedunt; editæ eâ de re Constitutiones docent, & antiquior singulorum temporum praxis abundè testatur: ut videlicèt, sicut eos Ecclesia indignos sacrâ sepulturâ iudicavit, ita si fortè aut vi, aut casu, eam adepti fuerint, omninò Exhumari [a] velit, & in loca profana abiici. Quinimmò & infideles, hoc est qui numquam professi sunt fidem in Ecclesiâ, putà Gentiles & Iudæos, quamvis non habeat in eos Ecclesia auctoritatem directivam, sicut in hæreticos, & alios qui semel Christo nomen per baptismum dederunt: (*Quid enim mihi de iis qui foris sunt, iudicare?* inquit Paulus [b] Apostolus:) tamen si loca ipsorum in Christianorum dominium transierint, & ubi aliqui eorum sepulti fuerint, con-

[a] Cap. 1. de hæret. in 6. cap. sacris. ex. de sepult. cap. super quodam. de stat. monach. cap. adhæc. de privileg.

QUÆ AUCTORITAS ECCLESIÆ IN INFIDELES.

[b] 1. Cor. 5.

[c] C. ecclesiam. 27. & 28. de consecr. dist. 1.
[d] Iacob de Alber. in suo Compend.

secrandæ sint Ecclesiæ; evelli priùs inde eos iubet [c], locósque mundari. Sicuti & à Paschale II. Pontifice Romano factum traditur [d] de corpore Neronis Imp. quod eo loco repertum, ubi posteà in honorem Beatissimę Virginis erecta est insignis Ecclesia dicta de Populo; eiectum est in Tiberim, ac locus solemniter divino cultui consecratus. Et à Iulio [e] II. de cadavere Iuliæ filiæ Octaviani Aug. quòd integrum omninò (vi, ut creditum est, pretiosissimi olei eodem monumento reperti) eatenùs conservatum, æquè in flumen abiectum est.

[e] Titelman. paraphr. in Iob.

II.

[f] Tit. C. Th. & Iustin. de Sep. viol. Novel. Valentin. de Sepulchr.

Quò item pertinere videntur antiquæ Imperatorum, etiam Christianorum, constitutiones [f] contra sepulchrorum demolitores: ut scilicèt sancitæ fuerint eà occasione, quòd Christiani in suis ipsorum agris minimè paterentur monumenta maiorum diis Manibus consecrata: quos Imperatoribus, frequentibus Gentilium querelis pulsatis, cohibere visum sit; tum quòd sepulchra suâpte naturâ ingenti omnibus venerationi essent, ideóque titulus criminis invidiosus nimis appareret, ut qui fidelium argueretur sepulchrorum effossor: tum ne inde, qui adhuc in Gentilitate perseverabant, magis exacerbarentur quàm converterentur, & scandala ac perturbationes orirentur in Republicâ. Nisi & fortè nonnulli Christianorum eadem ipsa committerent in ea monumenta, quæ in ipsorummet Gentilium tunc viventium agris conspicerentur: quorum indiscretum zelum iisdem de causis Imperatores compescere voluerint: cùm certum sit, infideles, non obstante eorum infidelitate, esse veros dominos rerum suarum; nec posse eis per vim privari, aut in earum possessione inquietari, ab iis qui ipsorum superiores nullo titulo, neque politico, neque spiritali sint; neque ullo modo, vel in se, vel in proximis, ab eis sunt læsi. Quâ de re præclarè (ut solet) Augustinus [g]: *Pravorum hominum est, furiosorum, circumcellionum, ubi potestatem non habent sævire. Audistis quæ vobis legimus; Cùm [h] data vobis fuerit terra in potestatem,* (*Priùs ait in potestatem, & sic dixit quæ facienda sunt.*) *Aras eorum, inquit, destruetis, lucos eorum comminuetis, & omnes titulos eorum confringetis.*

QUOMODÒ AGENDUM CUM INFIDELIBUS.

[g] Ser. 6. de verb. Dom. ad fi.
[h] Deuter. 7. & 12.

Cùm

Cùm acceperitis potestatem, hoc facite. Ubi nobis non est data potestas, non facimus: ubi data est, non prætermittimus. Multi Pagani habent istas abominationes in fundis suis: numquid accedimus, & confringimus? Priùs enim agimus, ut idola in eorum cordibus confringamus. Quando & Christiani ipsi facti fuerint, aut invitant nos ad tam bonum opus, aut præveniunt nos. Modò orandum est pro illis, non irascendum illis, &c. Fratres, ecce quid displicet Paganis. Parùm est illis, quia de villis ipsorum non illa tollimus, non illa frangimus; & in nostris volunt ea servari. Contra idola prædicamus, de cordibus illa tollimus; sumus persecutores idolorum. Profitemur. Numquid servatores? Non facio, ubi non possum: non facio, ubi conqueritur dominus rei. Ubi autem vult fieri, & gratias agit; reus ero, si non fecero.

CAPUT III.

De praxi Exhumationis in HÆRETICOS.

I.

QUÒD verò (ut diximus) notior sit auctoritas Ecclesiæ in Hæreticos, Apostatas, Schismaticos, Excommunicatos, eósque omnes, qui characterem & professionem baptismi habent; ideò & frequentiores reperiuntur pœnarum ab eâdem in eos decretarum executiones: sicut in re nostrâ de Privatione sepulturæ vidimus, iámque de Exhumatione visuri sumus; ordine temporum magis quàm distinctione criminum, vel nationum, aut personarum. Tempore igitur ingentium illorum tumultuum, quos Donatistæ in Africâ excitaverunt, occasione legationis à Constante Imp. Magni Constantini filio missæ per Paulum & Macarium VV. CC. ad expungenda debitorum nomina, eâque beneficentiâ alliciendos ad unitatem Ecclesiæ eosdem divisos schismate Donatistas; cùm Circumcelliones, pessima eorum progenies, rabido furore adversus eosdem legatos arma sumpsissent, & omni iniuriarum genere obstarent ne pauperes dispungerentur: factâ inde eorumdem Donatistarum Episcopis invidiâ, legati Taurino Comiti scripserunt, ut eiusmodi

IN AFRICA.

seditiosos compesceret: à cuius militibus cùm occisi fuissent plurimi, detruncati multi; (inquit Optatus [i], hæc pluribus narrans) *atque ex eorum numero aliqui in basilicis sepeliri cœpissent*, (videlicèt tamquam Martyres) *Clarius presbyter in loco Subbulensi, ab Episcopo suo coactus est ut insepultam faceret sepulturam: unde proditum est, mandatum fuisse fieri quod factum est, quando nec sepultura in domo Dei exhiberi concessa est.* Ita Optatus. Nec miteris, si hoc Donatistarum facinus Catholicis inseram: cùm enim non id ipsi nisi ad elevandam Catholicorum invidiam præstiterint, nemo dubitet id præstitisse quod Catholicorum disciplinæ conveniret: nimirùm ut effoderentur eorum corpora, qui sacram sepulturam indebitè consecuti fuissent.

[i] Lib. 3. cont. Parm.

II. CONSTANTINOPOLI.

Sub Theodosio Iuniore (ut refert Socrates [k]) Atticus Episcopus Constantinopolitanus, qui post Chrysostomum, medio Arsacio, eam Ecclesiam præclarè rexit, cùm audisset Sabbatianos hæreticos, corpus Sabbatij ipsorum auctoris in insulâ Rhodo, ubi exul mortem oppetierat, sepulturâ cohonestâsse, & super eius tumulum preces offerre consuevisse; confestim misit eò, qui corpus Sabbatij è sepulchro eruerent, & incognito loco foderent. Post sævissimam tempestatem, ab Anastasio Imp. hæretico Manichæo & Eutychiano, ac Catholicorum acerrimo impugnatore, quâ ferè mersa fuerat Ecclesia Orientalis; cùm ipso divinitùs icto fulmine, fulgere cœpit serenitas sub Iustino Seniore Principe Catholico & Orthodoxo: inter acclamationes publicas, quas tunc feliciter à populo in maiori Ecclesiâ urbis Constantinopolitanæ, coram Imperatore & Episcopo fieri contigit, hæ sæpiùs repetitæ leguntur [l]: *Effodiantur ossa Manichæorum: Exhumentur ossa Nestorianorum: Exhumentur ossa Eutychianistarum:* quippe qui totum Orientem suis venenis infecerant: idque acclamatum esse nemo non videt ex receptâ consuetudine effodiendi ossa Hæreticorum. Quemadmodùm & paulò pòst sub Imperio Iustiniani Senioris prædicti Iustini nepotis, Vigilius Romanus Pontifex prolatâ damnationis sententiâ adversus Rusticum & Sebastianum Ecclesiæ suæ Diaconos, aliósque

[k] Lib. 7. c. 25.

[l] Act. Syn. Const. sub Men.

qui se in molestissimâ quæstione de Tribus Capitulis, ab eius unione, conflato schismate, separaverant; inter alia multa eidem Rustico obiicit, quòd is dixisset, *non solùm nomen, & scripta Theodori Mopsuesteni debere damnari, sed etiam territorium eius ipsum ubi positus erat:* (hoc est locum, in quo Theodorus sepultus iam ante centum annos fuerat:) *& si ossa eius evulsa quisquam de sepulturâ eiiceret, & cum eodem territorio incenderet, gratanter se accepturum.* Nempè Theodorus ille, Mopsuestenus olim Episcopus, (cuius causa unum erat ex dictis Tribus Capitulis) à schismaticis illis impetebatur, quòd cùm hæreticus fuisset, deberet memoria illius damnari, & (quæ pœna erat hæreticorum) eius ossa exhumari, & comburi. quam tamen ignominiam Vigilius negabat ei inuri debere, quòd constaret eum, licèt multis erroribus involutus extitisset, decessisse tamen in communione Catholicâ. Constantinus Copronymus, propudium illud hominis, Imperatórque stercoreus, & omni hæresum ac scelerum genere infamis, post mortem infaustam, nactus sepulturam quam non meruerat; tandem iusto Dei iudicio, iussúque Michaëlis Porphyrogeniti Imp. sacrarum Imaginum restitutoris, (quarum Copronymus hostis infensissimus fuerat) eiúsque matris Theodoræ Augustæ; septuaginta ferè post eius obitum annis effossus est, unà cum Ioanne Patriarchâ, nequissimo sub eodem Constantino Iconoclastâ; ambóque Ludis publicis simul protracti, atque combusti: ut ex Chronico Græco Georgij Hamartoli prodidit Matthæus Raderus in Notis ad Vitam [m] S. Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani: quod ex aliis æquè antiquis monumentis alij [n] quoque recentiores auctores observârunt.

COPRONYMUS IMP. EXHUMATUS.

[m] *Ext. to. 3. Concil. post VIII. syn. Oecum.*

[n] *Sabell. 8. En. 8. Cuspin. &c.*

III.

Ioanne [o] XIII. Romano Pontifice factione rebellium Romanorum ab Urbe pulso, Otto Magnus Imp. è Saxoniâ Romam properans; habitâ inquisitione de seditiosis, præter pulsos Consules ex Italiâ, & Tribunos necatos suspendio, Præfectum Urbis nudatum, & asino impositum, utréque redimitum ad ludibrium circumductum, virgis cædi iussit: *Cadaver verò Rotfredi olim Præfecti*, qui

[o] *Vid. Baron. to. X. an. 966.*

ROMÆ.

præcipuus fuerat minister expulsionis Pontificis, pauló-que pòst decesserat, *è sepulchro extractum in diversa loca dissipavit.* Sub Henrico Tertio (dicto Quarto) alius quidam Otto Comes (ut scribit Bertholdus [p] Constantiensis Chronographus) cùm pro adulterio, à Constantiensi Episcopo Apostolicæ Sedis per Germaniam Legato excommunicatus fuisset, ac Dei iudicio turpissimè decollatus à militibus cuiusdam alterius Comitis, cuius uxorem publicis nuptiis eo vivente sibi nefandissimè copulaverat, sepultúsque à suis apud Monasterium in prędio ipsius constructum: *iussu Episcopi eiectus est, & ad sepulturam asini deputatus.* Ipse verò idem Henricus Imp. schismaticus, à proprio filio exutus Imperio, ob inaudita probra & scelera, quibus Ecclesiam fatigavit, & Imperium conspurcavit; cùm Leodij obiisset in excommunicatione, quâ sæpè fuerat à Sede Apostolicâ percussus; atque à Leodiensi, aliísque eius factionis Episcopis, fuisset honorificè in quodam monasterio sepultus: Paschalis II. tunc Ecclesiam Catholicam regens, noluit prædictos Episcopos ad unionem Ecclesiæ recipere, nisi priùs Henrici *cadaver effoderent:* ut ex eiusdem temporis auctore scribit Conradus [q] Abbas Urspergensis; & ex eo Albertus [r] Crantzius, & alij. Quorum etiam testificatione constat, paulò ante obitum Henrici, dum rerum administratio ad filium deducta fuisset, per Germaniam *in tantum divinæ legis subitò zelum efferbuisse, ut etiam ipsa cadavera Pseudoepiscoporum* (qui fuerant à Guiberto Henrici Antipapâ ordinati) *ab Ecclesiis eliminarentur:* cùm iam anteà in Italiâ Paschalis Pontifex *ossa schismatici Papæ Vvigberti* (sive Guiberti, à suis Clementis Tertij dicti) *de sepulcro suo, quod per quinque iam annos in Ecclesiâ Ravennensi possederat, proiici fecisset.*

[p] In Chron. an. 1079.
In Germania.
Henrici III. Imp. corpus effossum.
[q] In Chron. an. 1106.
[r] Crantz. 5. Saxon. 24.

IV. Eodémque fermè tempore in Galliâ Belgicâ [s] Albaldus Episcopus Traiectensis, cùm quidam sacrilegus & blasphemus ex equo corruens collum sibi fregisset, & à suis in Cœmeterio sepultus fuisset; indignum ratus ut infidelis particeps esset fidelium defunctorum, statim extumulari præcepit, & funę longè trahi. Nec diù pòst

In Gallia.
[s] Chron. Camer. & Atreb. lib. 3. cap. 22.

Ivo, Carnotensis Ecclesiæ pastor vigilantissimus, & eximius observator disciplinę Ecclesiasticę, cuius erat scientissimus; cùm audisset, quemdam monachum Vindocinensis monasterij, quod situm est in parœciâ Carnotensi, post quartam fugam, & reversionem, sepulturam cum fratribus per misericordiam obtinuisse; scribens [f] eâ de re ad Gaufridum Abbatem, laudavit quidem misericordiam eius cadaveri, nonobstantibus frequentibus fugis, exhibitam: sed tamen, quia ille sacrilegium quod commiserat abscõderat, nec condignâ satisfactione rem sublatam monasterio restituerat; *monendo consulimus* (inquit) *& consulendo monemus, ut sepulturam, quam cum fratribus misericorditer acceperat, amittat; quatenùs ceteri timorem habeant, & à simili sacrilegio manus contineant: quia non potest sequi plena remissio, ubi non fuit vera conversio.* Paulóque pòst in diro illo schismate, quo Petrus Leonis cathedram pestilentiæ erexit adversus legitimum Ecclesiæ Pontificem Innocentium Secundum, cùm Gerardus Episcopus Engolismensis acceptâ à Petro legatione Aquitaniæ, multa mala Catholicis intulisset; ac demùm pace operâ S. Bernardi omni Aquitanicæ Ecclesiæ, per pavendam illam, cunctísque sæculis ac gentibus memorandam conversionem Guillelmi Comitis redditâ, solus Gerardus perseveraret in malis, (ut scribit Bernardus Abbas Bonævallis in Vitâ [ff] prædicti Bernardi Clarævallensis) idem *non multò pòst adveniente die iræ, in domo suâ miserabiliter extinctus est. Et cùm dicat Scriptura; Est peccatum ad mortem, pro eo non dico ut roget quis; impænitens, & subitò mortuus sine confessione & viatico, de corpore egredientem spiritum ei reddidit, cuius minister usque in finem extiterat: Corpus eius à nepotibus suis inventum in loculo suo exanime, & enormiter tumidum, in basilicâ quâdam humatum est; sed posteà à Gaufrido Carnotensi Episcopo Sedis Apostolicæ Legato,* (prædicti Ivonis successore, cui à Papâ Innocentio Aquitaniæ legatio fuerat commendata) *inde extractum est, alióque proiectum.* Mirificus item Hugo [t], ex Priore Carthusiano factus Episcopus Lincolniensis in Angliâ, cùm visitans domos religiosas suæ diœcesis, venisset ad Abbatiam Sanctimo-

[f] *Ivo ep. 57.*

[ff] *Lib. 2. cap. 6.*

[t] *Roger. par. poster. an. 1191.*

IN ANGLIA.

nialium de Godestove, & vidisset in ecclesiâ tumbam sericis pannis velatam, ac cereis circumdatam; quærénsque cuius esset, audisset esse Rosamundæ, quæ quondam extiterat amica Regis Henrici Secundi, qui illius amore multa bona illi Ecclesiæ contulerat: mox Episcopus; *Tollite* (inquit) *eam hinc, quia scortum fuit; & sepelite eam extra ecclesiam, ne Christiana religio vilescat; & ut exemplo illius, ceteræ mulieres exterritæ caveant sibi ab illicitis & adulterinis concubitibus. Et factum est ita.*

V.

Alijs ubique locis.

Pòst inde Cælestino Tertio Pontifice, Petrus [u] Ioannis errorum Abbatis Ioachimi disseminator, & novorum inventor, facto Romæ post eius mortem diligenti examine eius scriptorum, iisque unà cum auctore damnatis; idem *è loco sacro exhumatus est, & ossa rogo imposita & exusta fuêre*. Paulóque pòst Innocentio Tertio universalem Ecclesiam regente, & Philippo Augusto Rege Galliis dominante; cùm Amalricus quidam Carnotensis multas hæreses excogitâsset, quarum aliquas hodierni Novatores ambabus ulnis amplexi sunt; licèt eas postquàm ab Ecclesiâ damnatæ fuêre, abiurare visus esset, ac propterea post mortem in pace Ecclesiæ sepultus: nihilominùs tamen quòd turpi ac venenosâ ipsius doctrinâ sese latiùs spargente, ex eius discipulis planè constitit, eum hæreses, quas ore damnaverat, corde retinuisse: ex decreto Concilij eâ de causâ Parisiis celebrati, *idem condemnatus est, & excommunicatus, ac de sacro cœmeterio eiectus; eiúsque cinis, & ossa, per sterquilinia sunt dispersa, ac eiecta*: ut refert Vincentius [x] Belvacensis. Robertus verò Gaguinus [y] ait, *Almarici cadaver, quod ponè D. Martini Parisiensis ecclesiam sepultum fuerat, exhumatum, & crematum esse.* Quippe hæreticos etiam post mortem excommunicari, ac damnari posse, doctrina est Ecclesiæ [z], ac sanctorum Patrum. Quam & Imperatores suis Constitutionibus confirmârunt: dum inter ceteros, Arcadius & Honorius decernunt [a]: *In mortem quoque* hæretici, (hoc est, post mortem) *inquisitionem extendi. Nam si in criminibus maiestatis licet memoriam accusare defuncti; non immeritò & hic* (nempè hæreticus) *debet subire iudicium.*

[u] *Prateol. de hæres. lib. 14. cap. 20.*

[x] *Spec. Hist. lib. 29. ca. 107.*

[y] *Hist. Franc. lib. 6.*

[z] *Vid. 24. q. 2. c. sanè.*

[a] *L. 4. §. 4. C. de hæret. quæ est l. 40. C. Theo.*

Quâ ratione & Vvillelmus [b] Cornelij, qui docuerat omne peccatum paupertate deleri, cùm Antuerpiæ in ecclesiâ cum honore sepultus fuisset; post quatuor annos cognitâ & probatâ eius malitiâ, per Nicolaum Cameracensem Episcopum eiectus est, ac combustus. Et Guido [c] de Lachâ Brixiensis Italus, habitus in vitâ sanctitate veluti alter Ioannes Baptista, detectus post mortem fuisse hæreticus; extumulatus est, eiúsque ossa combusta: frustrà obnitentibus dæmonibus, qui ossa in aëre suspensa tenentes, ut populo persuaderent eum sanctum fuisse, ad elevationem sacratissimæ Hostiæ in Missâ per Episcopum Brixiensem celebratâ, coacti fuêre illa deserere: quæ combusta fuerunt. Itémque Hermannus auctor libidinosæ sectæ Fraticellorum, apud Ferrarienses iam viginti annis pro sancto cultus, (ut scribit Platina) iussu Bonifacij Papæ Octavi, habitâ de eius hæresi quàm diligentissimâ inquisitione, exhumatus est, ac combustus. Eodémque tempore Mediolani [d] Guillelma quædam nomine mulier, quæ religiosâ simulatâ vitâ fuerat post mortem pro sanctâ sepulta; cùm auctrix detecta fuisset nefandissimorum concubituum antelucanorum, quibus magna pars civitatis vitiata erat, exhumata est, ignéque combusta. Et in damnatione Ordinis Templariorum sub Clemente PP. V. ossa [e] unius ex illis dudùm defuncti Ioannis de Thuro nomine, quondam Thesaurarij Templi Parisiis, exhumata sunt, ac tamquam hæretici detecti cōbusta. Quemadmodùm & decernente universâ Synodo [f] Oecumenicâ Constantiensi, corpus & ossa Ioannis Vviclefi hæresiarchæ iubentur *exhumari, & procul ab Ecclesiæ Sepulturâ iactari, secundùm canonicas & legitimas sanctiones*. Denique Callisto Tertio Romano Pontifice, cùm vox sanguinis celeberrimæ Ioannæ Puellæ [ff] Aurelianensis iniustè (ut aliàs vidimus) effusi, clamaret ad Deum de terrâ & aquis; delegati à Pontifice Iudices, qui de eius causâ cognoscerent, accuratissimâ eius cognitione habitâ, tum eam innocentissimam declarârunt, & per calumniam occisam; tum duos ex illius Iudicibus adhuc superstites eodem mortis supplicio affecerunt, quo

VI.

[b] *Ap. Thom. Cantiprat. lib. 2 Apum. cap. 47.*

[c] *Luxemburg. & Pratcol. in Catal. hæret.*

[d] *Fulgos. lib. 8. cap. 1.*

[e] *Contin. Nang.*

[f] *Sess. 8.*

[ff] *Phil. Bergam. de clar. mul. cap. 147. Mart. del Rio Disq. Mag. lib. 4. q. 5. sect. 4. & 2. ij.*

ipsi eam damnârant; ac duorum aliorum iam *defunctorum ossa, à sepulchris effossa, igni similiter concremârunt.*

VII. Possemus & Principum addere exempla, qui inimicos suos extumulârunt: Ut Hardecnuti [g] Anglorum Regis; qui ubi regnum adeptus est, memor iniuriarum ab Haraldo decessore acceptarum, *corpus* eius *effodi, & in flumen abiici* iussit: Ut Henrici Quinti Imp. (Sexti dicti) qui Siciliam occupans iure coniugis suæ Constantiæ, Tancredi [h] olim Regis, eiúsque filij Rogerij itidem Regis *fecit effodi è terrâ corpora*, regiísque nudari coronis, quas illegitimè usurpâsse asserebat: Ut Christierni [i] Regis Daniæ eius nominis Secundi; qui Suetiâ per fraudem, ac sacrilegium, in suam potestatem redactâ, diversorum ordinum Principes & magnates impio ferro sustulit, cadavera insepulta abiecit, ac Stenonis Sueonum ac Gothorum Principis *corpus effodit, excisáque membra ignibus semiusta in terrorem provincialium hinc inde transmisit:* Ut Henrici [k] VII. cuius iussu cùm bellum fieret contra Comitem VVirtembergensem, ab eius exercitu mortuorum Comitum sepulchra aperta sunt, eorúmque ossa dispersa: & aliorum eiusmodi quamplurimorum. Sed quoniam eorum pleraque iræ magis impotentiâ, quàm rectâ iudicij ratione perpetrata noscantur, libentiùs abstinemus. Sicuti & à recentioribus, minorísque momenti Ecclesiasticis exemplis: quòd cùm frequentiora sint, ac pluribus nota, nos nonnisi vetera perquirere profiteamur.

EXEMPLA EXTRA RELIGIONEM.

g *Malmesbur. lib. 2. cap. 12. Roger. par. prior.*
h *Id. Roger. par. poster. an. 1194.*
i *Olaus lib. 16. cap. 45.*
k *Trithem. Chron. Hirsaug. an. 1328.*

CAPVT IV.

De Exhumatione DIVINITÙS *confirmatâ.*

I. SED quid de causâ nostrâ dubitamus? Cùm enim etiam divinitùs eamdem longè frequentissimè confirmatam reperiamus; quis non existimet, Deum non solùm se hoc pacto eiuscemodi praxis Ecclesiæ approbatorem, verùm etiam auctorem, ac suasorem declarare voluisse? Repetenda forent exempla Iuliani Apostatæ, & Militis sacrilegi, aliáque nonnulla superiori libro relata ad insinuandam

dam sepulturæ privationem divinitùs factam, quæ magis ad exhumationem pertinere videri possint. Sed quoniam tanta est inter eiusinodi Privationem & Exhumationem connexio & convenientia, ut aptè utrique inservire possint; teneant sanè locum, quem semel occupârunt: cùm non desint plurima alia, omni fide testatissima, quæ speciali huic quæstioni abundè satisfaciant. Gregorius præclaris gestis Magnus, & præfecturâ Ecclesiæ Maximus, in libris Dialogorum, quos de viris sanctis Italiæ, & de æternitate animarum scripsit; imprimis de Curiali[l] quodam Valeriæ provinciæ refert: cùm is virginem quamdam, sacratissimo Paschali Sabbato à se in baptismate susceptam, nocte sequenti multo vino inebriatus perdidisset; eóque sacrilegio scelere occulto permanente, die pòst septimo subitâ morte defunctus fuisset, ac sepulturæ traditus; per longum tempus, cunctis videntibus, de sepulchro illius flammam exiisse, & tamdiù ossa eius concremâsse, quousque omne sepulchrum consumeret, & terra, quæ in tumulum collecta fuerat, defossa videretur. *Quod videlicèt omnipotens Deus faciens*, (inquit Gregorius) *ostendit quid eius anima in occulto pertulit, cuius etiam corpus ante humanos oculos flamma consumpsit.* Qui & rursùm, ut probaret, quibus peccata dimissa non fuerint, ad evitandum iudicium sacris locis post mortem non adiuvari, narrat de Valeriano[m] patricio Brixiano; cùm usque ad ætatem decrepitam levis ac lubricus extitisset, ac post obitum sepultus fuisset in ecclesiâ; eâdem nocte quâ sepultus est, B. Faustinum martyrem, in cuius ecclesiâ corpus illius fuerat humatum, custodi suo apparuisse dicentem: *Vade, & dic Episcopo, ut proiiciat hinc fœtentes carnes quas hic posuit: quòd si non fecerit, die trigesimo ipse morietur.* Quod & accidit. Itémque de Valentino[n] quodam Ecclesiæ Mediolanensis Defensore, viro valdè lubrico, & cunctis levitatibus occupato; cùm defunctus Genuæ in ecclesiâ B. martyris Syri sepultus fuisset; nocte mediâ in eâdem ecclesiâ factas esse voces, ac siquis violenter ex eâ expelleretur, atque traheretur foras: & accurrentes custodes vidisse duos teterrimos spiritus, qui Valentini pedes

EXEMPLA DIVINA IN ITALIA.

[l] Greg. 2. Dial. 24.

[m] 4. Dial. 50. & 52.

[n] Ibid. cap. 53.

quadam ligaturâ strinxerant, & cum ab ecclesiâ clamantem, ac nimiùm vociferantem, foras trahebant: mane autem facto, aperientes sepulchrum in quo Valentinus positus fuerat, eius corpus non invenisse. Deniq; & Romæ accidisse [o], ut cùm quidam tinctoriæ artis primus defunctus, in ecclesiâ S. Ianuarij martyris sepultus fuisset, sequenti nocte ex eâdem sepulturâ eius spiritus cœperit clamare, *Ardeo, ardeo*; aperto verò sepulchro, vestimenta quidem intacta reperta fuerint, corpus autem illius omninò non inventum.

[o] Ibid. cap. 54.

II. IN GALLIA.

Nec ista solùm in Italiâ. Nam & de Galliâ scribit Gregorius [p] Antistes Turonensis, apud urbem Tolosatium quemdam nomine Antoninum hominem sceleratissimum, post mortem sepultum fuisse in ecclesiâ S. Vincentij, in quâ sibi vivens locum construxerat: verùm sub altâ nocte sarcophagum à sanctâ ecclesiâ per fenestram proiectum esse, & in medio atrij depositum: mane facto propinquos eius non intelligentes virtutem Dei, neque sentientes Sancti iniuriam, in cuius templo indignum temerè sepelierant, iterùm deposito sarcophago in loco ubi priùs fuerat, altiùs suffodisse: sed altero illucescente die invenisse eum iterùm eiectum in medio atrij, & sic intellexisse magnalia Dei. Posset quis & Carolum Martellum subiicere: quem nonnulli scripserunt ob res Ecclesiæ usurpatas, & alienatas, non solùm animâ æternæ damnationi post mortem adiudicatum, verùm etiam corpore è sepulcro ad inferos sublatum. Sed post validam eius assertiunculæ exufflationem à Magno Baronio [q] factam, quis ei locum ampliùs inveniat? Nihil tamen detractum ambientes rei, quocumque modo se habuerit, veritati; cùm non negemus, Carolum eius criminis reum extitisse; & nisi pœnituerit, obnoxium ei pœnæ sese præstitisse: certius est, quod in Concilio [r] Lemovicensi (de quo aliâ occasione iam suprà) pro pace Ecclesiæ conservandâ celebrato, retulit Episcopus Caturcensis de quodam pacis perturbatore excommunicato; cùm post necem à militibus apud quamdam ecclesiam sepultus fuisset, mane facto corpus eius longè extra cœmeterium pro-

[p] 1. de glor. mart. 89.

[q] Tom. 9. an. 741.

[r] Ap. Baron. tom. XI. an. 1034.

iectum, & nudum super faciem terræ inventum esse: cúmque rursùs illud sepelîssent, die altero proiectum pariter invenisse: quinquies sepelisse, toties eiectum contuitos esse: donec longè à cœmeterio Ecclésiæ terrâ obruerunt. Sicuti & quod in Chronico Cameracensi antiquitùs à Balderico Episcopo Noviomensi scripto, narratur de quodam Adone famoso latrone, qui multa damna intulerat monasterio S. Gisleni; cùm post mortem in sacro Cœmeterio tumulatus fuisset, post triennium cùm alteri humando ipsius tumulus foderetur, de toto corpore nullum vestigium, præter unum subtolarium, repertum esse.

III. In Anglia.

De Angliâ habent Vincentius [s] Belvacensis, & Antoninus [t]; quòd cùm aliquando in ecclesiâ, ubi quiescebat sacrum corpus S. Dunstani olim Archiepiscopi Cantuariensis, quidam paganus pravâ quorumdam adulatione sepultus fuisset; apparens cuidam in somnis Dunstanus, iusserit corpus inde auferri: ac negligentibus custodibus mandatum exequi, visus à quibusdam monachis à loco discedere, causam rogatus responderit, *se fœtorem paganæ carnis, & quorumdam illic viventium iniquitatem ferre non posse*. In eâdémque Angliâ, (referente eodem Vincentio [u]) maga quædam femina, in ecclesiâ cuiusdam monasterij post mortem sepulta, effracto in conspectu omnium sarcophago, à dæmonibus foras evulsa est, & ab oculis intuentium nigro equo educta. De Peloponneso, Auctor [x] rerum gestarum S. Niconis Abbatis, cui à iugi pœnitentiæ prædicatione cognomen inditum est Μετανοεῖτε, hòc est, Pœnitentiam agite, scribit; post obitum eius, scelestum quemdam ducem nomine Antiochum, ausum invadere prædium quoddam ipsius monasterij, & in eo libidinibus ac flagitiis volutari; per noctem à Nicone, crucigero baculo latus letali plagâ percussum esse, eóque vulnere paulò pòst turpiter exanimatum, ac Lacedæmone sepultum; sequenti verò nocte igni, incertum unde, in loculum irrumpente, utrumque simul consumptum esse, ac in cineres redactum.

In Peloponneso.

IV.

E Germaniâ Cæsarius [y] Heisterbachcensis famosam

[s] Spec. Hist. lib. 24. cap. 95.
[t] Tit. 16. cap. 7. §. 6.
[u] Lib. 25. cap. 16.
[x] Ap. Baron. to. X. an. 969.
[y] Lib. 11. Miracul. cap. 4.

IN GERMANIA. quamdam usurariam profert; quæ cùm efflâsset miseram animam, dæmones eâdem nocte corpus de feretro multis videntibus tollentes usque ad tectum levaverunt; & cùm trabi impingerent, iuxta limen ostij illud cadere sinentes, confregerunt: quod qui aderant homines bestiali sepulturæ tradiderunt. Paritérque è Belgio Thomas [z] Cantipratensis Suffraganeus Cameracensis, proditorem quemdam habet: cui cùm dominum suum inimico eius spontè tradidisset occidendum, rursúsque hunc occisorem amicis occisi dolo tradendum offerret; comprehensus ab illis, oblatus est Iudici, & suspensus turpi morte necatus: amicorum autem precibus patibulo deponi permissus, terræ mandatus est. Nec mora, (inquit) sequenti die cùm de nocte sepultus fuisset, ignoti canes sepultum multis videntibus extraxerunt, & membratim inter se miserabiliter discerpserunt. Itémque Sodomiticam [a] quamdam feminam, post mortem sepultam esse: sed nocte sequenti scropham nigerrimam cum porcellis septem coloris eiusdem visam esse intrare locum ubi sepulta erat, eamdémque effodere, & membratim corpus miserabiliter laniare, & viscera eius longo tractu per ambitum dissipare. Tibicine [b] quoque, qui in dedicatione cuiusdam Ecclesiæ iuvenes & puellas gesticulationibus suis ad carmina turpia & obscœna concitaverat, fulmine occiso; cùm ab amicis, reluctante presbytero, in atrio Ecclesiæ sepultus fuisset; divino iudicio manè sepulchrum patens inventum esse, & loculum in quo iacuerat vacuum & eiectum; cadavere, ut creditum est, à dæmonibus asportato. Quo etiam modo in Chronico [c] Carthusianorum legimus; cùm fratre quodam Converso (ut vocant) defuncto, Prior Conventùs res eius cellæ discutiens pecunias reperisset, quas ipse sibi ex rerum conventùs administratione congesserat; convocato conventu statuisset de loco sacro sacrilegum corpus extrahi; aperto sepulchro, cunctis cernentibus corpus ipsum suâ sponte altiùs se extulisse, tamquam indignum in loco sacro quiescere; & asini sepulturâ in loco profano donatum fuisse. Alióque [d] similiter Converso in eodem

ET BELGIO.

[z] 1. Ap. 24. par. 4.

[a] Lib. 2. ca. 30. par. 5.

[b] Lib. 2. ca. 57. par. 4.

[c] Lib. 7. ca. 41.

[d] Lib. 7. cap. 50.

peccato proprietatis mortuo, subitò visum esse in lectulo eius canem magnum nigrum adstare: eâque de re vehementer territos Fratres, cadaver vesperi occultè extra cœmeterium sepelisse: mane verò facto quæsitum esse, ac nihil penitùs de cadavere repertum. Recentiùs in regno [c] Congi sive Manicongi Africano, post eius detectionem per Lusitanos, cùm Franciscus Bullamatara Regis Alvari Christiani consanguineus, sed Christianæ religionis hostis, suaderet desertionem à Christianismo, sublatus inter hæc è vivis; Regis iussu, quamvis manifestæ impietatis notatus, in templo S. Crucis honorificè sepultus esset: nocte intempestâ mali spiritus, magno fragore tecto templi confracto, exangue cadaver è tumulo extractum avexerunt, ingenti omnium terrore.

IN CONGO.

[c] Descript. regn. Cong. lib. 2. cap. 4.

V.

Ac demùm ut finem huiusmodi exemplis imponam, qui longè adhuc protrahi posset, unicum addo testimonium scripti quidem haud adeò authentici, (ac proinde præter ordinem temporis in ultimum reiecti) sed quod tamen, cuiuscumque auctoris fuerit, in præsenti quæstione, tot aliis omni exceptione maioribus auctoritatibus confirmatissimâ, nihil habeat arduum aut difficile creditu. Est Vita S. Hieronymi adscripta cuidam Cyrillo, quæ inter opera SS. Augustini & Hieronymi vulgò circumfertur. In quâ auctor agens de Sacerdote quodam impudico & dissoluto, in ceterorum atrio Sacerdotum post mortē sepulto; ait, subsequentibus noctibus auditos in ecclesiâ, & cœmeterio, strepitus ingentes: donec apparens S. Hieronymus obstupenti populo intimavit, hoc propter sacerdotis illius miserrimi cadaver, sacris indignè locis conditum, ad terrorem peccantium contigisse; mandavitque, ut cadaver, tartareis post resurrectionem omnium mansionibus deputandum, dissepultum flammis traderent protinùs concremandum. Ac sanè cùm Henricus Rex Germaniæ posteà Imperator eius nominis Quartus, instaret apud Paschalem Secundum Romanum Pontificem, ut patris sui Henrici Tertij corpus (quod suprà vidimus ob excommunicationem, in quâ

EX VITA S. HIERONYMI.

decessit elfossum, & insepultum derelictum) in ecclesiâ sepeliri permitteret; scribit Petrus [f] Diaconus Cassinensis Pontificem respondisse; *sanctarum Scripturarum his obsistere auctoritatem, divinorumque miraculorum reverentiam prohibere. Ipsos enim Dei Martyres iam in cælestibus positos ad terribiliter iussisse, ut sceleratorum cadavera de suis basilicis eiicerentur: ut quibus viventibus non communicamus, nec mortuis communicare possimus.* Hàcque Divinâ, & Apostolicâ sententiâ firmetur, claudatúrque susceptæ probationis periodus.

[f] Chron. Cassin. lib. 4. c. 36. rec. edit.

LIBER III. PARS III.

HÆRETICORUM, SCHISMATICORUM, MAHOMETANORUM, & BRUTORUM, *Exempla Exhumationis.*

CAPUT I.

De HÆRETICIS, & SCHISMATICIS.

I. QUOD ad Simias attinet; *Hæreticos*, inquam, & *Schismaticos*: quàm & ipsi fortes sese, atque generosos constitutionum Ecclesiasticarum, contra earumdem ipsarum legitimos dispensatores, atque vindices, exhibuerint executores; apprimè docet experientia, sive præteritorum temporum, sive nostri sæculi. Sed de nostro posteà opportuniùs. De præteritis imprimis Hieronymus [a], Gothorum, Vvandalorum, Hunnorum, aliarúmque Gentium barbararum, quarum pars Gentilismum, Arianismum aliæ sectabantur, clades summatim referens, quas Roma-

IN ORIENTE.

[a] Ep. 3. ad Heliodor.

no Imperio à viginti tum annis inferebant; quod cultum religionis, & sacra tangebat, *Capti* (inquit) *Episcopi, interfecti Presbyteri, & diversorum officia Clericorum: subversa Ecclesiæ: ad altaria Christi stabulati equi; Martyrum effossa Reliquiæ: ubique luctus, ubique gemitus, & plurima mortis imago* Victor [b] Uticensis de Vvandalorum Arianorum in Africam ingressu: *Ab eorum contagione*, quâ totam provinciam devastando depopulati sunt, incendio atque homicidiis cuncta exterminantes, *nullus remansit locus immunis; præsertim in ecclesiis, basilicisque, & Cæmeteriis, & monasteriis sceleratiùs sæviebant*, &c. Anastasius Bibliothecarius in Silverio Papâ, de Gothis Arianis Romam propugnante Belisario obsidentibus: *Ecclesiæ, & corpora sanctorum Martyrum, exterminatæ sunt à Gothis*: quæ videlicèt erant extra Urbem. De quibus rursùm, aliisque posteà à Longobardis fidifragis, cùm Romam sibi subigere tentârunt, devastatis, Paulus eius nominis Pontificum Primus, in suo Constituto [c] de erectione ecclesiæ ac monasterij SS. Stephani & Silvestri: *Cùm per evoluta annorum spatia, diversa Sanctorum Christi Martyrum, atque Confessorum eius, foras muros huius Romanæ Urbis sita antiquitùs Cæmeteria neglecta, satis manerent diruta: contigit postmodùm ab impiâ Longobardarum gentium impugnatione funditus esse demolita. qui etiam & aliquanta ipsorum effodientes Martyrum sepulchra, & impiè devastantes, secum deportaverunt*, &c. Antè verò quàm ista Romæ gererentur, Alexandriæ Petrus cognomento Mogus, Eutychianæ hæresis fautor acerrimus, & Sedis B. Marci Evangelistæ invasor scelestissimus, *Timothei* cognomento Solofacioli Orthodoxi eiusdem civitatis Episcopi *sepulturam violavit*: ut exprobrat Felix [d] Papa Tertius Acacio Constantinopolitano eiusdem Petri fautori: hoc est, ut expressiùs scribunt Theodorus [e] Lector ex Theodoreto, & Victor [f] Tununensis in Africâ Episcopus, *Reliquias Timothei de ecclesiâ ubi erant eiecit, atque in locum desertum proiecit.*

[b] *Lib. 1.*

IN AFRICA.

[c] *Tom. 3. Conc. l.*

ROMÆ.

ALEXANDRIÆ.

[d] *Ep. ad Acacio. 2. Concil.*

[e] *Collectan lib. 2.*

[f] *In Chron.*

II.

CONSTANTINOPOLI.

Constantinus Copronymus, (cuius fœdo nomine conspurcandæ sæpè veniunt hæ chartæ; nec tamen eius detestandis, ut par foret, sceleribus, cuiusquam Oratoris

lingua, aut Scriptoris calamus umquam suffecerit) & Reliquias Sanctorum, quas impius execrabatur, & ceterorum quoque Catholicorum cadavera effodere in deliciis habuit. Nam & S. Euphemiæ [ff] corpus, invidiâ curationum quę ex sacro unguento inde iugiter scaturiente continuò fiebant, ipsiúsque arguebant adversus intercessiones Sanctorum deliramenta, in mare proiecisse, & aliorum venerandas [g] ac sacras Martyrum reliquias, partim igni, partim mari, partim denique præcipitiis tradidisse reperitur; & Bactangium [h], sive Bagranum patricium, quòd opem tulisset Artabasdo Orthodoxo Principi ad ipsum Constantinum ab Imperio removendum, capite truncatum, etiam post multos annos ipsammet eius coniugem coëgisse, proprij viri ossa è sepulchro ubi posita fuerant eruere, & in locum ubi damnatorum cadavera proiiciebantur deferre. Photius, doctissimus ille quidem, sed in paucis vafer ac scelestus, auctórque præcipuus Schismatis Græcanici, quod demùm Ecclesiam & Imperium Orientale ad præsentem vastitiem redegit; cùm post mortem Ignatij, sanctissimi Constantinopolitani Patriarchæ, sedem illam iterùm invasisset, à quâ iam anteà semel invasâ fuerat turpissimè eiectus; eiusdem Ignatij [i] corpus ingentibus miraculis clarum, sepulchrum violans, effodere tentavit; ut quem in vitâ sævissimè vexaverat, ne quidem post mortem quiescere sineret.

[ff] *Theophan. in Miscel l. 22. Metaphr. 11. Iul.*

[g] *Vit. S. Steph. Auxent. ap. Damascen.*

[h] *Theophan. d. lib. 22. Zonar. Annal. lib. 3.*

PHOTIUS, AUCTOR SCHISMATIS GRÆCANICI.

[i] *Vit. S. Ignat. to. 3. Concil. post. VIII. Syn. Oecum.*

III.

FORMOSI PP. CORPUS EFFOSSUM.

Formoso laudatissimo Romano Pontifice, sed calumniis & malevolentiis obnoxio, defuncto; Sergius Antipapa, (ut vult Luitprandus [k]) seu potiùs, ut habent Acta [l] Synodalia, Stephanus & ipse Sedis Apostolicæ invasor (eam namque tunc patiebatur, ceterarum omnium perniciosissimam, Ecclesia Romana persecutionem, ut seipsam domesticis odiis, ac dissensionibus, factione Principum vicinorum dilaceraret) eiusdem Formosi venerandum corpus è sepulchro erutum, in sedem Pontificiam sacerdotalibus vestibus indutum, tamquam viventem hominem in iudicium adductum collocavit: condemnatúmque, & in pœnam vestibus exutum, tribúsque digitis,

[k] *Lib. 1. cap. 8.*

[l] *Ap. Baron. to. X. an. 897.*

digitis, quibus benedicere moris erat, truncatum, in Tiberim iactavit. Rogerius [m] Siciliæ tyrannus, Reginaldi Ducis Apuliæ, & Brunonis Archiepiſcopi Barenſis, quos habuerat inimicos, quòd adverſus ipſum faviſſent Innocentio Secundo Romano Pontifici, cadavera effoſſa per plateas trahi iuſſit. In horrendâ graſſatione Græcorum Schiſmaticorum, ſub eorum Imperatore Andronico Comneno, in Latinos commorantes Conſtantinopoli communionis Catholicæ; quam deſcripſit ex Latinis Vvilelmus Tyrius [n], inumbravítque è Græcis Nicetas Choniata; *Nec mortuis* (inquit Tyrius) *quibus omnis parcere conſuevit impietas, tuta erat quies: quos de monumentis extractos, per vicos & plateas, quaſi illatas ſentirent iniurias, diſtrahebant.* In bello ſacro [o] contra Albigenſes, occiſus nobilis quidam Catholicus, & Catholicè ſepultus; ab hæreticis poſteà *extractus de tumulo, & per plateas diſtractus, beſtiis & avibus expoſitus eſt.* Boëmi Huſſitæ [p], ſeditioſiſſimi hæretici, duce eorum cæco Ziſchâ, ſepulchra Regum ſuorum effregerunt, cadaveráque abiecerunt.

[m] *Otto Friſing. Chron. lib. 7. cap. 23.*

ALIA EXEMPLA.

[n] *Lib. 22. c. 12. & 13. Nicet. in Andron. lib. 2. in fi.*

[o] *Hiſt. Albig. cap. 63.*

[p] *Æn. Silv. hiſt. Boem. cap. 37.*

IV. RECENTIORA.

Temporáque recentiora ſi perquiras, comperies in Urbis Romæ direptione, factâ anno 1527. ab exercitu Caroli Auſtrij Hiſpaniæ Regis Catholici, & Imperatoris eius nominis V. (quis crederet, niſi oculati [q] teſtes id omni aſſertione teſtarentur?) cùm alia ſepulchra pleraq. effoſſa fuiſſe, tum Iulij Secundi Pontificis Maximi, eiúſq; cadaver refoſſum. Comperies & eiuſdem affinem Chriſtianum [r] cognomine Crudelem, Daniæ Regem, qui Iſabellam præſtantiſſimam feminam ſororem Caroli uxorem habuit; cùm etiam invaſo regno Suetico, ad coronam eius accipiendam omnes Epiſcopos, Senatores, proceres, primarios cives, datâ fide acciviſſet; paucis pòſt diebus inauditâ crudelitate omnes vel gladio feriit, vel laqueo ſuſpendit, ac cadavera inſepulta per triduum relinqui iuſſit, & tandem cremari: ac Stenonis Sueciç Gubernatoris, qui pro patriæ libertate ei armis reſtiterat, ante ſex menſes defuncti, corpus effodi, & ſimul cum aliis comburi. Comperies & Henricum [ſ] Octavum Angliæ

[q] *Lyl. Girald. de var. ſepel. rit. Iovi. in Vit. Pomp. Colum. & alij plurimi.*

[r] *Chytr. in Saxon. lib. 9.*

[ſ] *Sur. in hiſt. an. 1517. Sander. de ſchiſm. Angl. Bul. Pauli PP. III. de eius condemnat.*

VVu

Regem, hominem salacissimum, postquàm venereæ cupidini sese holocaustum immolans, apostatavit à fide, ex cuius defensione egregium adeptus fuerat à Leone Decimo *Defensoris fidei* titulum, & caput se Ecclesię suę acephalicæ, inauditâ anteà omnibus sæculis præsumptione, constituit: inter alias templorum profanationes, altarium eversiones, donatiorum seu oblationum direptiones, sacrarum Reliquiarum ac Imaginum cum blasphemiis violationes; etiam S. Thomam Cantuariensem, ante annos ferè quadringentos martyrium sub Henrico Secundo, ob fortiter defensa contra vim regiam Ecclesiæ iura, gloriosissimè passum; *manu carnificis è monumento extractum*, & causam iterùm ad tribunal suum contumeliosissimè dicere coactum, condemnatúmque, *publicè cremari fecisse, ac cineres in ventum spargi*. Nec quidem adeò damnarem, si zelo contrariæ Religionis id patrâsset, quod in præcipuos sequiorum sectarum coryphæos usurpatum ab omnibus Religionibus fuisse vidimus. (quãvis omninò dolendum foret, cum adeò occæcatâ mente extitisse, ut mediâ luce erraret.) Sed id penitùs damno, quòd non solùm invidiâ miraculorum, quæ fiebant ad sepulchrum S. Thomæ, (ut de Copronymo diximus) unde ipsius Regis impietas arguebatur, præstiterit; verùm & maximè ardore avaritiæ, quo tumulos Martyrum omnes expilavit, Reliquiásque indignissimis modis tractavit: adeò ut ex uno illo monumento S. Thomæ tantam vim auri, argenti, lapidum pretiosorum, ac sacrarum vestium, quas Catholici populi, & piorum Principum liberalitas contulerat, abstulisse dicatur [r], ut viginti sex plaustra boum onerata iis fuerint. Hæc fuit fides, hic zelus, hæc esca, quibus Henricus allectus omnium Sanctorum monumenta, atque adeò templa, oratoria, & monasteria expilavit.

[r] *Sander ibid.*

V.

Ceteroquin enim minimè Confessionistas Basileenses damnamus, quin & eâ parte laudamus, quòd anno Domini 1559. sententiâ publicâ, Davidis Georgii facti [s] ex filio circulatoris, & arte vitriario, perditissimi hæresiarchæ, qui se verum esse Messiam asseruerat; cadaver honorificæ à suis sepulturæ traditum, tertio post mortem

[s] *Lindan. in Dubitant. Prateol. verb. David Georg. Ramund. lib. 2. de orig. hær. c. 11. nu. 4*

DAVIDIS GEORGII EFFOSSIO.

anno, quo se impius resurrecturum prædixerat, effodi iusserunt, & extra portam in supplicij locum per carnificem trahi, ibique in cineres redigi. At Henricum maluerunt ceteræ Lutheri soboles, genimina viperarum imitari: ac præcipuè Calvinistæ, omnium hæreticorum, qui umquam fuerunt, quíque modò sunt, quique aliquando, ut opinor, futuri sunt, fraudulentissimi, pestilentissimi, inhumanissimi. Quos & de huiusmodi sceleribus sepulchralibus, videri possit olim spiritu prophetiæ præsignâsse Sanctus Rex David [u], cùm dixit: *Deus venerunt gentes in hereditatem tuam; polluerunt templum sanctum tuum; posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam. Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cæli; carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem ipsorum tamquam aquam in circuitu Ierusalem; & non erat qui sepeliret.*

[u] *Psalm. 78.*

CAPVT II.

De MAHOMETANIS.

I. SED quoniam prolixiùs rem cum iis cominùs posteà acturi sumus; ut ab iis ad *Mahometanos* transeamus: (nam & Calvinismum viam parare ad Mahometismum, & ipsi Lutherani [x] fatentur; & quamplurimis argumentis probatissimum reddidit Gulielmus Reginaldus, in Calvinisticæ perfidiæ cum Mahometanâ collatione.) comperimus [y] Saracenos Mahometis studiosissimos cultores, quo tempore Carolus Martellus inclytus Francorum Dux regnum administrabat, ex Hispaniâ in Galliam Narbonensem irruentes, Arelate ipsam etiam *monumenta Sanctorum contrivisse, penitusque delêsse*; atque inter alia, eorum patroni S. Cæsarij: quamvis non impunè; victis ipsis ingenti clade ab eodem Carolo, & qui superfuerunt in mari mersis. Itémque Habdallam [z] Saracenorum Principem in Oriente, *ex ecclesiis sterquilinia*

[x] *Iac. Andr. præfat. refut. apol. Danai.*

[y] *Vid. Baron. to. 9. an. 731. ad fi.*

[z] *Ivo in Chron. Blond. dec. 2. lib. 1.*

Regem, hominem salacissimum, postquàm venereæ cupidini sese holocaustum immolans, apostatavit à fide, ex cuius defensione egregium adeptus fuerat à Leone Decimo *Defensoris fidei* titulum, & caput se Ecclesię suę acephalicæ, inauditâ anteà omnibus sæculis præsumptione, constituit: inter alias templorum profanationes, altarium eversiones, donariorum seu oblationum direptiones, sacrarum Reliquiarum ac Imaginum cum blasphemiis violationes; etiam S. Thomam Cantuariensem, ante annos ferè quadringentos martyrium sub Henrico Secundo, ob fortiter defensa contra vim regiam Ecclesiæ iura, gloriosissimè passum; *manu carnificis è monumento extractum*, & causam iterùm ad tribunal suum contumeliosissimè dicere coactum, condemnatúmque, *publicè cremari fecisse, ac cineres in ventum spargi.* Nec quidem adeò damnarem, si zelo contrariæ Religionis id patrâsset, quod in præcipuos sequiorum sectarum coryphæos usurpatum ab omnibus Religionibus fuisse vidimus. (quāvis omninò dolendum foret, eum adeò occæcatâ mente extitisse, ut mediâ luce erraret.) Sed id penitùs damno, quòd non solùm invidiâ miraculorum, quæ fiebant ad sepulchrum S. Thomæ, (ut de Copronymo diximus) unde ipsius Regis impietas arguebatur, præstiterit; verùm & maximè ardore avaritiæ, quo tumulos Martyrum omnes expilavit, Reliquiasque indignissimis modis tractavit: adeo ut ex uno illo monumento S. Thomæ tantam vim auri, argenti, lapidum pretiosorum, ac sacrarum vestium, quas Catholici populi, & piorum Principum liberalitas contulerat, abstulisse dicatur [f], ut viginti sex plaustra boum onerata iis fuerint. Hæc fuit fides, hic zelus, hæc esca, quibus Henricus allectus omnium Sanctorum monumenta, atque adeò templa, oratoria, & monasteria expilavit.

[f] *Sander ibid.*

V.

DAVIDIS GEORGII EFFOSSIO.

Ceteroquin enim minimè Confessionistas Basileenses damnamus, quin & eâ parte laudamus, quòd anno Domini 1559. sententiâ publicâ, Davidis Georgii facti [g] ex filio circulatoris, & arte vitriario, perditissimi hæresiarchæ, qui se verum esse Messiam asseruerat; cadaver honorificæ à suis sepulturæ traditum, tertio post mortem

[g] *Lindan. in Dubitant. Prateol. verb. David Georg. Ramund. lib. 2. de orig. hær. c. 15. nu. 4.*

anno, quo se impius resurrecturum prædixerat, effodi iusserunt, & extra portam in supplicij locum per carnificem trahi, ibique in cineres redigi. At Henricum maluerunt ceteræ Lutheri soboles, genimina viperarum imitari: ac præcipuè Calvinistæ, omnium hæreticorum, qui umquam fuerunt, quíque modò sunt, quique aliquando, ut opinor, futuri sunt, fraudulentissimi, pestilentissimi, inhumanissimi. Quos & de huiusmodi sceleribus sepulchralibus, videri possit olim spiritu prophetiæ præsignâsse Sanctus Rex David [u], cùm dixit: *Deus venerunt gentes in hereditatem tuam; polluerunt templum sanctum tuum; posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam. Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cæli; carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem ipsorum tamquam aquam in circuitu Ierusalem; & non erat qui sepeliret.*

[u] *Psalm.* 78.

CAPVT II.

De MAHOMETANIS.

I.

SED quoniam prolixiùs rem cum iis cominùs posteà acturi sumus; ut ab iis ad *Mahometanos* transeamus: (nam & Calvinismum viam parare ad Mahometismum, & ipsi Lutherani [x] fatentur; & quamplurimis argumentis probatissimum reddidit Gulielmus Reginaldus, in Calvinisticæ perfidiæ cum Mahometanâ collatione.) comperimus [y] Saracenos Mahometis studiosissimos cultores, quo tempore Carolus Martellus inclytus Francorum Dux regnum administrabat, ex Hispaniâ in Galliam Narbonensem irruentes, Arelate ipsam etiam *monumenta Sanctorum contrivisse, penitusque delêsse*; atque inter alia, eorum patroni S. Cæsarij: quamvis non impunè; victis ipsis ingenti clade ab eodem Carolo, & qui superfuerunt in mari mersis. Itémque Habdallam [z] Saracenorum Principem in Oriente, *ex ecclesiis sterquilinia*

[x] *Iac. Andr. præfat. refut. apol. Danai.*

[y] *Vid. Baron. to. 9. an. 731. ad fi.*

[z] *Ivo in Chron. Blond. dec. 2. lib. 1.*

fecisse, & Reliquias Sanctorum effossas dispersisse. Sed & posteà Aaronem [a] eorumdem Regem, Myram Lyciæ civitatem invadentem, arcámque Reliquiarum S. Nicolai eius olim Episcopi disiicere parantem, aliam in locum eius suppositam contrivisse. quem tamen addunt, quamvis sic illusum, dedisse nihilominùs pœnas pravæ animi sui voluntatis; disiectâ ipsius classe turbinibus, ipsométque vix præter spem incolumi evadente. De Saracenorum vero Hispanias occupantium, in Catholicos persecutione, agens Samson [b] Abbas S. Zoili Cordubæ civitatis, insigni vir doctrinâ & sanctitate, in opere Apologetico quod tum scripsit, inter alia meminit de Servando Comite Christiano, sed nefario homine: qui cùm in gratiam Regis Mahometanorum multa mala Christianis viventibus intulisset; eorum mortibus non contentus, *quiescentium* quoque *corpora, ut fuerant sub areis Dei posita, è suis loculis insignis vespillo traxit, & fidelibus Regis ut fuerant ancipiti ense truncata monstravit; ut hoc facto animos regios in Catholicorũ perniciem excitaret: quatenùs probarentur apud eum debito mortis obnoxij, qui ausi essẽt humare illius prostratos pugione.* Chorasmini quoq; populi Saracenici Persidis vel Scythiæ, cùm sanctã civitatem Ierusalem cepissent anno Domini 1244. & Sepulchrum Domini, aliaque sancta loca, fœdè polluissent; *violatis etiam sepulchris Regum, eorum ossa in Christianorum iniuriam disperserunt:* uti habetur in epistolâ Patriarchæ Ierosolymitani ad Occidentales scriptâ, quam recitat Parisius Anglus.

[a] Theophan. in Miscel. l. 14. Cedren. in Comp. an. 6. Niceph. Logoth.

[b] Bibl. Patr. to. 8.

II. Quid, quod non defuerunt, etiam inter illos impios, divinæ in his iustitiæ contra alios impios exempla? Antiquiora namque perscrutati, reperimus [c] in Rebus gestis ipsius Mahometis sectæ auctoris; cùm ipso vivente, homo quidam luxuriosus adolescentis tentâsset pudicitiam, & adolescens eum pugione confodisset, fratres interfecti adolescentem homicidij reum apud Mahometem constituentes, iussos esse fratrem sepulturæ mandare, & sepulchrum diligenti custodiâ munire in crastinum, quo foret ipse facturus de homicidio iudi-

[c] Menavin. de morib. Turc. lib. 1. c. 19. Lonicer. Chron. Turc. l. b. 1. par. 1. cap. 17.

cium: postridiè verò petentibus fratribus adolescentem pœna talionis affici, præcepisse Mahometem explorarent, quot vulneribus confossus eorum frater fuisset: at illos, ubi sepulchrum aperuère, cadaver nullum reperisse, sed tantùm sepulchrum atrâ fuligine, tetróque fœtore abominabile: indéque Mahometem intulisse, à satanâ corpus cum animâ impuri hominis simul ablatum, ac proinde adolescentem absolvendum esse.

PRÆCLARUM MAHOMETIS IUDICIUM.

III.

EFFOSSIONES INTER IPSOSMET MAHOMETANOS.

De Extumulationibus autem, ab hominibus factis in ultionem scelerum à mortuis perpetratorum; (omittimus enim, quæ ad expilanda sepulchra solùm facta videri possunt; quorum deplorandissimum habemus exemplum in historiâ [d] invasionis Constantinopolitanæ à Turcis, & alia alibi.) duo imprimis illustria comperimus exempla. Alterum apud Ioannem [e] Leunclavium, in eius Historiâ Musulmanâ Turcorum: ubi ex antiquis ipsorum monumentis recensens dissensiones ortas inter Mahometanos, occasione supremi eorum Caliphatûs, & interpretationis Legis, refert; cùm quidam Iezides princeps Agarenicus interfecisset Mahometis prophetæ è filia nepotes Alis filios, multásque contumelias Prophetæ posteris intulisset; ideóque pro latrone, parricidâ, & hæretico fuisset à Musulmanis habitus: has iis posteris illatas iniurias, longè posteà Temurem Canem Tartarum, (quem Tamerlanem vocant) occupatâ Damasco, ubi sepultus Iesides fuerat, ita ultum esse, ut reperti eius cadaveris ossa erui, flammisque exuri iusserit, sepulchro stercoribus oppleto. Alterum de Sofi Ismaël, qui ante hos centum & quinquaginta circiter annos extinctam penè à multis sæculis sectam prædicti Alis discipuli ac generi Mahometis restituit, & Imperium Persarum ad eam potentiam evexit, quâ inter amplissimas Orbis terrarum Monarchias connumeratur. Qui [f] occupatâ regiâ Persarum Taurisio, postquàm in vivos multa sævissimæ crudelitatis exempla edidisset; etiam in mortuos sæviens, sepulchrum Iacupis avunculi sui, quod magnificentissimum erat, aperuit, ossa eiusdem eruit, incendit, & in cineres redegit, eósque in ventos sparsit, ac sepulchrum funditùs

[d] *Turcogr. lib. 1.*

[e] *Lib. 1. & 7. quod tamen Ioan. de Barros Hist. Asia Dec. 2. lib. 1. cap. 1. & Cal. Curio Saracen. hist. lib. 1. aliis tribuunt.*

[f] *Spandug. in Vit. Ismael. Bizar. in Hist. Pers.*

diruit: in ultionem videlicèt cædis ab eodem Iacupe illatæ Aidari ipsius Ismaëlis parenti, timente ne sub novæ Religionis prætextu regno suo insidiaretur. De quo obiurgatus à matre, quæ soror Iacupis erat, in tantam indignationem etiam in illam exarsit, ut & ipsam neci tradi curaverit, seu ipsemet, ut quidam habent, propriis manibus peremerit.

IV. DISSIDIUM MAHOMETANORUM IN RELIGIONE.

Io. de Barros in Asia Dec. 1. lib. 10. cap. 6. Osor. de reb. Lusit. lib. 10. Sansouin. de Reb. Turc. &c.

Quod enim non aliunde ingentes illæ expeditiones bellicæ, quibus se continuè Turci Persæque mutuò impetunt, conficiúntque, procedere noscuntur, quàm ex diversâ Mahometanæ Legis acceptione; Ales eius dissensionis auctor extitisse perhibetur: qui, cùm post mortem Mahometis, cuius erat frater patruelis, ac gener, illi in principatu successisset; eiusdem legem ita suis immutationibus, & interpretationibus correxit, ut nova quædam lex gentibus illis videretur: Homare contrà, Mahometis affine, (cum quo fuit Ali dira controversia de Caliphatu) eiusdem legis integritatem, & receptam à principio ab Arabibus interpretationem propugnante. Sicque factum est, ut secta Mahometis in duas partes divisa, gentes religione dissidentes, odiis etiam, quod consequens erat, discinderet. Persæ namque, qui Alim secuti sunt, reliquos Mahometis disciplinis infectos, ut homines impuros, & divinæ legis ignaros, à consortio suo repellebãt: Arabes contrà Homaris sectatores, Persas ut desertores, atque divinæ legis corruptores detestabantur. Prævalentibus porrò post aliquot successorum Alis ætates Arabibus, Alis nomen diù in obscuritate latuit. Donec tandem circa annum Domini 1370. (ut ponunt) prodiit è

DE SOFI PERSARUM.

Perside quidam nomine SOFI, ex stirpe Alis propagationem iactans; qui cùm primùm sapientiæ & religionis ostentatione multos ad sui studium allexisset, tum armis eam sectam quam sequebatur, esse veram Dei legem demonstrare summo studio concupivit: & pro lineo albo turbante, seu linteis spiris quibus Mahometani caput integebant, è mediis suorum turbantibus pileolos acuminatos emicare voluit, è lanâ constipatâ colore rubro confectos, & senis utrimque gradibus distinctos, eo artificio

ut vel protendi vel contrahi possint, (in memoriam scilicèt duodecim filiorum, quos Hocemus Alis filius post se reliquerat) quibus ij qui Alis disciplinis adhærerent, ab aliis Mahometanis internosci facillimè possent. Huiúsque pronepos Ismaël, quèm diximus, (cuius mater fuit filia magni Persarum Regis Usumcassanis) variis casibus exercitus, armorum potentiâ, & prædictæ religionis propagandæ studio, tantum nomen est ubique consecutus; ut non solùm Persæ libentissimè illius imperio subderentur, verùm etiam remotiores populi partim minis, partim precibus, pileum illum gestandum susceperint, & Alis instituta amplexati fuerint. Vocantur autem à Turcis, tum variis aliis propudiosis appellationibus, quibus eorum defectio à lege Mahometis exprobretur; tum per iocum, ob pileos illos rubros, *Kisulbassi*, hoc est, capita rubra: cùm ipsi Turci turbantes, albos; Tartari, æquè & ipsi Mahometis disciplinæ addicti, virides deferre consueverint. Et quòd Arabicè *Sofi* lanam significet, síntque pilei illi lanei; inde à quibusdam putatur eorum Rex κατ' ἐξοχὴν *Sofi* nominari: cùm potiùs crediderim, tam primum illum Sofi nominatum, sectæ Alensis restauratorem, pileum laneum cepisse, quòd conveniret nomini suo; quàm eius successores eamdem appellationem retinuisse, quòd & pileum legis discriminatorem denotaret, & nomen referret auctoris. Nam quod ab antiquis Persarum σοφοῖς, hoc est, sapientibus, seu Magis, quidam deducunt; minùs recipitur. Sed hæc obiter.

DISTINCTIO TULBANTUM INTER MAHOMETANOS.

V.

Et ut demùm his rebus Mahometanis ultimam manum apponam; narrant qui de iis scribunt [h], ex vanâ superstitione persuasum sibi eos habere, statim post inhumationem alicuius defuncti, spiritum in corpus redire, duósque Angelos ad eum accedere, rationem petituros totius vitæ ipsius: quibus si satisfecerit, requiescere placidè usque ad diem Iudicij, iisdem Angelis ad eius caput & pedes toto illo tempore suaviter commorantibus: sin minùs, ab illis continuò torqueri, altero quidem ferreâ clavâ tam validum illi ictum impingente, ut profundè protrudat intra terram; altero verò uncis ferreis educen-

[h] *Bellon. 3. singul. 5. Lonic. Chron. Turc. lib. 2. par. 2. cap. 19. & alij.*

DELIRIA TURCORUM DE DEFUNCTIS.

te, ut rursùm percuti, detrudíque possit, usque ad eamdem diem Iudicij. Cui simile delitamentum de Iudæis mortuis, tribuit Elias [i] Grammaticus Rabbinis suis: ut sunt permulta utrisque, tam Iudæis, quàm Mahometanis, communia; síntque his præcipuè ineptiis utrique fecundissimi.

[i] In Tischbi. verb. chabat.

CAPUT III.

De Brutis.

VII. QUIBUS appositè subiungimus *Animantes* rationis expertes. E quibus unam Hyænam sepulchra eruere, scribit Plinius [a], inquisitione corporum. Et ante eum Aristoteles [b] eam dixit sepulchra effodere, humanæ avidam carnis, ac eruere. Tradunt id ipsum & alij, qui de natura animalium scripserunt. Ælianus [c] autem de Elephantis agens, ut ostendat quemadmodùm scelera detestentur, historiam narrat unius ex illis: qui cùm vidisset moderatorem suum coniugem ætate provectam strangulâsse, ut aliam iuniorem duceret; novam nuptam eò perduxit, ubi humata altera iacebat; cadavérque cornibus refossum ei ostendens, monere voluit, quibus esset moribus præditus is cui nupsisset. Si innocentem effodit, ut scelus detegeret; an non existimare par est, si scelerati alicuius hominis cadaver terrà condi vidisset, refossurum fuisse ut longiùs abiiceret; cùm eos religionem sepulturæ probè agnoscere, ex eodem auctore superiùs intellexerimus? Egregium verò planè est, & ad nostram disputationem appositissimum, quod idem [d] narrat de pullo cuiusdam equæ pulcherrimæ, ab equisone tantâ vesaniâ adamatæ, ut cum eâ sese commiscuerit: hoc ubi pullus perspexisset, impetu facto virum interemisse; observatóque loco sepulturæ, *cadaver refodisse, omnibus [illegible] affecisse*. Quis non magis has belluas ratione præditas dixerit, quàm homines illos, in quos ipsæ, iniustitiæ ac impietatis vindices insurrexerunt? De Canibus Thessalonicensibus, hostes

[a] Lib. 8. cap. 40.
[b] 8. de hist. anim. 5.
[c] 8. de animal. 17.
[d] Æl. lib. 4. cap. 8.

hostes effodientibus, iam superiùs dictum est ad finem tractatûs de privatione sepulturæ. Et quia iam harum seriẽ & me ipsum satias cepit, & aliorum tædium expectavi; hic tandem sit finis susceptæ tractationis: quippe

Non [c] equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis [c] Pers. Saty. 5.
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.

Nec mihi (ut sæpiùs contestatus sum) propositum umquam fuit, omnia quæ de his quæstionibus dici possent, in medium afferre; sed quantum dumtaxat satis foret ad rem controversam asserendam. Quod equidem confido me solidiùs quàm prolixiùs fecisse; cùm excussâ omnis memoriâ antiquitatis, & vetustissimarum rerum non monumentis solùm, sed etiam primordiis investigatis, ac subinde sequentium superadditis temporum testimoniis; ex scitis humanæ, divinæque sapientiæ stet omni sufficientissimâ probatione fixum, & legibus ac moribus cunctarum Religionum apprimè stabilitum; tam sepulturam, & funerationem, quàm earum privationem, necnon extumulationem, cùm in pœnam infliguntur legitimè, esse Iuris sacri, ac religiosi; ac proinde ritè ac rectè earum usum introductum, & observatum esse, observaríque imposterum debere. Quod siquis etiam penitùs scrutari voluerit, & vel neglecta, vel fortè minùs animadversa, suo momento ponderare; nullus dubito, quin multò plura, forsan & solidiora, argumenta ex intimâ antiquitate prolaturus sit, quæ splendidiorem scientiæ famam, & illustrius diligentiæ nomen ei conciliatura sint. Quamvis nec dubitem, futuros ex alterâ parte non paucos, qui de hoc genere me, quòd nimiùm multa scripserim reprehendant, quàm quòd reliquerim quædam accusent. Sapiant quique ut libuerit: tantùm ad sobrietatem. Illud mihi satis supérque, si æquis rerum æstimatoribus collectio istiusmodi idonea quantum par est censeatur perfectæ rei cognitioni assequendæ. Denique sicuti doctioribus, atque diligentioribus, suam gloriam non invideo; ita in tenuitate meâ, semper gratias agere Deo solicitus fuero, quòd parvum hoc perficere dederit, quod dedit velle.

LIBER IV.

Quo speciatim disputatur adversus HÆRETICOS: *variisque Rationibus, & Argumentis, demonstratur, eos obnoxios esse pœnis Privationis Sepulturæ, & Exhumationis, de quibus actum est Superioribus Libris.*

RACTATUM præcedentem ita visi sumus terminâsse, velut iam debellato. At non ita est: quinimmò nunc demùm initium ponendum duri certaminis, cum hostibus importunissimis, immanissimis, fraudulentissimis; ac proinde non tam veteres vires colligendæ, quàm novæ conciliandæ. Quippe non eo tantum huic labori incubuimus, ut vel sanctitatem sepulturæ ac sepulchrorum ostenderemus, vel eorum distinctionem in Religionibus observatam demonstraremus; aut etiam eius privationis, ac exhumationis exempla ab iisdem frequentata produceremus: sed ut his gressibus instructiores progrederemur ad conferendam manum cum iis HÆRETICIS; qui vel omnia sacra deridentes, nullam agnoscunt in re funerariâ religionem; vel cuncta confundentes, promiscua contendunt esse debere sepulturæ loca; aut denique sibi malè conscij metuentes, privationis & exhumationis usum incusare non cessant. Ceteros enim Infideles, ac noxios homines, ulterius exagitare omittimus: illos quidem, quòd nec ipsi hæretici ob-

INTRODUCTIO AD SEQUENTEM DISPUTATIONEM.

ſtinatè diffiteantur, id ſupplicij illis deberi: hos verò, tum quod iam ferè ſingulis, ſuæ damnationis cauſam annexuerimus; tum maximè quòd fides, etſi penè in iis mortua, longè eos diſcriminet ab Hæreticis, quibus nec fundamentum fidei ineſt, nec operum ſtructura. Et ſanè res momentò confecta videri poſſet, ſi vel unico verbo diceremus; cùm hæc iure naturali, divino, ac humano fieri, divinis humaniſque auctoritatibus plus ſatis demonſtratum fuerit; ſiquando ea in impios exerceatur ab auctoritatem habentibus, nullum relinqui querimoniæ locum, niſi iis qui divina humanáque iura pro nihilo ducunt: quod vel ſolum pluſquàm ſatis cenſendum ſit, ad eos iiſdem funeſtis pœnis ſubiiciendos. Sed quoniam non ij nos ſumus, qui ſummo iure cum aliquo agere velimus; ex æquo & bono ſequentem diſputationem ſic tractare decrevimus, ut primùm rationes exquiramus, & elucidemus, quibus Eccleſia Catholica impulſa fuerit ad pœnas iſtas generatim decernendas in Hæreticos, & Schiſmaticos: deinde ſpeciatim eaſdem torqueamus in noſtros Calviniſtas: ac demùm eorum obiectiones diluamus, adverſus hanc Eccleſiæ praxim afferri ſolitas. Dabit verba, & vires, qui linguas [a] infantium facit diſertas, & nemini recta rectè petenti denegat, omnipotens & miſericors Dominus: ac conciliabit illa, quæ non niſi recta, ac rectè petere novit, piiſſima & immaculatiſſima Virgo Dei-genitrix, quæ (ut canit ſancta Dei Eccleſia) cunctas hæreſes interemit in univerſo mundo.

ORDO IN EA SERVANDUS.

[a] Sap 10.
[b] Iac. 1. & 4.

PARS I.

Continens RATIONES, *ob quas Ecclesia Hæreticos subiecit pœnis Privationis Sepulturæ & Exhumationis.*

UONIAM autem quamplurimæ possent rationes, & causæ adduci, & oppidò quàm graves; ne tamen vel confusionem inducamus, vel tædium ingeramus; ex omnibus Tres dumtaxat impræsentiarum expendendas suscipimus: quæ quamquam ita sunt inter se connexæ & colligatæ, ut omnes ab invicem pendeant; producant tamen singulæ certas ac proprias conclusiones, ad firmiorem rei propositæ assertionem. Unam ponimus, *Quia sunt rei Maiestatis divinæ, & perduellionis in Matrem & Dominam suam Ecclesiam;* ac propterea severiùs habendi, quàm vel Ethnici, vel Mahometani, aut quilibet alij Infideles, aut nefarij homines. Alteram, *Quia sunt præcisi à corpore Ecclesiæ;* ac proinde indigni qui aliquo sacro membrorum eius privilegio, ac iure gaudeant. Tertiam denique, *Quia eorum consortium, & omnis societas in rebus sacris & religiosis,* (quales sunt funereæ) *est penitùs Catholicis prohibita:* ita ut nefas sit, communicare in iis post mortem cum hominibus, cum quibus in vitâ non communicatur in iisdem.

TRES RATIONES TRACTANDÆ.

CAPVT I.

Hæreticos esse REOS MAIESTATIS; *ac detestabiliores ceteris omnibus Infidelibus.*

ESSE igitur Hæreticos *Reos Maiestatis Divinæ*, nemo sanè dubitaverit, qui *Maiestatis* crimen quid sit intellexerit: nempè dignitatis, aut honoris divini minutio, seu læsio. Sicuti cùm à Marco [c] Tullio Maiestas in Republicâ Romanâ definitur, Amplitudo ac dignitas civitatis ac Populi Romani; sive imperij ac nominis Populi Romani; is eam minuere dicitur, qui per vim multitudinis, rem ad seditionem vocat. Pariterque apud auctorem Rhetoricorum [d] ad Herennium, Maiestatem is minuere dicitur, qui amplitudinem civitatis detrimento afficit; vel qui ea tollit, ex quibus rebus civitatis amplitudo constat: nempè suffragia Populi, & Magistratûs consilia. Postquàm verò Lege [e] Regiâ, quæ de imperio lata est, Populus omne imperium suum & potestatem in Principem contulit; crimine Maiestatis teneri sunt, quicumque in Principis imperium, & auctoritatem, eiúsve personam, aut Reipublicæ statum, aliquid mali moliuntur; aut seditiones movent, populósque in partes distrahunt, & regalia usurpant, aut hostibus in aliquo favent. Qui etiam *Perduelliones* dicuntur: ita ut quamvis sit aliqua differentia inter *Maiestatis* & *Perduellionis* crimen; tamen & Perduellionis, dicitur Maiestatis: eóque tenentur, quorum operâ consilióve loca Principis, Reíque publicæ, vel templa occupantur; tumultus concitantur, defectiones fiunt, imperium Magistratuum detrectatur; & alia id genus fiunt, quibus status publicus subvertitur, aut perturbatur: quæ, Leges [f] Romanæ (ut ceteros modò populos taceam, qui nihil ab his, nisi proprietate dictionum in criminibus denominandis, differunt) pluribus prosequuntur, & explicant. Iam verò quàm gravius sit crimen Maiestatis divinæ,

I. MAIESTATIS CRIMEN QUID SIT.

[c] *De Orat. lib. 2. & in Partit.*

[d] *Lib. 2.*

[e] *Instit. de iur. natur. §. sed & quod.*

[f] *D. & C. ad l. Iul. maiest. & ibi Interpp.*

quàm humanæ; satis iis persuasum existimamus, qui nôrunt quantum intersit inter Deum & homines: cùm & palàm sit, nec ipsos summos Reges, ac Principes, quantumvis sacrosanctos, nisi à Deo sceptri honorem, & gladij potestatem, omnémque auctoritatem accipere. Quare & Iureconsulti [g], crimen in eos commissum, non nisi post sacrilegium enumerant; hoc est, post crimen illud, quo divina Maiestas pulsatur: & longè gravius esse declarant [h], æternam quàm temporalem lædere Maiestatem. Neque hoc probatione apud homines indiget: nam qui in dubium revocaverint, ne quidem belluas, nedum homines dixero, sed stipites.

[g] Ulp. l. 1. D. eo.

[h] Authent. Gazaros. C. de hæret. cap. vergentis. ex. eo.

II.

HÆRETICI REI MAIESTATIS DIVINÆ.

Porrò Hæreticos (quod præsertim indagamus) reos esse Divinæ Maiestatis, iuxta prædictam eius criminis descriptionem; & quidem primario, ac præcipuo loco eius classis collocandos; vel ipsa eorum nuncupatio manifesto demonstrat. Cùm enim latissimâ significatione ab etymologiâ ductâ, *Hæresis* significet [i] electionem; quâ scilicèt eligit sibi quis quod credat, ac sequatur: (unde & Cicero [k] Stoicorum hæresim, hoc est sectam appellavit: & Lucas [l] Evangelista Hæresim Sadducæorum, ac Pharisæorum: Paulúsque [m] ipse Apostolus sic initio doctrinam fidei ab aliis denominari ostendit:) usu tamen posteà ab antiquis Patribus, ac Theologis receptum est, ut accipiatur tantùm pro pertinaci errore contra fidem, in eo qui profitetur religionem Christianam. Ita ut sicut Ecclesia vi sui nominis collectionem significat, & unionem; ita Hæresis, quæ Schisma secum continuò trahit, secessionem, ac divisionem. Quâ ratione facilè intelligas, longè eos detestabiliores esse ceteris Infidelibus; nempè Gentilibus, ac Mahometanis, qui fidem numquam susceperunt; ac Iudæis, qui non nisi in figurâ susceperunt: quippe quòd ipsi Hæretici non solùm à fide secundùm manifestationem veritatis semel susceptâ apostatent, verùm etiam eam oppugnent. Unde & Irenæus [n] dixit, eos *Ethnicis peiores efficere illos, qui assentiunt eis.* Et Hieronymus [o]; *Hæreticos impietate omnes vincere;* tam scilicèt Gentiles, quàm Iudæos. Et [p], *cunctis pec-*

HÆRESIS QUID SIT.

HÆRETICI PEIORES OMNIBUS INFIDELIBUS.

[i] Tertul. de præscript. cap. 6. Hieron. in Gal. 5.

[k] In Paradox.

[l] Act. 5. & 15.

[m] Act. 26.

[n] Lib. 1. cap. 9.

[o] In Isa. 28.

[p] In Ezech. 16.

eatis, & fornicationibus peiorem esse doctrinam Hæreticorum, quæ Dei filios facit filios dæmonum. Itémque Epiphanius [q]; *deteriorem esse pravam fidem infidelitate.* Et Chrysostomus [r]; eum *qui non credit Scripturis, non dicendum esse Christianum, sed vel Ethnicis deteriorem; eo quòd Christum existimans esse Deum, non credit tamquam Deo.* Et Auctor [s] Operis imperfecti in Matthæum; (qui etsi non fortè est, qui creditus aliquando Chrysostomus; eiusdem tamen sæculi, & quidem, ut probabilius videtur, Catholicus, quamvis in quibusdam ab Arianis depravatus:) *Hæreticos Gentilibus esse peiores dubitare neminem: primùm quia Gentiles per ignorantiam Christum blasphemant, Hæretici autem scientes, Christi laniant veritatem: deinde quia in illis vel spes fidei est, in istis autem incessabilis pugna & discordia.* Addo, quia Hæresis multò magis quàm Ethnicismus, virtutes morales extinguit; multò magis Respublicas deformat; multò magis seditiones concitat; multò magis fratres, & amicos, invicem à sese capitali malevolentiâ distrahit; atque in mutuam perniciem armat; multò denique pertinaciùs Christianam fidem invadit, & dissipat; & ubi semel inhæserit, cancer est longè Ethnicorum morbo incurabilior.

[q] *In Ancor.*
[r] *Hom. 2. ad Coloss.*
[s] *Homil. 30.*

III.

IUDÆI ET GENTILES TOLERABILIORES HÆRETICIS.

Ut verum sit, fixúmque Theologorum [t] axioma; Quamquam Gentiles in pluribus errent, quàm Iudæi; & Iudæi in pluribus à verâ fide recedant, quàm Hæretici: (quod tamen intelligendum de quibusdam Hæreticis; cùm alioqui non rarò contingat Hæreticos in pluribus errare, quàm vel Iudæi, vel ipsi etiam Gentiles:) simpliciter tamen Iudæorum, qui Evangelij figuram susceptam malè interpretando corruperunt, infidelitatem graviorem esse, quàm Gentilium, qui nullo modo fidem Evangelij audierunt: Hæreticorum autem, qui suscipientes & profitentes ipsum Evangelium, illud corrumpunt, Infidelitatum esse omnium gravissimam. Sicut & gravius peccatum est illius, qui non implet quod promisit, quàm eius qui non implet quod numquam promisit: & atrocius crimen intestini proditoris ac perduellis, quàm aperti hostis & externi: & ut loquitur Ambrosius [u], *gravius scelus adversus Christum, ut abutantur Christi nomine.* Quod

[t] *Th. 2. 2. q. 10. a. 5.*
[u] *1. de fid. ad Grat. 7.*

[x] Hom. 11. ad Ephes. [y] Ep. 162. & lib. 2. de bapt. cont. Donat. [z] De unit. Eccl. [a] Lib. 1. cont. Parm. [b] Ex. 32. n. 16.

& Chrysostomus [x] & Augustinus [y], atque ante illos Cyprianus [z], & Optatus, eo argumento confirmârunt, quòd divina iustitia longè horribiliori pœnâ hæreticos & schismaticos plexerit [b], quàm idolorum cultores; dum hos nonnisi usitatâ gladij morte sustulit, illos insolito hiatu terræ absorbuit, & igne combussit: *diversitate pœnarum* (ut inquiunt) *diversitatem insinuans meritorum*; quòd *non sit dubitandum hoc sceleratiùs esse commissum, quod est gravius vindicatum.* Et apud Eusebium [c] antiquissimus Dionysius Alexandrinus, ad Novatum, Ecclesiam Romanam id temporis perturbantem, scripsit; *Illud martyrium, quod quis perpetitur ne dirimatur Ecclesiæ consensio, multò plùs habere commendationis, quàm illud quod suscipitur ne idolis immoletur: nam in hoc pro unâ quemque animâ sufferre martyrium, in illo autem pro totâ Ecclesiâ.* Denique de fide Christianâ est, *Melius esse viam iustitiæ non agnoscere; quàm post agnitionem, retrorsùm converti ab eo quod traditum est sancto mandato*: testante id Apostolo Petro [d]. Secundùm quod & dixerat Dominus [e], *Servum illum qui cognovit voluntatem domini sui, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulandum multis; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulandum paucis.* Ac confirmavit Paulus [f], dicens *deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Et inter Patres præclarissimè Augustinus [g]; dum scripsit, *Intolerabile esse, atque à sanâ doctrinâ nimis devium, ut qui hæreses impias condiderunt, exeuntes de Catholicâ Ecclesiâ, meliores habeant causas, quàm hi qui numquam fuerunt Catholici: cùm peior utique sit desertor fidei, & ex desertore oppugnator eius effectus, quàm ille qui non deseruit quam numquam tenuit.* Et alia eiusmodi multa in sacrâ Scripturâ, & Patrum commentariis.

[c] 6. hist. 37.

SCHISMA PEIUS INFIDELITATE.

[d] 2. Pet. 2. [e] Luc. 12. [f] Hebr. 10. [g] 21. de civit. 25.

IV.

HÆRETICI NON SUNT CHRISTIANI.

Quinimmò nec Christianorum nomine dignandos hæreticos esse, præter Chrysostomum [h] nuper citatum, communi consensu & reliqui Patres declarârunt. Atque imprimis Tertullianus [i]; dum adversus eos præscribens; *Si Hæretici sunt,* (inquit) *Christiani esse non possunt.* Et Marcionem

[h] Hom. 2. ad Coloss. [i] De præscr. cap. 37.

cionem compellans [k]: *Si Christianus es, crede quod traditum est: si non es, meritò dixerim, morere: nam & mortuus es qui non es Christianus, non credendo quod creditum Christianos facit. Et eò magis mortuus es, quò magis non Christianus es, qui cùm fuisses, excidisti, rescindendo quod retrò credidisti; qui ab Ecclesiâ & fide Christi recessisti.* Et Cyprianus [l] Martyr toto ore & calamo in Hæreticos & Schismaticos invectus pro unitate Ecclesiæ, inter alia rotundè pronunciat: *Qui relinquit Ecclesiam Christi, alienus est, profanus est, hostis est,* &c. *Sic se Christianum esse profitetur, quomodò & Christum diabolus sæpè mentitur. At sicut ille Christus non est, quamvis fallat in nomine illius: ita nec Christianus videri potest, qui non permanet in Evangelij eius & fidei veritate.* Ac scribens [m] ad Antonianum, pro defensione electionis Cornelij Papæ contra Schisma Novatianum: *Quisquis ille est, & qualiscumque est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesiâ non est.* Et constantissimus ille Caralitanus [n] Antistes ad Constantium Imp. pro S. Athanasio: *Cùm sitis Ariani, quomodo dici Christiani poteritis?* Et: *Negans Dei filium, Gentilis aut Iudæus nobis es.* Ac rursùm [o]: *Tales vos iudicamus, atque habemus, quales & Ethnicos cultores omnium dæmonum: sic vos abominamur, quomodò & Iudæos, qui inveniuntur esse sine Deo, ex quo unicum negaverunt Filium Dei.* Nec minori animo solitus disputare in hæreticos Hieronymus; initio Dialogi adversus Luciferianos, planè pleneque statuit, *quem quis Hæreticum dixerit, Christianum negare: Hæreticos enim Christianos non esse: Fixúmque haberi debere, de Hæretico sic loquendum sicut de Gentili.* Et alibi [p]: *omnes Hæreticos nihil differre ab errore Gentilium.* Augustinus [q]; eos *Christiano* tantùm *nomine dealbatos.* Et Concilium Sardicense [r], *alienos esse à Christiano nomine.* Athanasius [s] verò, *tantum abest ut eos Christianos appellari* velit, *ut nec simpliciter Ethnicos nominandos esse* decernat. Rursúmque Tertullianus [t] contra Valentini discipulos disputans: *Meritò Ethnici talia, sed meritò & hæretici. Numquid enim inter illos distat? nisi quòd Ethnici non credendo credunt, at Hæretici credendo non credunt.* Quippe etsi Ethnici verè non credant, quia fide Christianâ sunt destituti; aliquid

k De carn. Chr. cap. 2. & 4.
l De unit. Eccl.
m Ep. 52.
n Lucif. pro Athan. lib. 1. & 2.
o Lib. de non conven. cum hæret.
p In Ose. 7.
q 1. cont. ep. Parm. 9.
r Ep. ad omn. Episc.
s Ep. ad solit.
t De car. Chr. cap. 15.

tamen credunt: quia ea credunt, quæ humana natura lumine rationis à Deo illustrata de Deo credenda esse collegit: Hæretici verò, qui se credentes & fideles Christianos simulant, cùm ea non credant quæ Christus & Ecclesia credere præcipiunt, nihil omninò credunt.

V.
HÆRETICI, ATHEI SUNT:
[u] Ephes. 2.
[x] Ser. 2. cont. Arian.
[y] Ep. ad Pam. cont. error. Ioan. Ierosol.
[z] Ap. Socr. 2. hist. 28. & Sozom. l. 3. c. 14.
[a] De ver. relig. cap. 38.
ET IDOLOLATRÆ.
[b] Advers. Prax. cap. 28.
[c] De præscr. cap. 40.
[d] In Ose. 11. 12. 13. in Michæ. 1. in Zachar. 13. & alibi sæpè.

Quos propterea sic semper exhorruit Christianus Orbis, ut eos proprio vocabulo *Atheos* nominârit; homines *sine Deo in hoc mundo*, ut Apostolus [u] loquitur. Sic enim Arium Athanasius [x], Eunomium Hieronymus [y], Aëtium universa Ecclesia [z] nuncupavit. Hæcque vera, & potissima causa est, quòd Hæreses & vocentur, & sint Idola: nimirùm quòd Ecclesiæ magisterium contemnentes, (ut inquit Augustinus [a]) *sua phantasmata colunt; & quicquid animo errante cum superbiâ & tumore cogitando imaginati fuerint, religionis nomine observant, donec fiat in animâ nihil omninò colendum esse*. Ac rursùs Tertullianus [b]: *Sicut nationes manibus, ita hæretici verbis idola fabricantur; id est, alium Deum, & alium Christum*. Ac rursùm [c]: *Neque à diabolo immissa esse spiritalia nequitiæ, ex quibus etiam hæreses veniũt, dubitare quis debet; neque ab Idololatriâ distare Hæreses, cùm & auctoris & operis eiusdem sint, cuius & Idololatria*. Itémq; Hieronymus [d]: *Habent Hæretici deos suos; & quodcumque simulaverint, vertunt in idolum, & quasi sculptile colunt atque conflatile. Omnia eorum figmenta idola sunt, & simulacra Gentilium: nec multùm differunt in impietate, licèt in nomine discrepare videantur. Qui propter mentis superbiam, & falsorum dogmatum vanitatem, obliti sunt Dei sui, & finxerunt idola, & sequuti sunt deos alienos: dum quotidie quod colant repertunt, & idola sibi artifici manu & curiosâ mente confingunt, & faciunt pro Christo adorare Antichristum.*

VI.
GRAVIORIBUS SUPPLICIIS DIGNI CETERIS INFIDELIBUS.
[e] L. damnato. C. de hæret.
[f] C. lib. 1. tit. 5. 7. 9. 11.

Denique ut in hâc strictâ & compendiosâ testatissimæ rei tractatione, ceteros omittam, quos longâ serie pronum esset adducere; ipsimet Christiani Imperatores [e] suis constitutionibus Hæreticos vetant *Christianorum appellatione abuti*. Et totis titulis [f] *De Hæreticis, Apostatis, Iudæis, & Paganis*, Hæreticos gravioribus suppliciis quàm ceteros Infideles subiiciunt. Itaque si inter pœnas reorum Maiestatis, proditorúmque, ac perduellium, seditiosorum, hostiúmque patriæ; itémque sacrilegorum,

impiorum, blaſphemorum, alteriúſque Religionis ſectatorum, ac graviſſimorum criminum reorum; & antiquum, & omnium gentium fuiſſe viderimus, ut poſt ignominioſa mortis ſupplicia, inſepulti turpiter abiiciantur: quis dubitaverit ſaltem eamdem, ſi non maiorem pœnam, Hæreticis iure eſſe debitam; quos palàm eſt, alios quoſcumque Maieſtatis reos, proditoréſque ac perduelles, ſeditioſos, hoſtéſque patriæ; itémque ſacrilegos, impios, blaſphemos, alteriúſque Religionis ſectatores, alios denique quorumcumque graviſſimorum criminum culpabili malitiâ labefactatos; gravitate criminis, & culpæ malitiâ, longiſſimè antecedere? Si iuſtè ſic puniuntur alia crimina in Republicâ, quia proximum lædunt; quantò æquius, ut puniatur Hæreticorum ſacrilega perfidia, quæ propriè offendit Dei, & Eccleſiæ ſponſæ eius maieſtatem? Nam ut illos denuò unà cum fortiſſimo martyre Cypriano [g], aliiſque Patribus, & ſacrâ Scripturâ, exagitemus; quod maius poteſt eſſe delictum, aut quæ macula deformior, quàm adverſus Chriſtum ſtare? quàm Eccleſiam eius, quam ille ſanguine ſuo paravit, & condidit, diſſipare? quàm Evangelicæ pacis ac dilectionis oblitos, contra unanimem & concordem Dei populum hoſtilis diſcordiæ furore pugnare? Quod gravius ſcelus, quàm fidem ſubvertere, veritatem corrumpere, pacem turbare, charitatem diſſipare, ſacramenta profanare, oves à paſtore ſolicitare, filios à matre ſegregare, ſubditos de Eccleſiæ dominio rapere; quinimmò & arma contra eamdem ipſam Eccleſiam matrem [h] & dominam ſuam, Chriſti ſponſam, portare, eique reniti & reſiſtere; Cathedrámque Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerere: tunicam Domini inconſutilem, & individuam, dividere ac ſcindere: contra Dei diſpoſitionem repugnare; adverſus ſacrificium Chriſti rebellare; pro fide perfidos, pro religione ſacrilegos, inobſequentes ſervos, filios impios, fratres inimicos, ſeſe exhibere? Quibus non pœnis, ac ſuppliciis digni, quos deſignat in Pſalmis [i] Spiritus ſanctus, ſedentes in peſtilentiæ cathedrâ: peſtes & lues fidei, ſerpentis ore fallentes, venena lethalia linguis peſtiferis

[g] *Ep. 72. ad Steph. PP. & de unit. Eccl. &c.*

[h] *Tertul. lib. ad Mart. in pr.*

[i] *Pſal. 1.*

evomentes: quorum sermo [k] ut cancer serpit: quorum tactus pectoribus & cordibus singulorum mortale virus infundit? Quorum non criminum rei, quos sacra Scriptura [l] Serpentes, Genimina viperarum, Lupos, Canes, Vulpes, Bestias, pestes, pseudoapostolos, pseudoprophetas, Antichristos, proditores, fures & latrones, prædones, desertores, & transfugas appellat, aliisque plurimis eiusmodi criminosissimis titulis venturos prænunciat, ac vitandos pronunciat? Discedite [m] igitur omnes, qui operamini iniquitatem, & qui detrectatis audire vocem Ecclesię, quam Christus Dominus in columnam [n] & firmamentum Veritatis constituit. Discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est vobis, ac principi vestro diabolo. Ibi erit fletus, & stridor dentium: cùm Prophetas, Apostolos, & Evangelistas, ac pastores, & doctores, quos dedit [o] Deus ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei; ut non circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris; videritis in regno Dei, vos [p] autem expelli foras. Amen dico vobis, tolerabilius [q] erit in die Iudicij terræ Sodomorum & Gomorrhæorum, quàm vobis. Væ vobis; quia [r] si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent; ac propterea remissiùs eis erit in iudicio, quàm vobis; qui derelinquitis [s] Deum, ut libetis diis alienis: qui maledicitis [t] Christo, perversa credendo, & perversiora blasphemando: qui peccatis [u] in Spiritum sanctum, cùm fidem nefario studio impugnatis, quam sufficientissimè probatam potestis, & debetis agnoscere veram esse: qui gaudentes [x] in errore vestro, tunc maximè gloriamini, quando Ecclesiæ contumeliam feceritis. Verumtamen scitote, quia appropinquavit [y] Regnum Dei; ut qui in cælum exaltamini, in infernum demergamini; ibique sepeliamini in æternum, unà cum immisericordi epulone [z], & cum primis omnium in Ecclesiam ac legitimum Pontificem Schismatis [a] auctoribus.

[k] 2. Tim. 2.
[l] Vid. Concord. Bibl. sub his nominibus.
[m] Matth. 7. 10. 11. 25. Luc. 10. & 13.
[n] 1. Tim. 3.
[o] Ephes. 4.
[p] Luc. 13.
[q] Matth. 10.
[r] Matth. 11. Luc. 10.
[s] Hieron. in Ierem. 19.
[t] Id. in Ierem. 10.
[u] Th. 2. 2. q. 14. & ibi DD.
[x] Hier. in Isa. 33.
[y] Matth. 11. Luc. 10.
[z] Luc. 16.
[a] Num. 16.

CAPVT II.

Hæreticos esse PRÆCISOS *à corpore Ecclesiæ; ac propterea indignos aliquo eius privilegio, & gratiâ.*

I. HÆRETICI SUNT EXTRA ECCLESIAM.

ALTERAM rationem, ob quam Ecclesia privare hæreticos consuescat sepulturâ Christianâ, hanc fuisse diximus, quòd sint illi *Præcisi à corpore eiusdem Ecclesiæ;* ac proinde indigni, qui aliquo sacro membrorum eius privilegio, ac iure gaudeant. Porrò Hæreticos, atque Schismaticos, extra Ecclesiam esse, cùm vix probatione indigeat; nequis tamen aliquâ dubitatione pulsari possit, infertur primò ex eo quòd sanctos Patres vidimus eximere illos Christianorum numero. Si enim Christiani dici non possunt, sanè nec in Ecclesiâ constitui, cùm non possit Ecclesia Christiana nisi ex hominibus Christianis constare. Deinde ex eo quòd Paulus [b] Apostolus ad Timotheum scribens, ait *quosdam circa fidem naufragâsse*. Si enim naufragârunt, extra navim Ecclesiæ in mare deciderunt. Et Titum [c] monet, *Hæreticum hominem devitare, quia subversus est*. Non enim si adhuc esset intra Ecclesiam, vitari deberet, sed curari. Ac clarè Ioannes [d]; *Antichristi multi facti sunt; qui ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*. Neque enim modò disputamus de Hæreticis occultis, qui adhuc retinent externam societatem cum Ecclesiâ: (quamvis & ipsos non esse reverâ membra Ecclesiæ, ex iisdem Apostoli verbis, *non erant ex nobis*, & Patrum [e] interpretatione intelligatur:) sed de manifestis, qui vel proprio iudicio per schisma se ab unione Ecclesiæ, quam priùs colebant, separaverunt; vel ipsius Ecclesiæ sententiâ, per excommunicationem è consortio suo eiecti sunt: suntque *sarmenta præcisa à vite*, ut loquitur Augustinus [f]. Deinde cùm frequentissimè in antiquis Conciliis, ac Patrum scriptis, fiat mentio hæreticorum & schismaticorum *redeuntium* ad Ecclesiam,

[b] 1. Tim. 1.

[c] Tit. 3.

[d] 1. Ioan. 2.

[e] Aug. 3. de bapt. 19. & tract. 3. in ep. 1. Ioan. Adde Suar. tract. de Fid. disp. 9. sect. 1. num. 4.

[f] Lib. de pastor. cap. 8.

x Hom. 11. ad Ephes. y Ep. 161. & lib. 2. de bapt. cont. Donat. z De unit. Eccl. a Lib. 1. cont. Parm. b Ex. 32. n. 16.

& Chrysostomus [x] & Augustinus [y], atque ante illos Cyprianus [z], & Optatus, eo argumento confirmârunt, quòd divina iustitia longè horribiliori pœnâ hæreticos & schismaticos plexerit [b], quàm idolorum cultores; dum hos nonnisi usitatâ gladij morte sustulit, illos insolito hiatu terræ absorbuit, & igne combussit: *diversitate pœnarum* (ut inquiunt) *diversitatem insinuans meritorum; quòd non sit dubitandum hoc sceleratiùs esse commissum, quod est gravius vindicatum.* Et apud Eusebium [c] antiquissimus Dionysius Alexandrinus, ad Novatum, Ecclesiam Romanam id temporis perturbantem, scripsit; *Illud martyrium, quod quis perpetitur ne dirimatur Ecclesiæ consensio, multò plùs habere commendationis, quàm illud quod suscipitur ne idolis immoletur: nam in hoc pro unâ quemque animâ sufferre martyrium, in illo autem pro totâ Ecclesiâ.* Denique de fide Christianâ est, *Melius esse viam iustitiæ non agnoscere; quàm post agnitionem, retrorsùm converti ab eo quod traditum est sancto mandato*: testante id Apostolo Petro [d]. Secundùm quod & dixerat Dominus [e], *Servum illum qui cognovit voluntatem domini sui, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulandum multis; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulandum paucis.* Ac confirmavit Paulus [f], dicens *deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Et inter Patres præclarissimè Augustinus [g]; dum scripsit, *Intolerabile esse, atque à sanâ doctrinâ nimis devium, ut qui hæreses impias condiderunt, exeuntes de Catholicâ Ecclesiâ, meliores habeant causas, quàm hi qui numquam fuerunt Catholici: cùm peior utique sit desertor fidei, & ex desertore oppugnator eius effectus, quàm ille qui non deseruit quam numquam tenuit.* Et alia eiusmodi multa in sacrâ Scripturâ, & Patrum commentariis.

c 6. hist. 37.

SCHISMA PEIUS INFIDELITATE.

d 2. Pet. 2. e Luc. 12. f Hebr. 10. g 21. de civit. 25.

IV.

HÆRETICI NON SUNT CHRISTIANI.

h Hom. 1. ad Coloss. i De præscr. cap. 37.

Quinimmò nec Christianorum nomine dignandos hæreticos esse, præter Chrysostomum [h] nuper citatum, communi consensu & reliqui Patres declarârunt. Atque imprimis Tertullianus [i]; dum adversus eos præscribens; *Si Hæretici sunt, (inquit) Christiani esse non possunt.* Et Marcionem

cionem compellans [k]: *Si Christianus es, crede quod traditum est: si non es, meritò dixerim, morere: nam & mortuus es qui non es Christianus, non credendo quod creditum Christianos facit. Et eò magis mortuus es, quò magis non Christianus es, qui cùm fuisses, excidisti, rescindendo quod retrò credidisti; qui ab Ecclesiâ & fide Christi recessisti.* Et Cyprianus [l] Martyr toto ore & calamo in Hæreticos & Schismaticos invectus pro unitate Ecclesiæ, inter alia rotundè pronunciat: *Qui relinquit Ecclesiam Christi, alienus est, profanus est, hostis est, &c. Sic se Christianum esse profitetur, quomodò & Christum diabolus sæpè mentitur. At sicut ille Christus non est, quamvis fallat in nomine illius: ita nec Christianus videri potest, qui non permanet in Evangelij eius & fidei veritate.* Ac scribens [m] ad Antonianum, pro defensione electionis Cornelij Papæ contra Schisma Novatianum: *Quisquis ille est, & qualiscumque est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesiâ non est.* Et constantissimus ille Caralitanus [n] Antistes ad Constantium Imp. pro S. Athanasio: *Cùm sitis Ariani, quomodo dici Christiani poteritis?* Et: *Negans Dei filium, Gentilis aut Iudæus nobis es.* Ac rursùm [o]: *Tales vos iudicamus, atque habemus, quales & Ethnicos cultores omnium dæmonum: sic vos abominamur, quomodò & Iudæos, qui inveniuntur esse sine Deo, ex quo unicum negaverunt Filium Dei.* Nec minori animo solitus disputare in hæreticos Hieronymus; initio Dialogi adversus Luciferianos, planè plenéque statuit, *quem quis Hæreticum dixerit, Christianum negare: Hæreticos enim Christianos non esse: Fixúmque haberi debere, de Hæretico sic loquendum sicut de Gentili.* Et alibi [p]: *omnes Hæreticos nihil differre ab errore Gentilium.* Augustinus [q]; eos *Christiano* tantùm *nomine dealbatos.* Et Concilium Sardicense [r], *alienos esse à Christiano nomine.* Athanasius [s] verò, *tantum abest ut eos Christianos appellari velit, ut nec simpliciter Ethnicos nominandos esse* decernat. Rursúmque Tertullianus [t] contra Valentini discipulos disputans: *Meritò Ethnici talia, sed meritò & hæretici. Numquid enim inter illos distat? nisi quòd Ethnici non credendo credunt, at Hæretici credendo non credunt.* Quippe etsi Ethnici verè non credant, quia fide Christianâ sunt destituti; aliquid

[k] De carn. Chr. cap. 2. & 4.
[l] De unit. Eccl.
[m] Ep. 52.
[n] Lucif. pro Athan. lib. 1. & 2.
[o] Lib. de non conven. cum hæret.
[p] In Ose. 7.
[q] 1. cont. ep. Parm. 9.
[r] Ep. ad omn. Episc.
[s] Ep. ad solit.
[t] De car. Chr. cap. 15.

tamen credunt: quia ea credunt, quæ humana natura lumine rationis à Deo illustrata de Deo credenda esse collegit: Hæretici verò, qui se credentes & fideles Christianos simulant, cùm ea non credant quæ Christus & Ecclesia credere præcipiunt, nihil omninò credunt.

V.
HÆRETICI, ATHEI SUNT:
[u] Ephes. 2.
[x] Ser. 2. cont. Arian.
[y] Ep. ad Pam. cont. error. Ioan. Ierosol.
[z] Ap. Socr. 2. hist. 28. & Sozom. l. 3. c. 14.
[a] De ver. relig. cap. 38.
ET IDOLOLATRÆ.
[b] Advers. Prax. cap. 28.
[c] De præscr. cap. 40.
[d] In Ose. 11. 12. 13. in Michæ. 1. in Zachar. 13. & alibi sæpè.

Quos propterea sic semper exhorruit Christianus Orbis, ut eos proprio vocabulo *Atheos* nominârit; homines *sine Deo in hoc mundo*, ut Apostolus [u] loquitur. Sic enim Arium Athanasius [x], Eunomium Hieronymus [y], Aëtium universa Ecclesia [z] nuncupavit. Hæcque vera, & potissima causa est, quòd Hæreses & vocentur, & sint Idola: nimirùm quòd Ecclesiæ magisterium contemnentes, (ut inquit Augustinus [a]) *sua phantasmata colunt; & quicquid animo errante cum superbiâ & tumore cogitando imaginati fuerint, religionis nomine observant, donec fiat in animâ nihil omninò colendum esse.* Ac rursùs Tertullianus [b]: *Sicut nationes manibus, ita hæretici verbis idola fabricantur; id est, alium Deum, & alium Christum.* Ac rursùm [c]: *Neque à diabolo immissa esse spiritalia nequitiæ, ex quibus etiam hæreses veniūt, dubitare quis debet; neque ab Idololatriâ distare Hæreses, cùm & auctoris & operis eiusdem sint, cuius & Idololatria.* Itémq; Hieronymus [d]: *Habent Hæretici deos suos; & quodcumque simulaverint, vertunt in idolum, & quasi sculptile colunt atque conflatile. Omnia eorum figmenta idola sunt, & simulacra Gentilium: nec multùm differunt in impietate, licèt in nomine discrepare videantur. Qui propter mentis superbiam, & falsorum dogmatum vanitatem, obliti sunt Dei sui, & finxerunt idola, & sequuti sunt deos alienos: dum quotidie quod colant reperiunt, & idola sibi artificis manu & curiosâ mente confingunt, & faciunt pro Christo adorare Antichristum.*

VI.
GRAVIORIBUS SUPPLICIIS DIGNI CETERIS INFIDELIBUS.
[e] L. damnato. C. de hæres.
[f] C. lib. 1. tit. 5. 7. 9. 11.

Denique ut in hâc strictâ & compendiosâ testatissimæ rei tractatione, ceteros omittam, quos longâ serie pronum esset adducere; ipsimet Christiani Imperatores [e] suis constitutionibus Hæreticos vetant *Christianorum appellatione abuti.* Et totis titulis [f] *De Hæreticis, Apostatis, Iudæis, & Paganis*, Hæreticos gravioribus suppliciis quàm ceteros Infideles subiiciunt. Itaque si inter pœnas reorum Maiestatis, proditorúmque, ac perduellium, seditiosorum, hostiúmque patriæ; itémque sacrilegorum,

impiorum, blasphemorum, alteriúsque Religionis sectatorum, ac gravissimorum criminum reorum; & antiquum, & omnium gentium fuisse viderimus, ut post ignominiosa mortis supplicia, insepulti turpiter abiiciantur: quis dubitaverit saltem eamdem, si non maiorem pœnam, Hæreticis iure esse debitam; quos palàm est, alios quoscumque Maiestatis reos, proditorésque ac perduelles, seditiosos, hostésque patriæ; itémque sacrilegos, impios, blasphemos, alteriusque Religionis sectatores, alios denique quorumcumque gravissimorum criminum culpabili malitiá labefactatos; gravitate criminis, & culpæ malitiá, longissimè antecedere? Si iustè sic puniuntur alia crimina in Republicá, quia proximum lædunt; quantò æquius, ut puniatur Hæreticorum sacrilega perfidia, quæ propriè offendit Dei, & Ecclesiæ sponsæ eius maiestatem? Nam ut illos denuò unà cum fortissimo martyre Cypriano [g], aliisque Patribus, & sacrâ Scripturâ, exagitemus; quod maius potest esse delictum, aut quæ macula deformior, quàm adversus Christum stare? quàm Ecclesiam eius, quam ille sanguine suo paravit, & condidit, dissipare? quàm Evangelicæ pacis ac dilectionis oblitos, contra unanimem & concordem Dei populum hostilis discordiæ furore pugnare? Quod gravius scelus, quàm fidem subvertere, veritatem corrumpere, pacem turbare, charitatem dissipare, sacramenta profanare, oves à pastore solicitare, filios à matre segregare, subditos de Ecclesiæ dominio rapere; quinimmò & arma contra eamdem ipsam Ecclesiam matrem [h] & dominam suam, Christi sponsam, portare, eique reniti & resistere; Cathedrámque Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserere: tunicam Domini inconsutilem, & individuam, dividere ac scindere: contra Dei dispositionem repugnare; adversus sacrificium Christi rebellare; pro fide perfidos, pro religione sacrilegos, inobsequentes servos, filios impios, fratres inimicos, sese exhibere? Quibus non pœnis, ac suppliciis digni, quos designat in Psalmis [i] Spiritus sanctus, sedentes in pestilentiæ cathedrâ: pestes & lues fidei, serpentis ore fallentes, venena lethalia linguis pestiferis

[g] *Ep. 72. ad Steph. PP. & de unit. Eccl. &c.*

[h] *Tertul. lib. ad Mart. in pr.*

[i] *Psal. 1.*

[k] 1. Tim. 2. evomentes: quorum ſermo [k] ut cancer ſerpit: quorum
tactus pectoribus & cordibus ſingulorum mortale virus
infundit? Quorum non criminum rei, quos ſacra Scriptu-
[l] Vid. Concord. ra [l] Serpentes, Genimina viperarum, Lupos, Canes, Vul-
Bibl. ſub his pes, Beſtias, peſtes, pſeudoapoſtolos, pſeudoprophetas,
nominibus. Antichriſtos, proditores, fures & latrones, prædones, de-
ſertores, & transfugas appellat, aliiſque plurimis eiuſmo-
di criminoſiſſimis titulis venturos prænunciat, ac vitan-
[m] Matth. 7. dos pronunciat? Diſcedite [m] igitur omnes, qui operami-
10. 11. 25. ni iniquitatem, & qui detrectatis audire vocem Eccleſię,
Luc. 10. & 13. quam Chriſtus Dominus in columnam [n] & firmamen-
[n] 1. Tim. 3. tum Veritatis conſtituit. Diſcedite maledicti in ignem
æternum, qui paratus eſt vobis, ac principi veſtro diabo-
lo. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium: cùm Prophetas,
Apoſtolos, & Evangeliſtas, ac paſtores, & doctores, quos
[o] Epheſ. 4. dedit [o] Deus ad conſummationem ſanctorum in opus
miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec oc-
curramus omnes in unitatem fidei; ut non circumfera-
mur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in aſtu-
tiâ ad circumventionem erroris; videritis in regno Dei,
[p] Luc. 13. vos [p] autem expelli foras. Amen dico vobis, tolerabi-
[q] Matth. 10. lius [q] erit in die Iudicij terræ Sodomorum & Gomor-
[r] Matth. 11. rhæorum, quàm vobis. Væ vobis; quia [r] ſi in Tyro & Si-
Luc. 10. done factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim
in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent; ac propterea
remiſſiùs eis erit in iudicio, quàm vobis; qui dereliquis-
[s] Hieron. in tis [s] Deum, ut libetis diis alienis: qui maledicitis [t] Chri-
Ierem. 19. ſto, perverſa credendo, & perverſiora blaſphemando:
[t] Id. in Ierem. qui peccatis [u] in Spiritum ſanctum, cùm fidem nefario
10. ſtudio impugnatis, quam ſufficientiſſimè probatam po-
[u] Th. 2. 2. q. teſtis, & debetis agnoſcere veram eſſe: qui gaudentes [x]
14. & ibi DD. in errore veſtro, tunc maximè gloriamini, quando Eccle-
[x] Hier. in Iſa. ſiæ contumeliam feceritis. Verumtamen ſcitote, quia ap-
23.
[y] Matth. 11. propinquavit [y] Regnum Dei; ut qui in cælum exaltami-
Luc. 10. ni, in infernum demergamini; ibique ſepeliamini in æ-
[z] Luc. 16. ternum, unà cum immiſericordi epulone [z], & cum pri-
mis omnium in Eccleſiam ac legitimum Pontificem
[a] Num. 16. Schiſmatis [a] auctoribus.

CAPVT II.

Hæreticos esse PRÆCISOS *à corpore Ecclesiæ; ac propterea indignos aliquo eius privilegio, & gratiâ.*

ALTERAM rationem, ob quam Ecclesia privare hæreticos consuescat sepulturâ Christiana, hanc fuisse diximus, quòd sint illi *Præcisi à corpore eiusdem Ecclesiæ;* ac proinde indigni, qui aliquo sacro membrorum eius privilegio, ac iure gaudeant. Porrò Hæreticos, atque Schismaticos, extra Ecclesiam esse, cùm vix probatione indigeat; nequis tamen aliquâ dubitatione pulsari possit, infertur primò ex eo quòd sanctos Patres vidimus eximere illos Christianorum numero. Si enim Christiani dici non possunt, sanè nec in Ecclesiâ constitui, cùm non possit Ecclesia Christiana nisi ex hominibus Christianis constare. Deinde ex eo quòd Paulus [b] Apostolus ad Timotheum scribens, ait *quosdam circa fidem naufragâsse*. Si enim naufragârunt, extra navim Ecclesiæ in mare deciderunt. Et Titum [c] monet, *Hæreticum hominem devitare, quia subversus est.* Non enim si adhuc esset intra Ecclesiam, vitari deberet, sed curari. Ac clarè Ioannes [d]; *Antichristi multi facti sunt; qui ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Neque enim modò disputamus de Hæreticis occultis, qui adhuc retinent externam societatem cum Ecclesiâ: (quamvis & ipsos non esse reverâ membra Ecclesiæ, ex iisdem Apostoli verbis, *non erant ex nobis*, & Patrum [e] interpretatione intelligatur:) sed de manifestis, qui vel proprio iudicio per schisma se ab unione Ecclesiæ, quam priùs colebant, separaverunt; vel ipsius Ecclesiæ sententiâ, per excommunicationem è consortio suo eiecti sunt: súntque *sarmenta præcisa à vite*, ut loquitur Augustinus [f]. Deinde cùm frequentissimè in antiquis Conciliis, ac Patrum scriptis, fiat mentio hæreticorum & schismaticorum *redeuntium* ad Ecclesiam,

I. HÆRETICI SUNT EXTRA ECCLESIAM.

[b] 1. Tim. 1.

[c] Tit. 3.

[d] 1. Ioan. 2.

[e] Aug. 3. de bapt. 19. & tract. 3. in ep. 1. Ioan. Adde Suar. tract. de Fid. disp. 9. sect. 1. num. 4.

[f] Lib. de pastor. cap. 8.

& ab Ecclesiâ *receptorum*; satis vel inde demonstratur, eos non fuisse tum è corpore Ecclesiæ, ad quam redirent, & à quâ reciperentur. Indéque apertè Cyprianus [g] de Novatiano hæretico ait, eum *simiarum more, quæ cùm homines non sint, homines tamen imitantur*, (vocaverat & anteà Ignatius scribens ad Antiochenos, hæreticos Simias hominum imitatrices) *Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem sibi & veritatem vindicare velle, quando ipse in Ecclesiâ non esset, sed extra Ecclesiam.* Et de Schismaticis Felicissimi sectatoribus: *Extra* [h] *Ecclesiam remaneant, qui de Ecclesiâ recesserunt.* Et Ambrosius [i]; *omnes hæreticos & schismaticos, à regno Dei, & ab Ecclesiâ intelligi separatos. Et ideò non Dei, sed immundi spiritûs, omnes schismaticorum hæreticorúmque esse conventus.* Paritérque Hieronymus [k]; *Sicubi audiantur ij qui dicuntur Christi, non à Domino* IESU *Christo, sed à quoquam alio nuncupari, ut puta Marcionitæ, Valentiniani,* &c. *eos non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam.* Et aliàs [l]: *Hæreticos in semetipsos sententiam ferre, suo arbitrio de Ecclesiâ recedentes. Inter Hæresim & Schisma hoc interesse, quòd hæresis perversum dogma habeat, schisma propter Episcopalem dissensionem, ab Ecclesiâ pariter separet.* Augustinus [m]: *Quicumque de capite & corpore* (hoc est, Christo, & Ecclesiâ) *ab Scripturis sanctis dissentiunt; rursúmque qui de ipso capite Scripturis sanctis consentiunt, & unitati Ecclesiæ non communicant, non esse in Ecclesiâ.* Et alibi [n]; *neque in confusione Paganorum, neque in purgamentis Hæreticorum, neque in languore Schismaticorum, neque in cæcitate Iudæorum, quærendam esse religionem; sed apud eos solos, qui Christiani Catholici, vel orthodoxi nominantur.* apertè significans, tam Hæreticos & Schismaticos extra Ecclesiam esse, quàm Paganos atque Iudæos, de quibus nulla fuit umquam dubitatio. Et apertiùs alio loco [o]: *Credimus & sanctam Ecclesiam; utique Catholicam: Nam & Hæretici, & Schismatici, congregationes suas Ecclesias vocant: sed Hæretici de Deo falsa sentiendo, ipsam fidem violant; Schismatici autem dissensionibus iniquis à fraternâ charitate dissiliunt. Quapropter nec Hæreticus pertinet ad Ecclesiam Catholicam, quæ diligit Deum; nec Schismaticus, quoniam diligit proxi-*

g Ep. 73. ad Iubaian.
h Ep. 40.
i L. b. 7. in Luc. cap. 11.
k Dial. cont. Lucifer. ad fi.
l In Tit. 3.
m De unit. Eccl. c. 4.
n De ver. relig. c. 5.
o De fid. & Symbol. c. 10.

mum. Et apertissimè Fulgentius [p] Petrum diaconum monet; *firmissimè tenendum, & nullatenus dubitandum, non solùm omnes Paganos, sed etiam omnes Iudæos, Hæreticos, & Schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros.*

[p] *De fid. ad Petr. cap. 38.*

II. IN QUIBUS HÆRESIS ET SCHISMA PRÆVALEANT.

Similia frequenter tam iidem, quàm alij Græci, Latinique Patres: quæ supervacaneum fuerit producere, cùm (ut diximus) vel ipsa notio vocum *Hæresis*, & *Schismatis*, luculentissimè significet eos propriâ electione ab Ecclesiâ præcisos esse. Quamvis si rem propiùs examinemus, certius videatur, Hæreticos absolutiùs extra Ecclesiam esse, quòd fidem lædant, quæ est propria forma Ecclesiæ, quæ unit Ecclesiæ membra; quàm Schismaticos, quamdiù veram fidem retinent. Qui cùm à Patribus extra Ecclesiam constituuntur; vel sæpè non distinguunt Hæreticum à Schismatico: (unde observat Hieronymus [q] post verba superiùs citata; cùm in principio Schisma aliquâ ex parte intelligi possit diversum ab Hæresi: tamen nullum Schisma non sibi aliquam confingere hæresim, ut rectè ab Ecclesiâ recessisse videatur:) vel de iis Schismaticis loquuntur, qui directè errant in iis, quæ ad unitatem Ecclesiæ, & Capitis eius, per se spectant. E-contrà verò etiamsi malitia Hæresis maior sit, quàm Schismatis; quia Hæresis est contra Deum directè, Schisma contra proximum: tamen ex circumstantiis, sæpè Schisma superare Hæresim, quia potest afferre maiora damna. ut etiam propterea hæc peccata sæpè (ut diximus) æquiparentur à Patribus [r].

[q] *In Tit. 3.*

[r] *Vid. etiam 24. q. 1. & Giovan. de Schism. cap. 3.*

III. EXCOMMUNICATIO PELLIT AB ECCLESIA.

Si igitur qui spontè partes contra Ecclesiam faciunt, nequaquàm possunt dici esse de Ecclesiâ: multò minùs cùm iidem per sententiam Ecclesiæ, quam dicimus EXCOMMUNICATIONEM, ex eâ pelluntur, poterunt inter eius membra recenseri. cùm præsertim non solùm Hæreticos Excommunicatos, verùm etiam universim omnes illos, qui aliquâ de causâ fuerint eâ censurâ perculsi, quamvis alioquin fidem retineant, ac profiteantur, desinere Ecclesiæ membris adnumerari, sit communis Theologorum sententia: præcisos videlicèt, non fortè

omninò à corpore Ecclesiæ, (quòd sint & viri graves è Catholicis, qui tam excommunicatos, quàm etiam hæreticos, in partibus & membris Ecclesiæ catenùs comprehendant, ut quamvis illius gratiam & vigorem non participent, sint tamen partes, seu membra effœta & emortua, instar rami sicci adhuc permanentis in arbore viridi; tam imbecilli nexu unita, ut extrà posita esse iure dici possint.) sed sanè præcisos penitùs ab eâ parte Ecclesiæ, quæ præter fidem, Fidelium quoque societatis, ac solemnium precum, suffragiorúmque, mutuâ communicatione coniungitur. Huc enim pertinet ipsius Domini [f] præceptum, quo iussit eos, *qui Ecclesiam non audierint*, haberi *tamquam ethnicos, & publicanos:* ut omnes tam antiqui, quàm novi Interpretes exponunt. Unde & confestim Dominus ad superiorum explicationem, & confirmationem; *Amen dico vobis* (inquit Ecclesiæ Pastoribus in personâ Apostolorum) *quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo:* hoc est, quemcumque ex iis qui nomen mihi dederunt, excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis vinculis constrinxeritis, manebunt illa vincula indissolubilia apud me in cælo: (comparatur enim Excommunicatio vinculo, quia privat communione Fidelium; non secùs ac ligatus homo vinculis, prohibetur uti liberâ ceterorum hominum consuetudine:) & quemcumque eieceritis ab Ecclesiâ, eiiciam & ego è cælo: quemcumque privaveritis communione Fidelium, privabo & illum societate beatorum: & ut erit ligatus manus & pedes, eiiciam in tenebras exteriores. Quam & ideò Tertullianus [t] *censuram divinam* vocat: *summumque futuri iudicij præiudicium* esse ait, siquis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventùs, & omnis sancti commercij relegetur. Et Paulus [u] Apostolus, cùm arguit Corinthiorum Ecclesiam, quòd incestuosum illum *de medio sui non sustulisset*, hoc est, ut omnes consentiunt, non excommunicâsset; clarè docet, eos qui excommunicantur præscindi ut putrida membra è corpore cui priùs inhærebant.

[f] *Matth.* 18.

[t] *Apolog. cap.* 39.

[u] 1. *Cor.* 5.

IV. Et clariùs cùm addit, se iudicâsse *tradere huiusmodi* peccatorem

catorem *satanæ*; id est, *extra Ecclesiam proiicere*, ut exponit Tertullianus [x]: *à Christi corpore separare*, ut Origenes [y], & Ambrosius [z]: *à corpore Ecclesiæ respuere*, ut Hilarius [a]: *de congregatione fratrum, & de domo Dei eiicere*, ut Hieronymus [b]: *excommunicatione plectere*, ut Augustinus [c]. Eadémq; & alij tam Græci quàm Latini in huius loci Paulini expositione: necnon & alterius, quo ad Timotheum [d] scribens, simili phrasi ait, se Alexandrum & Hymenæum *tradidisse satanæ*. Quò pertinet & quod citatur ex eodem Augustino [e], *omnem Christianum, qui à Sacerdotibus excommunicatur, tradi satanæ: quia extra Ecclesiam diabolus est, sicut in Ecclesiâ Christus: indéque illos, quos Apostolus satanæ esse traditos prædicat, excommunicatos à se esse demonstrare.* Ut enim & Hilarius [f] ait, *Ubi Deus non est, illic diaboli locus est.* Eâdémque de re Hieronymus [g]: *In veteri Lege quicumque Sacerdotibus non obtemperásset, aut extra castra positus lapidabatur à populo, aut gladio cervice subiectâ contemptum expiabat cruore: nunc verò inobediens spirituali mucrone truncatur, aut eiectus de Ecclesiâ rabido dæmonum ore discerpitur.* Excommunicatos enim olim dæmoni traditos, visibiliter etiam ab eo corripi, & corpore divexari solitos, secundùm quod Paulus ait, tradere se satanæ *in interitum carnis*: multi ex Patribus [h] scribunt. Sicuti & similibus pœnis tunc temporis affici consuevisse, qui sacram Eucharistiam indignè sumebant, idem Apostolus [i] signanter expressit: súntque crebra exempla in Vitis Patrum de promptâ invasione dæmonum in eos, quos sancti Episcopi eorum potestati tradidissent. Et observat Thomas [k], dedisse Christum [l] Apostolis potestatem spirituum immundorum; scilicèt tam ad eos immittendos in vexationem corporum, quàm ad eos inde expellendos. Quemadmodùm à contrario gratiam etiam Spiritûs sancti, quæ in Baptismo communicabatur, signo externo significari solitam fuisse constat. Sed ut ut istud tunc fuerit; sanè satis traditur satanæ, qui per Excommunicationem privatus communibus Ecclesiæ suffragiis, & adiumentis, quibus Fideles muniuntur adversus dæmonum incursiones, (ut dicetur inferiùs) exponitur tentationibus, & illusionibus, ac

TRADI SATANÆ QUID SIT.

[x] De pudicit. cap. 13.
[y] Hom. 2. in lib. Iudic.
[z] 1. de pœnit. 14.
[a] In Psal. 118. vers. 121.
[b] In Ezech. 17.
[c] De fid. & oper. cap. 26.
[d] 1. Tim. 1.
[e] c. omnis Christ. 11. q. 3.
[f] In Psal. 118.
[g] Ep. 1.
[h] Orig. in Ezech. 17. Ambros. 1. de pœnit. 14. Chrysost. Theodor. &c in 1. Cor. 5. & 1. Tim. 1.
[i] 1. Cor. 11.
[k] S. Th. in Cor. 5.
[l] Matth. 10.

denique potestati dæmonum; qui sine dubio maiorem accipiunt potestatem in hominem per excommunicationem, quàm per peccatum. *Qui enim ab Ecclesiæ corpore respuuntur, quæ Christi est corpus* (inquit Hilarius [m]) *tamquam peregrini, & alieni à Dei corpore, dominatui diaboli traduntur: qui insidians atque obsidens, ubi adeundi oportunitatem habuerit, tamquam vacuam Deo domum occupet, quæ ei Deo eam deserente sit tradita.* Quare & quod Augustinus [n] conferens quod dictum est in veteri Lege [o], *Auferes malum de medio tui*, cum eo quod dicit Apostolus [p], *Auferte malum ex vobis*; observat *hoc nunc agere in Ecclesiâ Excommunicationem, quod agebat tunc interfectio*: & Cyprianus [q] exponens quod Deus [r] interfici iussit eos qui Sacerdotibus suis non obtemperarent; ostendit, in locum gladij materialis, successisse in Ecclesiâ *spiritualem gladium, quo contumaces necantur, dum de Ecclesiâ eiciuntur*: necesse omninò est asserere; sicut per mortem separatur planè homo ab omni conversatione hominum, ita & per Excommunicationem ab eâ vitâ, quâ vivitur à fidelibus in Ecclesiâ. *Neque enim* (inquit ibidem Cyprianus) *vivere foris possunt, cùm domus Dei una sit, & nemini salus esse nisi in Ecclesiâ possit.* Idémque Hieronymus [s] alibi; *adulteros, homicidas, & cetera vitia per Sacerdotes de Ecclesiâ propelli*, quemadmodùm *hæretici suo arbitrio de Ecclesiâ recedunt.* Lucifer [t] quoque id vocat *exscindere, præscindere, proiicere, abiicere de corpore Ecclesiæ.* Et ante illos Tertullianus [u], *ab Ecclesiâ, & ab omni communicatione fraternitatis arcere: limine, & omni Ecclesiæ tecto submovere: extra gregem dare, & de Ecclesiâ expellere: de Ecclesiâ auferre: de Ecclesiâ eradicare*: & aliis huiusmodi periphrasibus; quibus apertè demonstratur, eos qui excommunicantur proiici extra Ecclesiam; nec ampliùs esse Ecclesiæ membra, quamdiù non (ut idem auctor [x] loquitur) *postliminio concorporati rursus* fuerint *Ecclesiæ, & in eam revocati.* Quemadmodùm & Cyprianus [y] id vocat *eiicere, excludere, pellere de Ecclesiâ, separare à Christi corpore*, & alia id genus: quæ non minùs trita sunt in ceterorum Patrum scriptis, & Conciliorum decretis.

[m] In Psal 118.
[n] q. 39. in Deuter.
[o] Deuter 24
[p] 1. Cor. 5.
[q] Ep. 62.
[r] Deuter. 17.
[s] In Tit. 3.
[t] Tract. de non conven. cum hæret.
[u] De idol cap. 11. ad uxor. lib. 2. cap 3. de pudic. cap. 4. 7. 14. 20.
[x] De pudic. cap. 15.
[y] Ep. 49. & 62 & lib. de orat. Dom.

V. Quibus, quæ frequentissimè usurpatur vox *Anathema*.

in hæreticos, & delinquentes, eâdem significatione accipitur: interpretante præter alios Chrysostomo [z], ut quemadmodùm Anathema, nempè donum Deo dicatum, & locis sacris suspensum, (id enim ea vox propriè significat) nemo est qui temerè manibus contrectare audeat, neque ad id propiùs accedere; sic & is qui ab Ecclesiâ separatur, ab omnibus abscissus, ac tamquam longissimè abductus, eodem nomine, à contrario scilicèt, appelletur; & ab eo, tamquam ab homine à Deo alienato, detestationis causâ omnes abstineant. Sunt tamen, qui id discriminis in his constituant, ut quando hæc vox in bonam partem sumitur, tunc scribatur per η, ἀνάθημα; quando in malam, per ε, ἀνάθεμα. Sed nos ea relinquimus Grammaticis: cùm alioquin observatum sciamus, ἀνάθεμα aliquoties in bonam etiam partem usurpatum reperiri; ἀνάθημα aut numquam, aut perraró in malam. Nec tamen omninò prætereunda distinctio *Excommunicationis*, & *Anathematis*. Quam cùm nonnulli [a] Theologi, atque Iurisconsulti, ex variis diversorum canonum loquendi modis exquirentes, vel eam ponant (sed præter mentem canonum) ut per Anathema designetur maior aliqua denunciandæ excommunicationis solemnitas; vel meliùs, ut Excommunicatio etiam de minori intelligatur, Anathema numquam nisi de maiori: est præterea alia [b], haud illis animadversa; ut omnis Excommunicatio iurisdictionem importet, non omne Anathema. Præter enim Anathema iudiciarium, quod nimirùm solis fas est Iudicibus Ecclesiasticis exercere; (hoc est, quibus facultas est sententiam ferre de rebus ad fidem & religionem pertinentibus) est etiam aliud Anathema (ut ita dicam) executorium, applicatorium, & abiuratorium, quod quibuslibet etiam Fidelibus laicis competit; dum protestantur, & declarant, se confirmare sententiam ab Ecclesiâ latam in personas, aut doctrinas, quas ipsa iudicialiter anathematizavit, eásque abiurare, & detestari. Prioris generis Anathemata sunt, quæ in Synodis Episcoporum, aliisque Iudiciis Ecclesiasticis passim occurrunt; habéntque in rei substantiâ eamdem vim & significationem,

[z] *Hom. 16. in Rom.*

ANATHEMA QUID SIT.

QUID DIFFERAT AB EXCOMMUNICATIONE.

[a] *Vid Navar. tract. de dat. & promis. num. 10. Sayr. in Thesaur. lib. 1. cap. 3. num. 5. Suar. de censur. disp. 8. sect. 1. & alios ab iis citatos.*

[b] *Ap. Card. Perron. in Resp. ad Reg. maior. Brit. lib. 1. cap. 27.*

quam quæ dicitur Excommunicatio. Posterioris exempla sunt, (ut ex quamplurimis pauca proferam) cùm Iustinianus Imp. suis constitutionibus [c] *omnes, qui à sacris Conciliis damnati, & anathematizati sunt, & damnatorum dogmata, eósque qui eadem ac ipsi senserunt, aut sentiunt, anathematizat:* Cùm in Concilio Oecumenico Ephesino [d], plurimi laici à sectâ Quartodecimanorum ad Ecclesiam redire cupientes, *omnem hæresim, & præcipuè Quartodecimanorum anathematizant:* Cùm his ipsis temporibus post sacrosanctum Concilium Tridentinum, quicumque sive laicus, sive clericus, ab hæresi ad Ecclesiam Catholicam revertitur, profitetur [e], *se quascumque hæreses ab Ecclesiâ damnatas, reiectas, & anathematizatas, pariter damnare, reiicere, & anathematizare:* Cùm denique (ut primordia repetam) Paulus [f] Apostolus ipsis etiam Angelis cælestibus, siquid præter receptum semel Evangelium prædicarent, *anathema* dicit, in quos sanè nullam habebat iudicialem iurisdictionem. Sed hæc obiter.

[c] L. 5. 6. 7. C. de Sum. Trin. Edict. de fid. Cath. in Act. Syn. V. Oecum.
[d] Par. 2. act. 6.
[e] Profess. Fid. quæ est post Conc. Trid.
[f] Gal. 1.

VI. VARIA EXCOMMUNICATIONUM GENERA APUD GENTES ANTIQUAS.

Exemplo igitur Apostoli, & Domini auctoritate, receptus in Ecclesiâ Excommunicationis usus, quos percutit, eosdem à corpore Christi mystico abscindit. More etiam antiquiori, apud Iudæos frequentato; ut cùm quis immane aliquod scelus perpetrâsset, non solùm à templo, sed etiam à Synagogis arceretur; hoc est, sacris conventibus interdiceretur, tamquam indignus qui populo Dei adnumeraretur: sicuti in Evangelio [g] legimus, decretum à Iudæis fuisse in eos, qui Iesum confiterentur esse Christum: & ab ipso Christo [h] Domino prædictum Apostolis, fore ipsos eâ pœnâ mulctandos à Iudæis, tamquam omnium ignominiosissimâ. Eamdémque in expulsione Adami de paradiso adumbratam fuisse, Hieronymus [i], & alij post eum adnotârunt: itémque in leprosis [k], qui extra castra excludebantur. Ut omittamus, quæ de gravissimâ ab Essenis [l] (Iudæis illis religione, an Christianis?) usurpatâ eiusmodi coërcitione; deque devotione [m] Diti, seu diris, Gentilium Romanorum: eorumdémque [n], pariter ac Græcorum, interdictione tecti, & aquæ, & ignis: atque animadversione Druidarum [o],

[g] Ioan. 9. & 12.
[h] Ioan. 16.
[i] In Ose. 6.
[k] Levit. 13.
[l] Ioseph. 2. de bel. 7.
[m] Dionys. li. 2.
[n] Cic. or. pro domo. Lact. lib. 2. cap. 10. Plutar. de invid. & odio.
[o] Cæs. de bel. Gall. lib. 6.

Taprobanisque [p] insulanorum: & quam Plato [q] in communicantes cum parentum percussoribus statuit: aliisque eiusmodi severissimis, & formidolosissimis variarum gentium pœnis, quibus graviorum scelerum reis, ceterorum hominum consortio, sacrisque omnibus, & rerum ad victum necessariarum usu interdicebatur; antiqui auctores habent; quamvis possint & censuris nostris aptari.

[p] Plin. lib. 6. cap. 21.
[q] De leg. 9. in fi.

VII. QUIBUS REBUS PRIVENTUR EXCOMMUNICATI.

Haud tamen omittimus dicere breviter; (subtiliores enim harum rerum discussiones, quæ diligentissimè à Theologis tractantur, haud nobis modò necessariæ) non ita Ecclesiam per Excommunicationem abscindere à se quemcumque illâ ferit, ut omninò à populo [r] Dei excludat, aut omnia tollat bona Christianitatis, vel fraternitatis Fidelium. Potest enim excommunicatus, præter baptismum, qui semel susceptus numquam deleri potest, retinere etiam fidem, si alioquin illam non abiiciat per hæresim, aut apostasiam: potéstque etiam charitatem habere, cùm resipuerit ab excessibus illis, propter quos plexus est; ceteràsque virtutes Christianas, quamdiù illas per peccatum mortale non amiserit. Adeò ut cùm multiplex inveniri possit [s] communicatio inter Fideles, putà una civilis, ac merè politica, quæ consistit in mutuâ salutatione, confabulatione, communi mensâ, & huiusmodi humanæ societatis externis actionibus: altera sacra; tam exterior, quæ consistit in bonis spiritualibus Ecclesiæ, in participatione eorumdem sacramentorum, usu eiusdem sacrificij, & communicatione orationum publicarum, aliorúmque officiorum, & suffragiorum, quæ ex peculiari Ecclesiæ intentione pro Fidelibus fiunt, vel ad satisfactionem pro pœnis temporalibus, vel ad impetrationem aliquorum bonorum, ac præsertim spiritualium: quàm interior, quæ consistit in fide, & charitate, per quam Fideles inter se & cum Christo mysticè copulantur, ac ratione huius unionis sibi invicem communicant bona omnia spiritualia; quemadmodùm in corpore naturali singula membra participant bona totius corporis: Excommunicatio privat quidem, tam communicatione civili, quàm sacrâ exteriori, ut nec actu, nec iure, possit

[r] Vid. August. lib. ad Donat. post Collat. de corrept. & grat. cap. 15. de ver. relig. cap. 6.
[s] Tractant ista pleniùs Theologi recentiores, antiquiorum auctoritate. Sed de multiplici communione veteris Ecclesiæ, & tam Ecclesiasticâ quàm Laicâ & peregrinâ, quarum discussio non est huius loci, simul & de antiquis Excommunicationis generibus, ac modis; nemo diligentiam & acumen Albaspini Episcopi Aurelianensis (heu! quondam amici nostri) penetraverit. Vide eius observationes de veteribus Ecclesiæ Ritibus, lib. 1. & 2.

excommunicatus illâ frui; ac proinde abiicit eum extra cœtum Fidelium, privátque omnibus illis bonis, quæ ex conversatione, & suffragiis Ecclesię procedunt, quamdiù excommunicatus permanet, etiamsi sit contritus, & in gratia; (Loquentes enim de Excommunicatione, maiorem semper intelligimus, communi Theologorum consuetudine: minor enim, ut vocant, privat tantùm participatione passiuâ sacramentorum, non etiam communicatione, & consortio seu civili seu sacro Fidelium:) at eum qui contritus est, licèt nondum sit absolutus, non privat internâ illâ communicatione, quæ in gratiâ & charitate fundatur; quia illa minimè amittitur, nisi per peccatum mortale, à quo quis divino auxilio resurgere valet per contritionem, etiam antequàm restitutus fuerit Ecclesiæ, ac communicationi Fidelium, per sententiam absolutionis. Sicuti etiam non impedit, quin possit privatim [t] orari pro illis, quamvis non per orationes quæ pro membris Ecclesiæ fiunt: quomodò & licet orare pro Ethnicis, & publicanis, & quibuscumque infidelibus. Quippe Ecclesia per Excommunicationem, non peccatores perdere, sed sanare cupiens; eos abs se abiicit, ut cùm animadverterint se à consortio sanctorum segregari, & in summo animæ periculo versari, confundantur, & timeant; hâcque confusione, hócque timore discant resipiscere: *tradit satanæ* (uti loquitur Paulus [u]) *ut spiritus salvus sit in die Domini*; & [x] *ut discant non blasphemare*. Et ita omnes exponunt tam Græci, quàm Latini. Sunt enim παθήματα, μαθήματα. Et ut ait Propheta [y]; *Cùm fecerit Dominus iudicia in terrâ, iustitiam discent habitatores orbis: Si verò misereamur impio, non discet iustitiam.* Quâ de re eleganter Origenes [z]: *Peccavit quispiam, & post peccatum postulet communionem. Si ei conceditur quod rogat, in incommodum omnium venia procedit; & laxatis frenis, sceleribus panditur via. Sin verò cum rationabili deliberatione, non ut misericors, nec rursùm ut crudelis iudex, sed & quasi uni providens, & de omnium salute pertractans, consideraverit populi damnum in unius veniâ; haud dubium est, quin faciat eiici unum de Ecclesiâ, ut multos salvet incolumes. Age nunc, considera mihi & me-*

DISCRIMEN MAIORIS ET MINORIS EXCOMMUNICATIONIS.

EXCOMMUNICATIO INFLIGITUR IN SALUTEM.

[t] Vid. S. Th. in 4. dist. 18.

[u] 1. Cor. 5.

[x] 1. Tim. 1.

[y] Isa. 26.

[z] Hom. 9. in Ierem. 13.

dicum, si cessaverit à sectione eius vulneris quod secandum est, si non usserit id quod indiget cauterio, videlicèt propter dolores qui ex talibus remediis consequuntur; quomodo crescat infirmitas, & in deterius vetus humor exuberet. Si verò, ut ita dicam, temerarius ad vulnus sector accesserit, & inusserit plagam, curat eum qui secatur & uritur, quia paululùm severitatis assumpsit, licet visus fuerit ægrotanti ad horam non misereri.

VIII. EXCOMMUNICATIONE NULLA MAIOR POENA.

Quare & quod *hâc pœnâ* (sicut ait Augustinus [a]) *in Ecclesia nulla maior* existat; *graviórque* [b] *sit, quàm si quis gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subiiceretur:* sapienter planè idem Sanctus [c], *nihil sic debere formidare Christianum* dixit, *quàm separari à corpore Christi. Si enim separatur à corpore Christi, non est membrum eius: si non est membrum eius, non vegetatur spiritu eius: quisquis autem Spiritum eius non habet, hic non est eius.* Cunctique Patres hoc gravissimum omnium vulnus considerantes, non nisi *magno cum pondere* (ut loquitur Tertullianus [d]) infligendum esse monuerunt. E quibus Ambrosius [e]: *Cum dolore amputatur etiam quæ putruit pars corporis, & diu tractatur si potest sanari medicamentis: si non potest, tunc à medico bono abscinditur. Sic Episcopi affectus boni est, ut optet sanare infirmos, serpentia auferre ulcera; adurere aliqua, non abscindere; postremò quod sanari non potest, cum dolore abscindere.* Et Chrysostomus [f]: *Nullum volumus apud nos esse vinctum: sed si necesse habuerimus, ignoscite. Non enim lubentes, nec volentes; sed magis quàm vos vincti, dolentes vincula iniicimus.* Ac Leo [g] Papa: *Nulli Christianorum communio facilè denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium Sacerdotis, quod in magni reatus ultionem invitus, & dolens quodammodò, debet inferre animus vindicantis.* Non enim Ecclesia, nisi ex gravissimâ [h] causâ, nec nisi publicè peccantibus, vel quos admonitionibus senserit contumaces, nec aliter coërcere potest, consuevit eiusmodi notam inurere. Secundùm quod Dominus [i] ipse admonuit, ut tum demùm peccatores pro Ethnicis & publicanis habeamus, cùm ab Ecclesiâ moniti eam audire contempserint: & Apostolus [k], non nisi *inobedientiam* ulcisci docet.

[a] De corrept. & grat. c. 15.
[b] Id. lib. 1. cont. advers. leg. & prophet. cap. 17.
[c] Tract. 27. in Ioan.
[d] Apolog. c. 39.
[e] 2. Offic. 27.
[f] Hom. 4. in ep. ad Hebr.
[g] Ep. 89. ad Epis. per Vien. provin. constit.
[h] Vid. 11. q. 3. c. nemo Epis. cum plur. seqq. Conc. Trid. sess. 25. c. 3. de reformat.
[i] Matth. 18.
[k] 2. Cor. 3.

IX. Ceterùm propriam Hæreticorum pœnam, Excommunicationem esse, ex iis quæ dicta sunt superiùs satis intelligitur; cùm sint ab Ecclesiâ præcisi, & extra illam errent, privati omni consortio tam exteriori quàm interiori Fidelium, omnibúsque omninò bonis quæ ex huiusmodi consortio & communicatione emergunt, quamdiù ipsi permanserint in hæresi. Esséque Excommunicationem in Hæreticos latam, antiquissimam omnium excommunicationum, quæ iure canonico sunt constitutæ; insinuatur à Gelasio [l] Primo, cùm ait, in Acacium, quòd non esset inventor novi erroris, sed veterjs imitator, non fuisse novam sententiam ferendam, *sed antiquam tantummodò renovandam*. Siquidem ex quo tempore cœperunt Concilia in Ecclesiâ celebrari ad extirpandas hæreses, æquè introductam esse consuetudinem excommunicandi, & anathematizandi Hæreticos, videre est in singulorum decretis. Quinimmò esse Hæreticos ipso iure & facto excommunicatos, constat ex canonibus [m] Ecclesiasticis, quibus omnes hæretici, quocumque nomine censeantur, & quocumque damnato errore infecti fuerint, *excommunicantur, & anathematizantur*. Hæcque eorum damnatio repetitur singulis annis à Summis Pontificibus in Bullâ, quæ publicè Romæ legitur in die Cœnæ Domini. In tantum ut etiam eorum *credentes, receptatores, fautores, & generaliter quilibet eorum defensores*, eodem mucrone feriantur. Nam quod aliqui ex verbis Pauli [n] Apostoli, *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita*, colligunt eos non esse ipso facto excommunicatos, sed præcedere debere monitionem; verum id quidem fuerit, quando primùm hæreses oriri cœperint, nondum ab Ecclesiâ damnatæ: itémque de Hæreticis, quorum pertinacia ante monitionem non satis nota fuerit: at non de iis, qui in prædamnatas hæreses incidunt, & subversos se manifestò ostendunt. Itémque verum fuerit de Excommunicatione, quæ fertur ab homine, (ut loquuntur) quæ requirit [o] præviam monitionem: at non de illâ, quæ fertur à iure; quia ius ipsum, quo statuitur, quosvis hæreticos

EXCOMMUNICATIO, PROPRIA, ET ANTIQUISSIMA, HÆRETICORUM POENA.

[l] cc. Acacius. 1. & 3. 24. q. 1.

[m] c. sicut ait. c. ad abolendam. cc. excommunicamus. 13. & 15. ex. de hæret.

HÆRETICI SUNT IPSO FACTO EXCOMMUNICATI.

[n] Tit. 3.

[o] c. in præsentiâ. & c. sacro. ex. de sent. excom.

ticos esse excommunicatos, est instar præviæ monitionis. Nec si non fuerint modò hæretici publicè excommunicati, sunt propterea minùs vitandi, prætextu Constitutionis [p] *ad evitanda* Martini Quinti, quâ vitatio restringitur ad notorios percussores clericorum, & nominatim excommunicatos. Ut enim vitentur hæretici, sufficit ut declarati fuerint hæretici, absque denunciatione censuræ: quia secundùm ius antiquum, & communem Fidelium existimationem, eo ipso quòd aliquis habetur hæreticus, habetur etiam ipso facto præcisus, & excommunicatus; quia notissimum omnibus est, excommunicationem iuris non separari ab hæresi.

[p] *Ext. in Conc. Basil. sess. 20.*

X.

An et Iure divino.

Ut etiam non defuerint [q], qui propter frequentes Christi, & Apostolorum monitiones de vitandis hæreticis, quas posteà referemus, asseruerint hæreticos esse etiam de Iure Divino excommunicatos. quos sanè nemo negârit, in divinis, & sacris ad doctrinam & religionem spectantibus, necnon quandocumque ex nimiâ cum iis etiam in rebus ceteris familiaritate, vel proprium imminet spiritale exitium, vel proximi offensio, vel ipsorum hæreticorum in errore confirmatio; esse iure divino vitandos à Fidelibus: Et alioquin ex iisdem, aliisque Scripturæ testimoniis, omninò intelligatur, esse Iuri divino admodùm conforme, ut hæretici excommunicatione plectantur ab Ecclesiâ; tum in pœnam ipsorum, quòd iniuriosi sint in Ecclesiam, non solùm sese *proprio* [r] *iudicio* ab eius unitate præscindentes, verùm etiam errores illi attribuentes: tum in exemplum simul & utilitatem ceterorum, ut sibi ab eiusmodi ignominiâ timentes, abstineant à simili crimine, & caveant ne eorum consortio contagionem trahant, *quorum sermo* [s] *ut cancer serpit*: tum denique in ipsorummet Hæreticorum emendationem, quia *vexatio* [t] *dat intellectum*.

[q] *Eck. in Enchir. Dried. lib. 2. de lib. Chr. cap. 8. & alij.*

[r] *Tit. 3*

[s] *2. Tim. 2.*

[t] *Isa. 28.*

XI.

Ex prædictis intelliguntur privandi sacra Sepultura.

Cùm autem quamdiù permanent in obstinatione, nihil pertineant ad Ecclesiam, nisi in quantum ratione subiectionis semel in baptismo iuratæ, manent semper (ut dictum anteà) obnoxij pœnis ab eâ in ipsos decretis: quid

eis, si in errore moriantur, cum sepulturâ sacrâ, quam non nisi conferre licet iis, qui in fide & charitate permanent, quas ipsi eiurârunt? quid cum præmiis & muneribus, quibus nulla ampliùs pars in Ecclesiâ, quàm pœnarum, & suppliciorum subeundorum? quibus & ipsimet Imperatores [u] *nihil ex moribus, nihil ex legibus commune esse debere cum ceteris*, pronunciarunt? quos leges [x] omnibus immunitatibus privant, intestabiles & infames reddunt, commerciis excludunt, aliisque quamplurimis pœnis subiiciunt? Nec enim recèns, sed antiquitùs *sacris* [y] *canonibus institutum, ut careant Ecclesiasticâ sepulturâ, qui priùs erant ab Ecclesiasticâ unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint*. Idémque specialiter statutum reperitur [z] de *Hæreticis, & fautoribus eorum*: sed cum duplici (ut ita dicam) gravamine in detestationem hæresis: nempè ut qui hæreticum Ecclesiasticæ sepulturæ tradiderit, non solùm excommunicationem incurrat, sicut & qui excommunicatum [a] sepelierit; verùm etiam absolvi ab eâ excommunicatione non possit, nisi propriis manibus publicè extumulet, & proiiciat eiusmodi corpus damnatum: & locus ille perpetuâ careat sepulturâ. Cùm autem huius iuris ratio insinuetur, *quia quibus non communicamus vivis, nec mortuis communicare debemus*: (quæ verba ab Innocentio [b] Tertio, & ante eum ab Urbano [c] Secundo, etiámque anteà à Gelasio [d] Primo ex Magno Leone [e], eodem sensu usurpata noscuntur) iam eorum occasione Tertia nobis tractanda venit constituta Ratio, ob quam Ecclesia Hæreticos sacrâ sepulturâ privandos iudicavit.

[u] *l. 4. C. de hæret.*
[x] *Tit. de hæret. C. Th. & Iustin. & in plurib. Novel.*
[y] *Cap. sacris. ex. de sepult.*
[z] *Cap. 2. de hæret. in 6.*
[a] *Clem. 1. de sepult.*
[b] *Cap. sacris. de sepult.*
[c] *c. sanè quod. 24. q. 2.*
[d] *c. quicumque. 11. q. 3.*
[e] *c. 1. 24. q. 2. Leo ep. 92. ad Rustic. Narbon. cap. 6.*

CAPVT III.

COMMUNICATIONEM *cum Hæreticis, ac præcipue in rebus sacris & religiosis, esse vitandam, probatur auctoritate Scripturæ, Synodorum, & Patrum.*

QUANTOPERE sit nobis, omnium Excommunicatorum, sed maximè Hæreticorum, in vitá communicatio fugienda; & sacræ Scripturæ auctoritate, validissimarum rationum pondere roboratâ; & Patrum ac Doctorum Ecclesiæ disputationibus; & veterum Christianorũ exemplis, apprimè efficacissimè docemur. Namque de Hæreticis agentes, qui Christiani videri, & appellari gestiunt, ita in his procedendum esse visum est nobis, ut quâvis & Fideles illos, qui Christi Domini adventum præcesserunt, Christianos non incongruè nominare possimus; quoniam nõ nisi per eamdem [a] fidem liberati sunt, per quam liberamur & nos; fidem scilicèt Christi, cuius Incarnatio eis futura prænunciabatur, sicut nobis facta annunciatur; ac proinde una sit ab initio mundi Christi Ecclesia: non tamen repetamus antiquiora illa sæcula, quæ præterierũt à primo tempore, quo cœperunt fundari duæ illæ Civitates, hoc est, duæ societates hominum; (ut loquitur Augustinus [b]) quarũ est una, quæ prædestinata est in æternum regnare cum Deo, altera æternum supplicium subire cum diabolo; usque ad ipsiusmet Christi Domini prædicationem in terris, quando cœpit Ecclesiam suam, propriori ratione, ac denominatione Christianam dictam formare, & instruere: etiamsi certissima iuxtà & clarissima reperiantur iis sæculis divina præcepta separationis Fidelium ab Infidelibus, & cuiusvis cum iis consortij; quæ congruentissimè aptentur in Hæreticos & Schismaticos; tum quòd eadẽ sit ratio secessionis ab unâ specie infidelitatis, quæ ab aliis; tum maximè quòd Hæreticos & Schismaticos longè ceteris Infidelibus detestabiliores esse superiùs demonstraverimus. Quinimmò ut I.

[a] Aug. ep. 89. cont. Pelag.

[b] 15. de civit. 1.

etiam leniùs cum hodiernis Hæreticis agamus, quos præcipuè per nostram istam disputationem convictos volumus; ex immensâ posteriorum temporum, & præceptorum copiâ, non nisi quædã insigniora referre decrevimus, quæ magis præstantiâ suâ inducant Hæreticos ad pœnitentiam, quàm multitudine & mole obruant ad duritiem.

II. Initium ducemus ab ipso Capite CHRISTO Domino: qui de variis gradibus fraternæ correptionis discipulos [c] suos instruens, postquàm peccatorem obstinatum, contemnẽtem omnem amicam admonitionem, ad iudicium Ecclesiæ remittendum docuit, demùm addit: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* alludens videlicèt ad consuetudinem Iudæorum, inter quos versabatur; qui non solùm ab Ethnicorum, utpotè à Dei cognitione & veræ religionis cultu planè alienorum, verùm etiam à Publicanorũ, quos pro infamibus habebant, cõsuetudine abstinebant. Publicani enim ubiq; in Evangelio in exemplum extremæ nequitiæ ponuntur: ex opinione nimirùm Iudæorum, qui eos qui tributa ab ipsis exigerent, summo odio prosequebantur; tum quòd sit istud hominum genus plerumque avarum, crudele rapax, fraudulentum, violentum; tum verò maximè quòd qui in Iudæâ erant, Iudæi ferè cùm essent, nullâ religionis habitâ ratione, Romanis Ethnicis & alienigenis operam suam locarent ad tyrannicam fratrum suorum oppressionem: quos & prætereà constat immunes se asseruisse ab omni tributo & vectigali, præter illud quod pendebant sacerdotibus suis & templo: dicente [d] Scripturâ, *Non erit vectigal pendens ex filiis Israel.* Unde & illa facta [e] Christo fraudulẽta quæstio, nùm liceret tributum dare Cæsari: quam ille divinissimè magna interrogantiũ confusione solvit. Cùm igitur iubet CHRISTUS, ut qui Ecclesiam non audierit, non habeatur ampliùs ut frater, sed ut Ethnicus & publicanus; manifestè suos docet, ut quemadmodùm Iudæi pollui se arbitrati, si quando Ethnicorum, aut infamium hominum consortio utebantur, summâ cautione illos vitabant: ita & ipsi omni eorum consortio abstinere debeant, qui Ecclesiæ auctoritatem contempserint,

[c] *Matth. 18.*

CHRISTUS IUBET VITARI HÆRETICOS.

PUBLICANI IN EXECRATIONEM IUDÆIS.

[d] *Tertul. de pudic. cap. 9. ex Deuter.*

[e] *Matth. 22. Marc. 12. Luc. 20.*

séque ab eâ spontè segregaverint per schisma, aut hæresim; vel quos ipsa, ut impœnitentes, & insanabiles, ac contagiosos, indignósque Christianorum nomine, à se abiecerit: quales esse vidimus omnes quos Ecclesia excommunicat, excommunicatorum verò maximè hæreticos. Postmodúmque idem Dominus [f], cùm signa manifestâsset discipulis suis excidij Ierosolymitani, transitum faciens ad subsequentia inde tempora usq; ad mundi finem, (ut communi plerique omnes consensu antiqui Interpretes exponunt) diligentissimè eosdem monet cavere sibi à venturis hæreticis: *Tunc* (inquiens) *siquis vobis dixerit, Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ; & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere.* Crebra etenim ista denunciatio satis docet, quantoperè velit Dominus vitari pseudoprophetas & hæreticos: omnibúsque adimit omnem excusationem, si se sinant in errorem induci ab iis, qui se Christos esse, aut Christum alibi quàm in Ecclesiâ prædicare mentiuntur. Quippe sicut quisquis post ipsum se Christum asserturus erat, non Christus futurus erat, sed Antichristus; (quo etiam nomine vocantur omnes hæretici in Scripturâ [g]) ita omne corpus Christi mysticum, præter corpus ipsius, quod est Ecclesia, quantumcumque se Ecclesiam esse iactaret, non Ecclesia, sed Synagoga satanæ, id est, non Christi, sed Antichristi corpus futurum esset; quocumque loco, quocumque habitu, quâcumque ratione, se pro tali venditaret.

f Matth. 24.

g Ioan. ep. 1. & 2.

III. IOANNIS APOST. MONITIO DE VITANDIS HÆRETICIS.

Magistrum sequutus charissimus Discipulus, qui supra pectus Domini in cœnâ recubuit, & fluenta Evangelij de ipso sacro eiusdem Dominici pectoris fonte potavit; in alterâ [h] Epistolarum suarum Catholicarum signanter monet, iubétque; *Siquis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert,* (Christi scilicèt, in Ecclesiâ prædicatam, & receptam) *nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis.* En præceptum: audi rationem: *Qui enim dicit*

h Ioan. ep. 2.

illi Ave, communicat eius operibus malignis. Altiores enim spiritus concipiet, si vestro illum hospitio dignati fueritis: & quæ est natura hæresis, mox tamquam lupus (Hæreticos enim frequentissimum est lupis assimilari à Christo, Apostolis, Patribus, propter vafritiem, & sævitiam) totam domum, & familiam, fallacibus disputationibus, & cruentis seditionibus vastabit. cùm & dicantur [i] lupi vocem eripere hominibus illis, quos videndo prævenerint. Cùm verò econtrà, si homo priùs illos viderit, illi exagitari memorentur; ubi primùm commenta impietatis hæreticorum agnita fuerint, clamoribus sunt pellendi; nec ullus eorum fabulationibus aditus permittendus, quòd totæ venenosæ sint, animam petant, guttur invadant, vitalibúsque vulnus affigant. Nec moveat, quòd formam prætendere videantur humanam, & humanitas existimari possit eos in domum recipere: quoniam etsi foris homines cernuntur, intùs bestiæ fremunt; quinimmò & ipsis etiam graviores & rapaciores bestiis, nullum finem impietatis nôrunt. De quibus Dominus [k] in Evangelio: *Attendite vobis à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.* qui tamquam in nocte Scythico membra durati gelu, cruenti ora, circumeunt quærentes [l] quem devorent; & humanæ necis insaturabili crudelitate, Fidelium morte populorum, rabiem suam explere desiderant: ut egregiè eos describit vigilantissimus ovium pastor, & luporum insectator Ambrosius [m]. Monet autem Fideles Apostolus, *nec Ave* Hæreticis *dicere*; ne salutem eis impertiendo, videantur per hæc signa honoris & benevolentiæ, non solùm personas, sed & doctrinam eorum approbare. Nam & Iudæos, quorum mores respexit Ioannes, salutando pacem precari consuevisse, Tertullianus [n], & Hieronymus [o] scribunt: & apertè constat, tam ex quamplurimis aliis locis, ubi in veteri [p] Scripturâ eiusmodi loquendi modus reperitur, quàm ex eo quòd Dominus Discipulos ad prædicandum mittens [q] admonuit, ut in quamcumque domum intrarent, *salutarent eam dicentes, Pax huic domui:* & ipsemet post resurrectionem ad suos intrans [r],

[i] Virg. in Bucol. eclog. 9. Plin. lib. 8. cap. 22. Ambros. in Psal. 118. & in Luc. 10.

[k] Matth. 7.

[l] 1. Pet. 5.

[m] In Luc. 10.

AVE DICERE, QUID SIT.

[n] 5. cont. Marcion. 5.

[o] In Matth. 10.

[p] Gen. 43. Iudic. 6. & 19. Tob. 12. 1. Paralip. 12. 1. Esdr. 4. &c.

[q] Matth. 10. Luc. 10.

[r] Ioan. 20.

Pax vobis dixit; & Mariæ Magdalenæ, aliísque mulieribus quæ ad monumentum venerant, occurrens [f], *Avete*, sive, ut pariter in Syro est, *Pax vobis*. Cùm verò iis formulis in Scripturâ, quà significetur benevolus eius qui salutat animus, quà faustarum omnium rerũ ei qui salutatur precatio; fuerit denique apud omnes semper gentes salutatio signum benevolentiæ, amicitiæ, ac dilectionis: quis non videat, quàm apposité Ioannes dixerit, eum qui dicit *Ave* hæreticis, communicare eorum operibus malignis? & inde non colligat, quantâ sollicitudine omnis eorum communicatio vitanda nobis iniungatur?

[f] *Matth.* 28. *Luc.* 24.

IV. APOSTOLI PAULI MONITA DE VITANDIS HÆRETICIS.

Doctor Gentium Paulus, Apostolus [t] non ab hominibus, neque per hominem, sed per IESUM Christum, & Deum Patrem, æstu [u] sollicitudinis omnium Ecclesiarum eamdem commonitionem sæpiùs repetens, imprimis ad Romanos [x], *Rogo vos*, inquit, *ut observetis eos, qui dissensiones, & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt; & declinate ab illis.* Quare verò? *Huiuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri: & per dulces sermones, & benedictiones, seducunt corda innocentium.* Per adulationes, & assentationes, (hæ namque sunt benedictiones seductorum) subvertunt domos, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ; ut loquitur alibi [y] idem Apostolus: ac per vaniloquia plebeculæ imponunt, multáque affingunt ut ei placeant. *Molliti* [z] *sunt sermones eorum super oleum, & ipsi sunt iacula.* delectant aures, feriunt corda; voluptatem præferunt, animum vulnerant. *Os abundat* [a] *malitiâ, & lingua concinnat dolos.* Loquitur apposité ad fallendum, adhibens artificium dissimulationis; & amoris specie imponit. *Homines* [b] *mente perversi, professione fallaces, spe inanes, sermone viperei, qui letales doctrinas, & morbidas intelligentias, & corruptas voluntates, simplicitati audientium per speciem religionis insinuant.* Quos & aliàs idem Apostolus [c] execratus, dum Galatas gravi obiurgatione ad fidem revocat: *Si quis* (inquit) *vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* (De quâ voce iam dictum superiùs.) Ad Thessalonicenses [d]: *Denun-*

[t] *Gal.* 1.
[u] 2. *Cor.* 11.
[x] *Rom.* 16.
[y] *Tit.* 1.
[z] *Psal.* 54.
[a] *Psal.* 49.
[b] *Hilar. de Trinit. lib.* 8.
[c] *Gal.* 1.
[d] 2. *Thessal.* 3.

ciamus vobis in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem quam acceperunt à nobis. Et, *Siquis non obedit verbo nostro, hunc notate, & ne commisceamini cum illo:* hoc est, (ut patet, & ut textus Syrus habet) nolite conversari, & commercium habere cum illo. quæ tam de disciplinâ morum, quàm de doctrinæ perversione intelligenda sint. Ad Timotheum [e]: *Profana, & vaniloquia devita: multùm enim proficiunt ad impietatem; & sermo eorum ut cancer serpit:* hoc est, Hæreticorum, qui docent profana vaniloquia: quippe sicut cancer (morbus, qui gangræna dicitur; non piscis, qui transversus incedit; quamquam nec is malè, sed alio sensu, hæreticos repræsentat:) sic in dies serpit, ut totum hominem sensim inficiat, & perimat: ita & hæretici, nisi diligenter vitentur, colloquiis suis inficiunt mentes eorum qui cum eis conversantur, & inde in alios atque alios proserpunt. *Sic* [f] *Arius una scintilla fuit: sed quia non statim oppressa est, totum Orbem eius flamma populata est.* Et posteà [g]: *In novissimis diebus* (hoc est, sequentibus) *erunt homines habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos devita: ex his enim sunt, qui penetrant domos; semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis pervenientes,* &c. Qui totum locum legerit, & singula verba ponderaverit, absolutissimam agnoscet morum hæreticorum descriptionem; & quantum eos aversari præcipiat Apostolus, patenter animadvertet.

[e] 2. Tim. 2.
[f] Hieron. in Gal. 5.
[g] 2. Tim. 3.

V.

CUIUS MODI CORREPTIONES HÆRETICIS FACIENDÆ.

Ad Titum [h] quoque: *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita; sciens quia subversus est, qui eiusmodi est.* Ubi non loquitur Apostolus de hæretico pertinaci, & (ut vocant) formato; (de illo enim an vitandus esset, nullus erat dubitandi locus) sed de eo, qui ex ignorantiâ, sectæ errantium inhæret, vel de quo dubium est, sítne particeps, nécne. Hic enim corripi, ac commoneri debet; ac pertinax inventus vitari, nullo iam reliquo correptionis fructu, quòd planè subversus sit; & (ut subditur) *proprio iudicio condemnatus;* cùm iudicium omne recuset in terrâ, & salutares Ecclesiæ admonitiones.

[h] Tit. 3.

nes. Quinimmò & non nisi *unam* hîc præcipi ab Apostolo correptionem, multi ex antiquis sacris Scriptoribus putârunt; qui & *secundam* in textu non agnoscunt: putà Irenæus [i], Tertullianus, Cyprianus, Lucifer, Augustinus, & apud Ambrosium auctor Commentariorum in Epistolas [k] Pauli: qui & hanc habet rationem, quòd qui eiusmodi sunt, si frequentiùs corripiantur, tum obstinatiores reddantur, tum etiam exercitatiores in perversionem aliorum; ideóque eos devitandos esse, ut contempti, aut negligentiores in malo fiant, aut soli pereant. Sicuti & ex hâc Pauli auctoritate Tertullianus [l] argumentatur, in hæreticis non habere locum præceptum Domini de ordine in correptione servando: *scilicèt* (inquit) *quia non est Christianus: ne more Christiani semel & iterùm, & sub duobus aut tribus testibus, castigandus videretur: cùm ob hoc sit castigandus, propter quod non sit cum illo disputandum*; nec conversandum, aut consortium ineundum.

[i] *Iren. lib. 1. cap. 3. Tertul. de præscr. cap. 6. & 16. Cypr. ep. 55. ad Cornel. & Testim. ad Quirin lib. 3. num. 78. Lucif. lib. de non commun. cum hæret. Aug. ep. 162.*

[k] *In Tit. 3.*

[l] *De præscript. cap. 16.*

VI. NULLA CONVENIENTIA INTER CATHOLICOS ET HÆRETICOS.

Quod cùm sæpe (ut vidimus) Apostolus prohibeat; tum verò insigniter, dum in Corinthiis [m] Christianos universos instruens, inquit; *Nolite iugum ducere cum Infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars Fideli cum Infideli? Qui autem consensus templi Dei cum idolis? Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis.* Quibus patenter monet Fideles fugere consortium Infidelium, ac separare se ab omnibus cœtibus eorum, templis, conviviis, connubiis, omníque eorum commercio, vel per se impio aut iniusto, vel periculoso, aut scandalum generante: ut plures exponunt: quod nonnulli de matrimonio cum Infidelibus cavendo tantùm accipiunt. Sed si matrimonium carnale vitandum, quantò magis spirituale? Quale futurum est iugum illud, quod diversæ religionis homines ducturi sint? Cùm verò & summa iustitia sit, ut obediatur [n] fidei in omnibus; & omnis intellectus [o] in captivitatem redigatur in obsequium Christi; atque id ipsum [p] dicant omnes, ut non sint schismata, sed sint omnes perfecti in eodem sensu,

[m] 2. *Cor.* 6.

[n] *Rom.* 1.

[o] 2. *Cor.* 10.

[p] 1. *Cor.* 1.

& in eâdem sententiâ: quæ participatio fidelibus, qui ista servant in unitate & obsequio Ecclesiæ Christi, cum hæreticis ac schismaticis, qui eam contemnunt ac scindunt? Quomodò lux fidei ac veritatis, cum tenebris errorum & impietatis concordabit? Nónne qui [q] diligit fratrem suum, (quod omnis fidelis facit) in lumine manet: qui autem odit fratrem suum, (quales sunt omnes hæretici & schismatici, qui separant se à doctrinâ & communione Ecclesiæ) in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos eius? Quis consensus Christi, qui est omnis disciplinæ, obedientiæ, iustitiæ, pacis, fidei pater; cum diabolo, omnis apostasiæ, simultatis, rebellionis, dissidij, impietatis principe? aut Christianorum, cum filiis Belial, hoc est (ut sæpè usurpatur in Scripturâ) apostatis, & hominibus absque iugo, recedentibus à lege Dei, improbissimis, & impiissimis? Quid commune habet fidelis, quòd participet cum infideli, cùm ex diametro sibi adversentur? *Non possunt esse inter eos iura pacis*, (inquit Ambrosius [r]) *inter quos est bellum fidei.* Nec sustinuit Zorobabel [s] post reditum à captivitate, Assyrios incolentes urbes Samariæ admitti, ut simul ædificarent templum Domini cum Iudæis, à quibus discrepabant religione. Cúmque singuli fideles templum [t] sint Dei, & Spiritûs sancti qui in illis habitat; quid eis cum idolis, & vanis hæreticorum commentis? Colere enim hæreticos idola, iam superiùs vidimus. Rectè itaque verbis propheticis [u] monet Apostolus eos vitare; & immundum, hoc est immundos infideles, non tangere; id est, cum eis non conversari, ne eorum perversam doctrinam, impiósque mores Fideles contrahant. Ne verò causam suam agentes Hæretici, excipere velint, Apostolum hîc non de ipsis loqui, sed de Infidelibus qui Christum non nôrunt; repetat lector quæ de pluribus Infidelitatis speciebus iam dicta sunt superiùs; & proculdubiò reperiet, non solùm hæreticos inter Infideles iure merito recenseri, verùm etiam longè ceteris omnibus Infidelibus detestabiliores esse. Quemadmodùm & in Constitutionibus [x] Apostolorum

[q] 1. Ioan. 2.
[r] Lib. 3. de Offic.
[s] 1. Esdr. 4.
[t] 1. Cor. 3. & 6.
[u] Isa. 52.
[x] Lib. 6. cap. 8.

licis S. Clementis declaratur, cùm dicitur: *Impios hæreticos non pœnitentes discludite, & semovete à Fidelibus; ut omnibus modis ab eis declinent, neque ulla cum eis sit sermonis communitas: qui magis impij sunt quàm Iudæi, & magis sine Deo quàm Gentiles. Fugite ergo communionem hæreticorum, & ne sit vobis pax cum eis. De ipsis enim pronunciavit Propheta, Non est salvere impiis, ait Dominus.*

VII. CONFIRMATIO SYNODORUM TOTO ORBE.

Quapropter & hanc divinam, & Apostolicam doctrinam, confirmantes suis calculis per universum terrarum orbem subsequuti Patres; eorumdem Hæreticorum communionem, ut omni execratione abominabilem, severissimè prohibuerunt; sive dum in Synodis congregati leges Ecclesiasticas promulgârunt; sive dum singulatim de his disputantes, Catholico sensui testimonium præbuerunt. Sic enim in Asiâ Patres Laodiceni [y], antiquâ nobilitate celeberrimi, ante magnum Nicænum statuerunt, *non oportere cum Hæreticis nuptiarum fœdera celebrare: nec eulogias* (quæ erant symbola Catholicæ communionis) *ab eis accipere; quia sunt maledictiones potiùs quàm benedictiones.* Sic in Africâ Carthaginienses [z], inter quos sedit Magnus Augustinus, decreverunt; *clericos, Hæreticorum & schismaticorum tam convivia, quàm sodalitates evitare:* & *qui communicaret cum excommunicato, sive clericus, sive laicus, excommunicaretur.* Sic in Europâ Ilerdenses [a] omninò iusserunt, *cum rebaptizatis nec in cibo participare.* Quod etiam de omnibus Excommunicatis, tam Patres Gallicani pluribus Synodis [b], quàm etiam Hispani Toletanâ [c] Primâ statuerunt. Et iam olim Apostolus de gravioribus peccatoribus præceperat, dum ad Corinthios [d] scribens, monuit eos *non commisceri, nec cibum sumere cum fornicatoribus, avaris, idolis servientibus, maledicis, ebriosis, rapacibus;* non quidem Ethnicis; (*Quid enim nobis*, ut addit, *de iis qui foris sunt iudicare?* quinimmò & cum illis liberè cibum sumere eâdem Epistolâ [e] posteà permittit.) sed Christianis, eiusmodi vitiis publicè infectis; quos iubet vitari, & velut excommunicatos haberi. Quantò igitur magis & Hæreticos? Quamvis enim sint ipsi (ut vidimus) foris, hoc est, extra Ecclesiam, quia sese ab eâ præscide-

[y] c.31. & 32.
[z] Conc. Carthag. IV. c. 70. & 73.
[a] Conc. Ilerd. cap. 14.
[b] Arelat. II. c. 10. Venet. c. 3. Turon. I. c. 8. Aurel. I. c. 3. 5. 13. &c.
[c] C. 15.
[d] 1. Cor. 5.
[e] 1. Cor. 10.

runt; pertinent tamen (ut sæpè diximus) quadamtenùs ad illam propter characterem baptismatis; sicut transfugæ ad ducis sui exercitum, & oves errantes ad ovile unde fugerunt: tenentúrque eius legibus, sicut servi in familiâ, & rei incarcerati in urbe.

VIII. Et Patrum, tam Græcorum:

Ignatius martyr, qui Christum in carne vidit, & cum Apostolis conversatus est, scribens ad Philadelphienses: *Siquis eum sectatur, qui se absciderit à veritate, regnum Dei non hereditabit. Et qui non abscedit à mendaci concionatore, in gehennam condemnabitur: neque enim à piis discedendum, nec cum impiis commercia sunt habenda. Siquis graditur iuxta aliena præscripta, hic non est Christi, nec particeps passionis Christi, sed est vulpes & corruptor vineæ Christi: cum eiusmodi non commisceamini, ne cum illo pereatis, quamvis pater sit, quamvis filius, quamvis frater, quamvis domesticus. Non parcet* (inquit[f]) *oculus vester super eum. Osores Dei & vos odisse oportet, & super inimicos illius tabescere*, &c. Et ad Smyrnenses: *Decet abstinere ab eiusmodi, nec in privato nec in communi colloquio de illis verba facere. Nefandas hæreses, & eos qui schismata faciunt fugite, ut fontem malorum.* Et alia huiusmodi sæpè aliis Epistolis. Quemadmodùm & Iustinus Martyr, de veritate Christianæ religionis cum Tryphone Iudæo disputans, dum agit de Hæreticis, qui se Christianos nominant: *Sunt* (inquit) *permulti, qui impia & blasphema & dicere & facere docuerunt, in nomine Iesu progressi: cum quibus nihil nobis est communionis, atheos, atque à Deo alienos, & impios eos esse scientibus: quippe qui pro eo ut Iesum colant, nomine dumtaxat illum profiteantur; & Christianos se eo modo dicant, quo plerique omnes in gentibus nomen Dei inscribunt manufactis operibus, & iniquis se impiísque dæmoniorum polluunt sacris.*

[f] Deuter. 13.

Quam Latinorum.

Tertullianus[g], dum sanâ mente, & Catholicâ doctrinâ, omnes hæreses atque hæreticos invictissimis rationibus & argumentis insectabatur: *Nobis etsi quærendum esset adhuc & semper, ubi tamen quæri oportet? Apud Hæreticos? ubi omnia extranea, & adversaria nostræ veritati; ad quos vetamur accedere. Quis servus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico domini sui sperat? quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hostibus Regibus donativum*

[g] De præscript. cap. 12.

& stipendium captat, nisi planè desertor, & transfuga, & rebellis? Cyprianus [h] in privatis latebris publicam exercens curam plebis suæ Carthaginiensis, periclitantis magis à perfidis hæreticis, quàm à sævissimis persecutoribus; *Procul* (inquit) *ab huiusmodi hominum contagione discedite, & sermones eorum velut cancer & pestem fugiendo vitate:* &c. *Vitate lupos, qui oves à pastore secernunt; vitate linguam diaboli venenatam, qui ab initio mundi fallax semper & mendax, mentitur ut fallat, blanditur ut noceat, bona promittit vt malum tribuat, vitam pollicetur vt perimat.* Et Cornelium [i] Papam, ex abundanti sollicitudine & charitate, rogans ut id ipsum suo nomine Plebi Romanæ inculcet; *Declinent*, ait, *fortiter, & evitent verba & colloquia eorum, quorum sermo ut cancer serpit. Nulla cum talibus commercia copulentur, nulla convivia vel colloquia misceantur; síntque ab eis tam separati, quàm sunt illi de Ecclesiâ profugi,* &c. Et tractatu de Lapsis, contra eosdem hereticos disputans: *Eiusmodi homines quantum potestis effugite, perniciosis contractibus adhærentes salubri cautione vitate. Sermo eorum sicut cancer serpit, colloquium velut contagium transilit, noxia & venenata persuasio persecutione ipsâ peiùs interficit.* Et de unitate Ecclesiæ: *Vitate eiusmodi homines, & à latere atque auribus vestris perniciosa colloquia velut contagium mortis arcete. Corrumpunt ingenia bona confabulationes pessimæ. Docet Dominus, & admonet à talibus recedendum. Cæci sunt, inquit, duces cæcorum: cæcus autem cæcum ducens, simul in foveam cadent. Aversandus est talis, atque fugiendus, quisquis fuerit ab Ecclesiâ separatus.* Lucifer [k] Calaritanus Constantium Imp. Arianum, mirâ constantiâ, & paratissimo ad martyrium animo compellans; *Legisti Deum dixisse ad Moysen & Aaron, Secedite è medio populi huius indisciplinati, & contumacis, & dispergam ego eos. Quid igitur nos vult facere, nisi ut vos indisciplinatos & contumaces fugiamus, ne simul vobiscum, sicut illi qui cum Chore, Dathan & Abiron fuerant coadunati, pereamus? In Deuteronomio dicit Moyses, Non ponetis ad eos testamentum,* &c. *Cùm hac mandet fieri, quomodò possumus vobiscum convenire, vobiscum pacem habere? Cùm Deum videas dixisse per Moysen de Moabitis, Ammonitis; Non salutabis eos*

[h] Ep. 40. ad pleb.

[i] Ep. 55. ad fi.

[k] Tract. de non conven. cum hære.

pacificè omnibus diebus vitæ usque in æternum; quomodò simul esse Ariani & Christiani potueramus? &c. *Quomodò fieri poterat, ut nos tecum, atque cum tuis, essemus Dei milites cum militibus Antichristi, quandoquidem nec salutari vos permiserit Spiritus sanctus*, &c. Sed ludo, cùm testimonia de fugiendis hæreticis ex Cypriano exscribo, aut ex Lucifero: quorum scripta, quantaquanta sunt, tota in eo sunt, ut fortissimorum Dei Confessorum, cum in Hæreticos & Schismaticos animum exerant, qui nihil quàm iram & odium spiret? sed iram sanctam, & odium iustum; luculentissimis divinarum sententiarum testimoniis, & gravissimarum rationum ponderibus fundatissimum. Nam quod vitij aliquando fuit in scissione Luciferi, & in iracundiâ Cypriani, quamvis processerit illud quidem in utroque ex vehementiâ odij in Hæreticos; non tamen ipsa istiusmodi vehementia culpabilis in se extitit; sed quòd iidem in uno & altero dogmate è placitis Ecclesiæ deflectentes, proprias sententias eis prætulerunt: quemadmodùm qui in stadio currunt, si cùm vehementi nisu ad metam tendunt, pedem in orbitam deprimant, vel ad lapidem offendant, eos corruere necesse est, non culpâ animosi cursûs, sed deflexûs à planâ viâ, aut incautæ vestigiorum positionis.

LAPSUS CYPRIANI, ET LUCIFERI, QUALIS.

IX.

RURSÙM PROBATIONES EX PATRIBUS GRÆCIS ET LATINIS.

Sanè qui inter utriusque ævum vixit Magnus Antonius, monasticæ vitæ caput & princeps, dæmonum terror, tantæque vir sanctitatis, ut numquam satis laudatus ille Athanasius [1], ingens lucrum atque utilitatem hoc ipsum sibi esse assereret, quòd recordaretur Antonij, cuius vita perfecta esset ad virtutem via: hic inquam, quo nullus umquam vitiorum fœditatem novit perfectiùs ac vitavit; cùm mortem iam lætus aspiceret, & Angelorum ad perferendam ipsius animam descendentium præsentiam intueretur, inter suprema charissimis discipulis suis impertita monita, hoc diligenter inculcavit: *Schismaticorum, & Hæreticorum venena vitate, meámque circa eos odium sectamini, quia Christi sunt inimici. Scitis ipsi, quòd nullus mihi nec pacificus quidem sermo cum eis aliquando fuerit, propter pravam eorum voluntatem, & pertinax contra Christum bel-*

[1] *In Vit. Ant.*

lum. Cuius in his usum describens, laudánsque ipse Athanasius [m]: *Numquam*, inquit, *Schismaticorum se miscuit communioni, antiquam eorum sciens pravitatem atque transgressionem. Numquam Manichaeis, aut aliis haereticis saltem amicabilia verba largitus est, nisi tantum ea quae eos possent ab iniquitatis errore revocare; denuncians talium amicitias, atque sermones, perditionem esse animae. Sic etiam Arianos detestabatur, ut omnibus diceret, nec iuxta eos quidem esse accedendum. Nam cùm venissent quidam Ariomanitae, effugavit eos de monte, dicens multò serpentibus deteriores horum esse sermones.* Quo eodem tempore haud minor sanctitate Pachomius, qui & Regulam suorum monachorum divinitùs meruit accipere, & moriens visione Angelicâ recreari; qui & occultos haereticos ex foetore è cordibus eorum erumpente discernere consueverat; in ipso transitu suos monuit [n], *nulla ipsis esset coniunctio cum sectatoribus Meletij, vel Arij, vel Origenis, seu ceteris, Christi praeceptis adversantibus*. Hilarius quoque, cuius libros inoffenso pede decurri posse Hieronymus [o] scribit, Circulari Epistolâ ad omnes Catholicos adversus Auxentium Arianum pseudoëpiscopum Mediolanensem; quae sit etiam contra ceteros omnes Haereticos: (*Plura enim nomina, sed una perfidia*, inquit Ambrosius [p]:) *Absistite ab Auxentio, satanae angelo, hoste Christi, vastatore perdito, fidei negatore. Mihi certè ille numquam aliud quàm diabolus erit, quia Arianus est. Neque pax aliquorum umquam optabitur, nisi eorum qui secundùm patrum nostrorum tractatum, anathematizatis Arianis, Christum verum Deum praedicabunt.* Cyrillus [q] Ierosolymitanus, insignis Christianorum catechista, & clarissimus fidei Catholicae propugnator: *Equidem tibi errorem enarro, ut in eos maius odium habeas. Fuge itaque hanc impietatem, neque tali salutem dicas, ne tenebrarum infrugiferis operibus participes. Sed neque sermones cum eis conferre velis. Cunctos oderis Haereticos, corúmque blandis verbis ne attendas, neque humilitati fictae. Serpentes enim sunt, progenies viperarum: & Iudas dicebat, Aue Rabbi, & prodebat*, &c. Basilius quoque ille Magnus, quem S. Ephraem [r] instar Petri praedicâsse, instar Pauli docuisse, instar Evangelistarum de rebus divinis

[m] 1. cap. 12.
[n] Vit. Patr. in Pachom.
[o] Ep. 7. ad Lat.
[p] 1. de fid. ad Grat. 4.
[q] Catech. 6.
[r] Orat. in laud. Basil.

s Basil. orat. de ver. fid. in fi. disseruisse pronunciat; suos instruens s monet, *necessariò cavere ab hominibus, ab Evangelicâ & Apostolicâ fide charitatéque alienis.* Itémque Gregorius Nazianzenus, præ excellentiâ Theologus cognominatus; quo magistro Hieronymus t gloriari & exultare consueverat; *Eos* (inquit u) *qui aliter sentiunt, ut veritatis labem & corruptelam, quoad licebit, curemus, incurabili autem morbo laborantes aversemur; ne alioqui morbum eorum antè contrahamus, quàm illis sanitatem nostram impertiamus.* Ac disertissimè idem Ephræm, qui ad tantam x venerat claritudinem, ut post lectionem sacrarum Scripturarum, publicè in Ecclesiis eius scripta recitarentur; in Testamento suo, cuius aliàs superiùs facta est mentio, suos hortatur *omni studio ac diligentiâ fugere illorum consuetudinem; nihil interesse* asserens, *an cum dæmone quis habitet, an cum viro apostatâ, ac desertore iniquo.* Epiphanius y venerãdus senex, doctrinâ, & miraculis inter Græcos illustris: *Quicumque se ab Ecclesiâ segregant, ut anilibus fabulis adhærescant, sanè suomet ipsi iudicio damnati sunt: quos secundùm unam, alterámque correptionem, devitare Paulus hortatus est. Ioannes verò Christi discipulus maiore illos pœnâ condemnavit, cùm ne salutari quidem à nobis patiatur. Meritò sanè; neque enim pax est impiis, dicit Dominus. Procul ab illis fugiendum est: & quantò sunt in errore pertinaciores, inventísque pessimis impensiùs delectantur, tantò eos magis putandum est à scelestissimorum dæmonum ogdoade concitari.*

t Apol. advers. Ruffin. & sæpè alibi.
u Greg. Naz. or. 12. in fi. & or. 27.
x Hieron. de Script. Eccl.
y Hær. 34.

X.

Ambrosius insignis Ecclesiæ Doctor, quem (ut loquitur Basilius z Magnus) ipsemet Dominus è medio Iudicum Terrę desumptum ad cathedram Apostolicam transtulit, Evangeliúmque docuit; Constantio Episcopo commendans a Ecclesiam quæ erat ad Forum-Cornelij, monet cavere ne hæretici *appropinquent* Fidelibus. Et exponens præceptum Domini b de excutiendo pulvere de pedibus adversus eos qui discipulos suos non reciperent; *Vitanda* (inquit inter cetera) *hæreticorum communio, fugienda synagoga: excutiendus pedum pulvis, ne fatiscentibus perfidiæ sterilis siccitatibus, tamquam humi arido arenosóque mentis tuæ vestigium polluatur.* Et multò plura alibi c Hieronymus, tantus fidei Catholicæ defensor, non solùm singulari

z Ep. 55. ad Ambros.
a Ambros. 5. ep. 1.
b Luc. 9.
c Ambros. de Salom. cap. 4. de Incar. c. 2.

ſingulari [d] gloriæ duxit, numquã ſe hæreticis pepercisse, & omni egisse ſtudio ut hoſtes Eccleſiæ ſui quoq; hoſtes fierent; verùm etiam Paulam [e] matronã Romanam præconiis extollit, quòd *Hæreticorũ cœnoſos devitaverit lacus, & eos inſtar habuerit ethnicorũ; maluerítque inimicitias hominũ ſubire perpetuas, quã Dei offenſã amicitiis noxiis provocare.* Auguſtinus Doctorum aquila, quamvis nihil umquam verborũ aut factorũ omiſerit, quibus poſſet eos amanter æquè ac dolenter ad Eccleſiam reducere; tamen præter quod & ipſe in obſtinatos lege agi, iuſtum & utile eſſe experientiâ doctus conſenſit [f]; eoſdem etiam Fidelibus *vitandos* monet [g], *ne infirmos & parvulos fallant:* nec ipſe literis agere cum eis, niſi qualiter cum *paganis* licebat, ſuſtinuit. Vincentius, Lirinenſis Inſulæ perenne decus, ac lucidiſſimum Galliæ ſidus; Hæreticos *devita quaſi viperam, quaſi ſcorpionem, quaſi baſiliſcum; ne te non ſolùm tactu, ſed etiam viſu, affatúque percutiant. Quid eſt devitare? cum huiuſmodi nec cibum ſumere,* &c. Leo [h] re & nomine Magnus, Eccleſiæ Catholicæ Doctor & Paſtor, neceſſaria ſuis impertiens ſalutis monita, diligenter ac præcipuè hortatur: *Fugite mundanæ argumenta doctrinæ, & viperea hæreticorum vitate colloquia. Nihil vobis commune ſit cum eis, qui Catholicæ adverſantes fidei ſolo ſunt nomine Chriſtiani. Non enim templum Spiritûs Dei, nec membra ſunt Chriſti: ſed falſis opinionibus implicati, tot ſpecies habent diaboli, quot ſimulacra mendacij.* Et iterùm [i]: *Hos tamquam venenum mortiferum fugite, execramini, declinate; & ab eorum colloquiis, ſi increpati à vobis corrigi noluerint, abſtinete; quoniam, ſicut ſcriptum eſt, ſermo eorum ſerpit ut cancer. Iuſto enim Dei iudicio ab Eccleſiæ unitate reiectis nulla eſt tribuenda communio; quam non noſtris odiis, ſed ſuis ſceleribus perdiderunt.* Ac denique ut iam manum de tabulâ, eadem ceteri omnes tam Græci quàm Latini anteriorum poſteriorúmque ſæculorum ſcriptores, qui de Hæreticis, vel etiam Excommunicatis mentionem fecerunt: quorum una eſt omnium ſententia, eos vitandos ut peſtes, ut antichriſtos, ut diabolos; arcendos ut lupos, ut ſerpentes, ut malas beſtias; plectendos ut fures, ut prædones, ut deſertores.

[d] *In proœm. dial. adverſ. Pelag.*

[e] *In Vit. Paulæ Rom.*

[f] *Aug. ep. 48. ad Vincent. & ep. 50. ad Boniſ. 24. q. 4. c. nimium. &c.*

[g] *Ep. 162.*

[h] *Serm. 18. de Paſſ. Dom.*

[i] *Serm. cont. hær. Eutych.*

CAPUT IV.

Vitatio Hæreticorum confirmatur EXEMPLIS *Apostolorum, & Sanctorum Patrum, ac Populorum Catholicorum.*

I. SED quoniam in Vitatione modò sumus, ut eius Apostolica, & Ecclesiastica documenta, Apostolicis, Ecclesiasticísque Exemplis confirmemus; idem ipse Ioannes Apostolus, cùm in Asiâ in prædicando Dei verbo insisteret; (sicut Epiphanius [k] narrat) ut quanti veritas fieri deberet, exemplo suo posteris præscriberet, inusitatum quid egisse proditur. Cùm enim numquam omninò lavare consuevisset, aliquando tamen sancti Spiritûs impulsu ad balneas quasi loturus prodiens, ubi illuc accessit, cùm audisset Ebionem [l] impiissimum hæresiarcham intùs esse, indéque intellexisset, quorsùm illuc Spiritus sanctus eum impulisset; repentè conturbatus, ac leniter ingemiscens, *Properate fratres*, inquit, *abeamus hinc, ne balneæ concidant, & cum Ebione qui intùs est, ob eius impietatem obruamur.* Ignatius, quem diximus, Antiochenus Episcopus, dum ad martyrium Romam duceretur, ad Ephesios scribens, plurimùm eos laudat, quòd nonnullis hæreticis per suam civitatem *transitum denegâssent.* Quemadmodùm enim qui veros Apostolos & doctores, quos Deus excitavit in Ecclesiâ ad consummationem sanctorum, recipit [m], Christum recipit: sic etiam qui pseudoapostolos & falsos doctores, quos diabolus ad destructionem Fidelium erexit, recipit, diabolum recipit. Quare & qui eodem tempore vixit, & ab ipsis Apostolis præfectus est Ecclesiæ Smyrnensi Polycarpus, Marcionem itidem hæresiarcham aliquando occurrentem sibi, & rogantem ab eo agnosci; (ut fratrem scilicèt, eiusdem patris matrísque filiū) non alio responso dignatus est, quàm *Agnosco te primogenitum satanæ. Tantum* (inquit Irenæus [n] hæc narrans) *Apostoli, & horum discipuli, habuerunt timorem, ne verbo tenùs communicarent alicui eorū qui adulteraverant veritatem.*

IOANNIS APOSTOLI EXEMPLUM

[k] *Hær.* 30.

[l] Cerinthum *habent Iren. lib. 3. cap. 3. Euseb. 4. hist. 13. Theodoret. l. 2. hær. fab. Posuit uterque hæresiarcham aeesse.*

[m] *Matth.* 10.

[n] *Lib. 3. cap 3. & ex eo Euseb. 4. hist. 13.*

II. CIBUM CAPERE AB HÆRETICIS, VETITUM.

Eusebius Ecclesiæ Vercellensis clarissimus Antistes, Scythopolim in Palæstinâ fidei causâ à Constantio Imp. Ariano ablegatus, dum ibi in carcere detineretur sub custodiâ Patrophili Episcopi veternosi hæretici, Arij quondam socij, hominis planè sævissimi; publico libello [o] contestatus est, se potiùs impastum perseveraturum in carcere, quàm ab ipsis Arianis cibum acciperet; quem tantùm à Catholicis sibi voluit ministrari, ne videri quoquo modo posset cum Arianis vel in cibo communicare. Sicuti & felicissima illa duplici partu unius Augustini mater sancta Monica, quamvis solicitissima ipsius procurandæ salutis, quamdiù tamen in Manichæorum tenebris volutatus est, non sustinuit [p] ad mensam suam eum admittere, aversans & detestans blasphemias erroris eius. Ac posteà Stephanus [q] Auxentianus monachus, & martyr toto oriente celeberrimus, ob sacrarum Imaginum sub Copronymo defensionem in carcerem coniectus, recusavit pariter cibum ab hæreticis Iconoclastis sumere; *quòd* (ut aiebat) *prohiberetur ab eo, qui cum hæreticis quicquam commune haberi vetuerat*: ideóque neque cum Imaginum hostibus ullum umquam commercium habere voluit, neque aliquid omninò ab eorum manibus accipere. Memor videlicèt Apostolici moniti, quo id vetitum nuper vidimus. Memor & prohibitionis, à Deo factæ Prophetæ [r] misso adversus Ieroboam Regem apostatam, ut non comederet panem, nec biberet aquam in loco illo. Memor & Trium [s] puerorum, ac Tobiæ [t]; qui nec inter Assyrios captivi detenti, sustinuerunt vesci Gentilium cibis. Memor denique & consuetudinis, tempore Christi in Iudæâ receptæ; ut *non* [u] *coüterentur Iudæi* (tunc adhuc populus Dei) *cum Samaritanis*; (qui cùm Iudæi non essent, veram tamen se Iudæorum religionem habere contenderent) utique in cibo ac potu: quem dum Christus à Samaritanâ petiit, sensit propterea illam id admirantem. Cùm alioquin cibum ab iis emere ad necessitatem, prohibitum non esset. Dono autem accipere non licebat, quòd hoc fuisset non solùm consuetudinem, sed etiam speciem amicitiæ cum iis alere. Quantum verò ab-

[o] *Act. Euseb. Vercel. ap. Lipom. to.* 2.
[p] *August.* 3. *Confess.* 11.
[q] *Act. eius ap. Io. Damascen.*
[r] 3. *Reg.* 3.
[s] *Dan.* 1.
[t] *Tob.* 1.
[u] *Ioan.* 4.

horrerent Catholici cibis uti, quibus hæretici benedixissent, est prætereà egregium exemplū apud Gregorium[x] Turonensem, divinâ vindictâ confirmatum in presbyterum quemdam Arianum; qui fortè in eâdem mensâ cum alio presbytero Catholico accumbens, cùm omnes qui apponebantur cibos, in irrisum Catholici festinaret benedicere, ut ille impastus remaneret; ferventissimum demùm ferculum cochleari velociter degluticns, protinùs accenso pectore æstuare cœpit, & emisso cum suspirio immenso ventris strepitu, nequam spiritum exhalavit, pereunte memoriâ eius cum sonitu.

[x] 1. de glor. mart. 80.

III. NIHIL ACCIPIENDUM AB HÆRETICIS.

Quinimmò nec quicquam omninò accipiendum esse ex muneribus & oblationibus Excommunicatorum, aliorúmque impiorum, & Hæreticorum, præcisè iubetur in Constitutionibus[y] Apostolicis Clementis Papæ, & sacris Canonibus Conciliorum[z] Eliberitani, Laodiceni, & Nicæni Magni. Quod & insigniter observavit Ecclesia Romana, cùm eiiciens à Catholicâ communióne Marcionem hæresiarcham, simul etiam ducenta[a] sestertia, quæ Ecclesiæ intulerat, reddidit. Necnon & Liberius eiusdem Ecclesiæ Pontifex; cùm per Eusebium Præfectum Cubiculi Imperatoris Constantij, Arianæ hæresis fautorem acerrimum, pretiosis donis[b] oblatis instantissimè solicitatus Romæ subscribere damnationi Athanasij Orthodoxi, (quod tum erat maximum Ecclesiæ negotium) non solùm dona respuit; verùm etiam cùm intellexisset illa ab Eusebio consecrata fuisse in basilicâ S. Petri, eadem *ut victimam illicitam proiecit*. Cúmque posteà ab Imperatore Mediolanum[c] accersitus, eâdem libertate ei restitisset, ac propterea sententiam exilij ab eo accepisset; missos sibi ab eodem quingentos aureos in sumptum itineris, liberiùs accipere recusavit, renuncians Imperatori, ut vel eos in militum stipendia impenderet, vel suis Episcopis Arianis daret, vel assentatoribus & histrionibus partiretur. eodémque responso facto etiam Imperatrici, quæ parem summam ei transmisit; demùm cùm & Eusebius Præfectus aliam ei obtulisset, acriùs in eum invectus; *Tu* (inquit) *Ecclesias orbis terræ expilâsti, & iam mihi,*

[y] Lib. 3. cap. 8. & lib. 4. cap. 6. & 7.
[z] Concil. Eliber. cap. 28. Laodic. cap. 37. Nic. cap. 27. exempl. Arab.
[a] Tertul. de præscript. c. 30.
[b] Athan. ep. ad solit.
[c] Theodor. 2. hist. 6. Sozom. lib. 4. cap. 10.

ut damnato, egentíque affers eleemosynam: abi primùm, & Christianus ipse fias: sicque nullâ acceptâ pecuniâ in locum exilij deportatus est in Thraciam. Quomodò & Attala [d] dignus S. Columbani in regimine monasterij Bobiensis successor, oblata sibi ab Ariovvaldo Longobardorum Rege Ariano munera respuens, respondit, *se numquam in perpetuum Ariani hominis dona suscepturum.*

[d] *Ion. Abb. in Vit. S. Bertolf. ap. Bed. tom. 3.*

IV. NEQUE AB EXCOMMUNICATIS.

Sic apud Augustinum [e], indictum legitur clericis ipsius Ecclesiæ, *ne oblationes domûs* Bonifacij Comitis *susciperentur*, fide licèt Catholici, Catholicâ tamen communione privati, quòd immunitatem Ecclesiæ violâsset, rapiens de illâ hominem. Quomodò & cùm Imperator [f] Henricus V. etsi non hæreticus, excommunicatus tamen à Papâ Cælestino III. ob acceptam iniustè pecuniam pro redemptione Richardi Regis Anglorum; legâsset de eâ pecuniâ Cisterciensibus monachis tria millia marcharum argenti, ad thuribula per totum Ordinem facienda argentea; *Abbates tam ipsum Imperatorem, quàm donum eius detestantes, renuerunt de turpi quæstu acquisitum donum eius recipere.* Meminerant enim dicti sapientis [g]: *Hostiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere:* & [h]; *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata: dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum.* Sicuti *nec respexit* [i] *ad Cain, & ad munera eius.* nec posteà principes [k] Sacerdotum solitâ suâ hypocrisi, triginta argenteos venditionis Christi mittere voluerunt in corbonam, seu gazophylacium, aut ærarium sacrum templi; quia pretium sanguinis erat, hoc est, sanguinariâ proditione partum: quod videlicèt Iudas acceperat pro Christi venditione ad hoc ut occideretur, ab eodémque relatum, & in templum proiectum. Cetera omittimus creberrima huius rei exempla: si tamen unum recensuerimus omnibus sæculis, gentibúsque, memorandum facinus [l] VVladislai Iagellonis Poloniæ Regis, eiúsque patruelis Vitoudi Lituaniæ Magni Ducis: qui, quamvis plerumque fiat ut in maximis animis, splendidissimísque ingeniis, (ut loquitur Cicero [m]) existant honoris, imperij, potentiæ, gloriæ cupiditates; & qui pietatem in ce-

[e] *Ep. 187.*
[f] *Matt. Paris. an. 1196.*
[g] *Proverb. 21.*
[h] *Eccli. 34.*
[i] *Gen. 4.*
[k] *Matth. 27.*

RECUSATA REGNA IMPIORUM.

[l] *Ap. Cromer. hist. Polon. lib. 18.*
[m] *Offic. lib. 1.*

n Eurip. in Phœniss. Cic. 3. de Offic.

teris colunt, ubi tamen de Regno agitur, ius [n] sibi violare fas esse existimant: ipsi nihilominùs, licèt maximorum animorum, splendidissimorúmq; ingeniorum Principes, virtute Christianâ se ipsis superiores effecti, oblatum sibi proximum Regnum Boëmiæ ab Hæreticis Hussitis, religiosissimè recusârunt, quòd *religio sibi esset apud Hæreticos regnare*. Imitati clarissimum illum Christi Confessorem Iovianum [o]; qui cùm post necem Iuliani Apostatæ, à cunctis exercitûs ducibus, militibúsque acclamaretur in Imperatorem; omninò negavit, se, qui Christianus esset, iis qui fidem deseruissent, imperare velle; donec iidem omnes se quoque Christianam fidem profiteri cupere conclamârunt.

o Ruffin. lib. 1. cap. 1. Theodor. lib. 4. cap. 1. Socr. lib. 3. cap. 19. Sozom. lib. 6. cap. 3.

V.

CONSTANTIA POPULORUM IN VITANDA COMMUNIONE HÆRETICORUM: ÆGYPTIORUM:

Quid verò & Populos memorem, quibus longè potius fuit, quàm cum Hæreticis in rebus divinis communicare, eorúmque synaxibus interesse, tormenta pati sævissima, exilia ferre durissima, mortes subire crudelissimas? Deesset lingua narrationi, & calamus scriptioni. Quis enim quod sub Imperio Constantij, *Alexandriæ* & totâ *Ægypto*, pulso per vim Athanasio, passi sunt Catholici Episcopi, Clerici, Monachi, Virgines Deo sacratæ, Laici omnis conditionis, ætatis, & sexûs, quòd nollent in Ecclesiis communicare cum Gregorio, & Georgio, intrusis pseudoëpiscopis, Arianis, cùm omnem fidem superet, sibi persuadere posset; nisi testem omni fide maiorem, ipsummet Athanasium [p] haberet, id minutè describentem, iterúmque, iterúmque repetentem? Quis dignè laudare sufficiat *Constantinopolitanorum* [q], eiecto eâdem Constantij persecutione Paulo Episcopo Orthodoxo, constantiam; aut damnare Macedonij hæretici in eius locum intrusi sævitiam, dum exquisitissimis tormentis eos ad suî communionem cogere studuit? Quis non *Romanorum* [r], quorum fuit semper agere & pati fortia, animi magnitudidem admiretur; dum pulso Liberio, sanctissimæ in Constantium libertatis Pontifice, quamvis & qui pro eo substitutus est Felix fidem Orthodoxam profiteretur, quòd tamen hæreticis communicaret, non solùm abstinuerunt ab ingressu Ecclesiæ dum ille intùs

p Ep. ad omn. Orthod. Apolog. de fug. ep. ad solit.

CONSTANTINOPOLITANORUM:

q Socr. lib. 2. cap. 12. 22. 30. Sozom. lib. 3. cap. 8. lib. 4. cap. 2. 19. 20.

r Theodor. 2. hist. 17.

ROMANORUM:

esset; verùm etiam cùm precibus matronarum motus Imperator, Liberium se restituere diceret eâ conditione ut unà cum Felice communiter Ecclesiam regeret: lecto in Circo eiusmodi edicto, acclamantes cum irrisione æquam esse Imperatoris sententiam, quòd cùm bifariam divisi Circenses essent, quibus nomen impositum erat ex colorum varietate, (nempè Prasinis, & Venetis) alter Episcopus his, illis alter præfuturus esset: mox uno omnes ore exclamârunt: *Unus Deus, unus Christus, unus Episcopus?* Quibus non præconiis dignus *Samosatensium* in Asiâ zelus, quem non sine eorum iniuriâ prætermitti posse Theodoretus [f] scribit: qui eiecto sub Valente Imp. Eusebio, Orthodoxæ causâ fidei spectato ubique illius civitatis Episcopo, ínque eius locum suffecto ab Arianis Eunomio quodam; tantùm exarsit, ut quemadmodùm olim Athenienses [t] eos qui Socratem calumniis suis oppresserant, adeò acerbo odio aversati sunt, ut illis neque ignem accenderent, neque interrogantibus responderent, nec eiusdem aquæ cum illis lavantibus participes esse vellent; sed balneorum ministros eam veluti contaminatam effundere cogerent; donec illi, quòd ferendo huic odio impares essent, suspendio sibi vitam ademerunt: ita Samosatenses Eunomium horruerunt, ut nemo ex iis, pauper vel dives, famulus vel artifex, agricola vel consitor, vir vel mulier, iuvenis vel senex, ad conventum ecclesiasticum accedere voluerit, vel in Eunomij venire conspectum, aut cum eo sermonem conferre, licèt valdè modestè vitam apud eos ageret: quinimmò cùm aliquando ad balneum publicum accedens, cives adstantes lavare secum hortaretur, illisque tacitis consistentibus, existimans id eos honoris causâ præstare, loco cessisset; aquam hæreticæ nequitiæ contagione infectam esse rati, eam in cloacam emiserint, novámque sibi infundi curaverint? Cúmque re cognitâ Eunomius urbem reliquisset, in quâ se religionis causâ odio omnibus esse animadverteret; ac Lucius eiusdem impietatis reus in eius locum intrusus quâdam die per forum transiret, in quo pueri pilâ luderent, eáque per asini quo Lucius ve-

SAMOSATENSIUM:

[f] 4. *hist.* 14.

[t] *Plutar. de invid. & od.*

hebatur pedes provoluta fuisset; vociferantes pueri pilam inde pollutionem contraxisse, igne accenso eam per flammam scelere purgaturi torserint? Quis non ad fidei ardorem Edessenorum [u], martyrium sitiat; cùm ipsi, quòd conventus in campis agere extra civitatem eligerent, quàm in ecclesiis cum Arianis convenire, (quod ubique in Oriente tunc fieri solitum, ex Basilij [x] etiam Literis, & Theodoreti [y] Historiâ intelligitur) diris modis affligi iussi, cuncti cœperunt currere præcipites, & festinare ad locum martyrio destinatum, tamquam vererentur ne qui deessent ad mortem: quando Præfectus ad egregium facinus unius mulierculæ cursu rapido illuc properantis, & infantulum quoque secum ad optatissimam necem trahentis, stupore attonitus, paratior recessit subire ipsemet supplicium, quàm frustrà eiusmodi hominibus inferre? Sed innumera sunt propemodùm, quæ passim occurrunt in Historiâ Ecclesiasticâ, ac præcipuè in Descriptionibus [z] Persecutionum ab Hæreticis Arianis, Donatistis, Eutychianis, Iconomachis, aliisque eiusmodi, in Catholicos per universam Asiam, Africam, Europam illatarum, exempla populorum generatim, & in eis multorum speciatim virorum tam Ecclesiasticorum quàm laicorum ceteris eminentium; qui nullis periculorum, aut tormentorum generibus, induci potuerunt ad communicandum cum Hæreticis in rebus quæ ad cultum religionis spectarent.

EDESSENORUM.

[u] Ruffin. 2. hist. 5. Theodor. 4. hist. 16.
[x] Ep. 69.
[y] 2. hist. 14.
[z] Vid. nostram Epit. Annal. Baron. verb. Persecutio in Ind. utriusque tomi: & sub nominibus singulorum hæreticorum.

VI.

SACRAMENTORUM PARTICIPATIONIS HORROR.

Nec modo speciatim agimus de sacramentorum perceptione; quæ longè diligentiùs caverunt Orthodoxi ab Hæreticis sumere, quòd iis maximè in unam [a] religionem homines colligari, & ab aliis secerni intelligantur. Sicuti ne sacratissimam Eucharistiam, quâ nullâ magis re per gratiam Fideles & cum Christo, & inter se uniuntur, ab iis sumerent; Constantinopolitani [b] omnis sexûs & ætatis exquisitissima & inaudita tormenta sufferre; Princeps etiam Hispaniæ Herminigildus [c], mortem subire elegerunt. Et Baptismum, quamvis ob singularem eius necessitatem, ab omnibus omninò hominibus cuiuscumque sexûs vel religionis tempore necessitatis suscipi

[a] Vid. August. 19. cont. Faust. 11.
[b] Socr. 2. hist. 30.
[c] Greg. 3. dial. 31.

cipi

cipi possint; nihilominùs Satyrus [d] S. Ambrosij frater, è naufragio vix elapsus, eius licèt summo desiderio accensus, quòd metueret rursùm tanti nominis debitor navigare; ab Episcopo tamen Schismatis Luciferiani suscipere horruit, maluitque eò transire, ubi tutò posset apud Catholicos id nomen exolvere. Et Antiochus [e] Samosatensium, ac Moyses Saracenorum electi Episcopi, numquam permittere voluerunt, sibi manus ad ordinationem imponi ab Episcopis lue Arianismi infectis.

[d] *Ambr. orat. fun. de obit. fratr.*

[e] *Theodor. 4. hist. 11. & lib. 4. cap. 23.*

CAPUT V.

De vitandis CONVENTIBUS *Hæreticorum.*

I. DE VITANDA COMMUNICATIONE CONVENTUUM, EXEMPLA, ET MONITA,

EIUSMODI porrò Vitationis Hæreticorum cùm extent alia creberrima monumenta in Actis *Conventuum*, ac *Synodorum*, ad quas Episcopi Orthodoxi, aliíque viri sanctitate insignes, ab Imperatoribus aliísque Principibus evocati sunt, ut simul cum Hæreticis de rebus fidei tractatus haberent: tum insigniter, quàm id abhorrere debeant omnes Catholici, & Magnus Paphnutius superioris Thebaidis Episcopus, verbis & factis; & mirificus ille toto Orbe celeberrimus Turonensium Antistes, norma Sacerdotum, & speculum sanctitatis, Martinus proprio damno paventer manifestavit: necnon qui copiosam lucem obscuris illius temporis hæresum tenebris attulit Lucifer Episcopus Calaritanus, ex lucidissimâ Veteris ac Novi testamenti doctrinâ, dilucidè planè ac copiosè demonstravit, tam ceteris suis scriptis, quàm præcipuè tractatu *de non conveniendo cum Hæreticis*, ad Imperatorem Constantium misso: ac denique doctissimus ac sapientissimus Ecclesiæ Romanæ Pontifex Gelasius, suis ad Episcopos Dardaniæ monitis: ut ceteros taceam innnumeros huius ipsius divinæ doctrinæ assertores.

II. PAPHNUTII.

Siquidem Paphnutius [f] in Conciliabulo Tyrio adversus Athanasium collecto, cernens omnia præter ius fás-

[f] *Ruffin. 1. hist. 17. Sozom. lib. 2. cap. 24.*

que ab Arianis geri, prehensâ manu Maximi Ierosolymorum Episcopi, monuit ut è consessu surgeret: *non enim oportere se, cùm essent Confessores, & pro pietate oculos effossos, poplitúmque flexus succisos haberent, concilio hominum perditorum communicare.*

MARTINI: Martinus [g] autem, quòd unà cum Ithacianis sævioris iudicij Episcopis, licèt ut Catholicis consuleret, quorum cervicibus gladius Maximi Imp. imminebat, ad horam necessitate non spiritu communicâsset; non solùm ab Angelo Dei correptus fuit, verùm etiam in sanandis infirmorum ægritudinibus detrimentum sensit virtutis.

[g] Sever. dial. 3. de Vit. S. Mart.

LUCIFERI: Lucifer verò ex divinis Scripturis, densè ac seriò adversus nefariam Hæreticorum communicationem inductis, istas omnium Orthodoxorum nomine, inter alias plurimas, conclusiones in Constantium elicit: *Quomodò potueramus nos, cùm simus servi Dei, vos verò servi diaboli, in unum convenire; quando sic inter nos & vos separatum esse voluerit Deus, quomodò inter lumen & tenebras, inter vitam & mortem, inter dulce & amarum; quomodò inter sanctos Angelos Dei, qui sunt semper clementiam eius magnificantes, & inter illos apostatas, quos in æternum tecum visurus eris torqueri,* (alloquitur Imperatorem) *nisi temet eripueris ab eis? Rectè igitur scias nos fecisse, recedendo à vobis Deo odibilibus. Quomodò etenim nos in cœtu vestro, omnibus facinoribus infecto, manere, & non vos pestes ac lues fugere debuerat? Proptereà odis nos, quia concilium vestrum malignantium execremur; proptereà in exilio sumus, proptereà in carcere necamur, proptereà nobis solis prohibetur conspectus, idcircò reclusi in tenebras custodimur ingenti custodiâ. Huius rei causâ nullus ad nos visendos admittitur hominum; quia videlicèt noluerimus vobiscum impiis sacrilegis, ullam scelerum vestrorum habere societatem; de quibus ex nostrâ personâ directa est obsecratio ad Deum, ne scilicèt vobiscum degentes simul periremus, sed fuissemus segregati de vestro nefario concilio, de vestrâ iniquâ conspiratione:* & alia id genus plurima. Sicuti & tractatu *de non parcendo in Deum delinquentibus*, ut probet non esse permittendum hæreticis accessum ad cœtus Catholicorum, eò applicans historiam Regis [h] Osiæ, qui pulsus est à sacerdotibus è templo, quòd cùm voluisset

[h] 2. Paralip. 26.

adolere incensum super altare thymiamatis, percussus est leprâ à Deo: inde concludit adversus Constantium: *Non licet tibi, Constanti, Ariano, cum Dei convenire populo: Non licet tibi idololatriæ Arianæ hæresis auctoris, de Dei sacerdotibus iudicare, sacrilegus fingens te Christianum, cùm sis Antichristi præcursor. Quæ ista nostra, Constanti, superbia est, quæve arrogantia? Si, quia te videamus morbidum esse, pestiferum, quippe Arrianum, elephantiam in te esse; quia istam consideremus illam quam Arius habuerit; quòd urgeamus te secedere è populo Dei, sicut illi Sacerdotes Domini Oziam de templo compulerint egredi; quia te ita cogamus dare Deo honorem? Si enim Oziam Dei Sacerdotes idcircò pellebant ex aulâ Dei, quia meminissent divinitùs præceptum leprosos ante expiationem ingredi templum prohibitos: quantò magis nos dignè te decet ex Ecclesiâ pellere Christi, de domo Domini, quia non sit licitum Hæreticum convenire cum Catholicis, insanum cum sanis, plenum immundis spiritibus cum eis in quibus inhabitat Spiritus Dei?* &c. Ac denique Gelasius [i]: *Moris Ecclesiastici omninò non est, cum his qui pollutam communionem tenent, permixtámque cum perfidis; ullum miscere consilium: Prophetâ quoque dicente, Non sedi in consilio vanitatis*, &c.

GELASII.
[i] *Epist. 13. ad Episc. Dard.*

III.
VASA HÆRETICORUM IMMUNDA.

Omitto quòd semper abhorruit Ecclesia Catholica, tam ecclesiis, quàm vasis Hæreticorum, ad divinum cultum paratis, absque [k] sacrâ expiatione uti: cùm & thuribula [l] ipsa, in quibus incensum illicitè fuerat oblatum à Core & schismatis sociis, ne in usu de cetero essent sacerdotibus, sed potiùs indignationis & ultionis divinæ memoriam corrigendis posteris exhiberent; iussu Domini conflata, atque igne purgata, in laminas ductiles producta sint, & affixa altari. Quantóque periculo habitacula Hæreticorum incolantur, in Prato [m] Spirituali Ioannis Mosci insinuat mala mors monachi Ægyptij, qui contra prudentiorum dehortationes habitare voluit in cellâ quæ fuerat aliquando Evagrij hæretici.

[k] *De consecr. dist. 1. c. 21. & seqq. & sæpè in Hist. Eccles. &c.*
[l] *Num. 16. Cypr. ep. 76.*
[m] *Cap. 177.*

CAPVT VI.

De Vitandâ PRECUM *communicatione, tam privatarum, quàm publicarum.*

I. PRECES COMMUNES PROHIBENTUR IN CANONIBUS APOSTOLORUM:

QUOD verò speciatim ad communionem *Precum* attinet; habemus imprimis Canones Apostolorum dictos: (qui etsi non fuerint ab ipsismet Apostolis, ut sese habent, conditi; quòd tamen ex Apostolicâ traditione [n] emanâsse cognoscantur, præcipuæ semper auctoritatis in Ecclesiâ extitêre.) In quibus statuitur [o]; ut *siquis cum Excommunicato in domo simul oraverit, communione privetur*: & ut *siquis clericus cum damnato* (sive *deposito*) *clerico oraverit, damnetur* (sive *deponatur*) *& ipse.* Ubi non de publicâ, sed tantùm de privatâ oratione agi, tam ex canonum verbis intelligitur; quàm ex interpretatione Callisti [p] & Fabiani antiquissimorum Summorum Pontificum, hanc eamdem doctrinam suis calculis confirmantium: dum ille prohibet, *cum excommunicatis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicare, aut Ave eis dicere: quia* (inquit) *quicumque in his, vel aliis prohibitis, scienter Excommunicatis communicaverit, iuxta Apostolorum institutionem & ipse simili excommunicationi subiacebit.* Iste iubet *separari ab omnibus quos Apostolus* [q] *commemorat, dicens cum eis nec cibum sumere;* ne qui consortium cum iis inierint, & ipsi subiaceant eorum excommunicationi: *quoniam* (inquit) *sic Apostoli statuerunt, dicentes, cum Excommunicatis non esse communicandum. Et siquis cum Excommunicatis, avertendo regulas, scienter psallat in domo, aut simul locutus fuerit, aut oraverit, ille communione privetur* [r]. Nam quòd communium Precum prohibitio iungitur cum communicatione in cibo, potu, & communi sermone, quæ privatim in domo fiunt, arguit etiam agi de oratione privatâ. Utraque verò, tam eiusmodi privata, quàm publica quæ fit in ecclesiis, vetatur in Clementis Romani Apostolicis constitutionibus [s], cùm dicitur: *Impios Hære-*

[n] *Vid. Baron. Annal. tom. 1. an. 102.*

[o] *Can. 11. & 12.*

[p] *Ep. 2. Fabi in ep. 1. to. 1. Conc l. & c. sicut ait. cum seq. 11. q. 3.*

[q] *1. Cor. 5.*

[r] *6. Const. 18.*

ticos non pœnitentes discludite, & semovete à Fidelibus, & eis Ecclesiam Dei interdicite: ut omnibus modis ab eis declinent, neque ulla cum eis sit sermonis, aut Precationis communitas. Et posteà [s] expressiùs de privatâ: *Fidelis ne in domo quidem precetur cum catechumeno: non enim æquum est, ut baptizatus cum non baptizato pariter inquinetur; pius cum hæretico, neque in domo quidem precationem faciat.*

[s] Lib. 8. c. 34.

II. ET IN CONCILIIS ANTIQUIS:

Eædémque egregiè distinguuntur ab invicem, paritérque prohibentur, in Concilio [t] Antiocheno, celebrato in Encœniis Dominici Aurei, sic dicti nobilissimi templi à Constantino Magno incœpti, sub Constantio absoluti: (& licèt fraudulenter contra Athanasium convocato; tamen fraudem mirificè tegentes qui cum Orthodoxis interfuerunt Ariani, solam expulsionem Athanasij attendentes, in reliquis & antiqua fidei dogmata, & fidei Nicænæ decreta confirmârunt:) cùm statuitur, *non licere cum Excommunicatis communicare; nec cum iis per domos convenire; & orare cum eis, qui Ecclesiæ non participant in oratione.* In Laodiceno [u] quoque decretum est, *non oportere cum Hæreticis, vel Schismaticis orare.* In Carthaginiensi [x] IV. ut *Clericus Hæreticorum & Schismaticorum, tam convivia, quàm sodalitates evitet æqualiter*: & *cum Hæreticis nec orandum, nec psallendum*: & *qui communicaverit, vel oraverit cum Excommunicato, sive clericus, sive laicus, excommunicetur.* Cui Concilio Augustinus interfuit: qui & aliàs [y] disputaturus de fide cum Manichæis, hanc priùs legem sttauit, *ut cum eis non oret, nec conventicula celebret.* Sicuti & longè anteà Origenes, cuius primordia laudatissima admirationi cunctis sæculis extitêre; cùm post martyrium patris adolescentulus in magnâ egestate relictus, susceptus benignè fuisset à quâdam locupletissimâ matronâ, in cuius domo habitabat pariter Paulus quidam Antiochenus, doctrinâ percelebris, sed hæresi infectus; numquam tamen (ut ait Eusebius [z]) *adduci potuit, ut unà cum illo precibus interesset.* Iure sanè meritóque. Quippe, ut argumentatur scientissimus Clemens Alexandrinus in expositione verborum Ioannis [a] Apostoli, prohibentis Hæreticos recipere in domum, & Ave eis dicere: *Arbi-*

[t] C. 2.
[u] C. 31.
[x] C. 70. 72. 73.

ET A PATRIBUS.

[y] Cont. ep. fundam. cap. 3.
[z] 6. hist. 3.
[a] Ioan. ep. 2.

tror (inquit) *quia & orare cum talibus non oportet; quoniam in oratione quæ fit in domo, post quàm ab orando surgitur, salutatio gaudij est & pacis indicium.* Aliámque rationem insinuans Cyprianus [b]: *Cohærere* (inquit, ut solet, eleganter) *& coniungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum fecunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas.*

[b] *De unit. Eccl.*

III. QUAM SIT INCONGRUUM, UT ORETUR CUM HÆRETICIS.

Nec satis est, (ut iam cetera omittam huius divinæ doctrinæ, ac disciplinæ Ecclesiasticæ, densissima antiquorum testimonia, & exempla) Hæreticum, aut Schismaticum non esse, si quis cum eis communicet. Quòd si in ceterâ conversatione, quantò magis in Precibus, quibus nullâ magis re eiusdem fidei communio, ac voluntatum unio significari possit? quæ cùm ad Deum laudandum, honorandum, exorandum, placandum, institutæ fuerint; nulla tamen eidem gravior contumelia, nullum iniuriosius probrum inferri; nullum ei munus ingratius, nullum detestabilius sacrificium offerri possit; quàm cùm ab illis eæ offeruntur, qui fraternam charitatem schismate & hæresi violârunt. Ideò namque (ut etiam idem Cyprianus [c] argumentatur) orandi legem discipulis suis Dominus [d] tradens, monet ut cùm stabunt ad orationem, remittant siquid habuerint adversus aliquem, ut & pater qui in cælis est remittat eis peccata: & ad sacrificium cum dissensione venientem reuocat [e] ab altari, & iubet priùs concordare cum fratre, túncque cum pace redeuntem Deo munus offerre; quia nec ad Cain [f] munera respexit Deus. Neque enim pacatum habere Deum poterat, qui cum fratre pacem per zeli discordiam non habebat. Siquis enim (inquit dilectus Christi discipulus [g], perpetuus dilectionis & charitatis prædicator) dixerit se diligere Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodò potest diligere? An sibi Deum propitiare existimabit, qui se ab eius charitate dividit? qui se à fratrum societate secernit? qui arma contra Ecclesiam excrit? qui contra Dei sacerdotes aliud altare eri-

DEUS EXSECRATUR PRECES HÆRETICORUM.

[c] *Ibid.*
[d] *Mar.* 11.
[e] *Matth.* 5.
[f] *Gen.* 4.
[g] 1. *Ioan.* 4.

git? qui precem alteram illicitis vocibus facit? qui dominicæ hostiæ veritatem per falsa sacrificia profanat? Quam verò sibi pacem promittere poterit, qui huiusmodi precibus communicaverit? an secum esse Christum [h] cùm collecti fuerint, præsument qui extra Christi Ecclesiam colliguntur? Pervenire [i] ad Christi præmia sperabunt, qui relinquunt Ecclesiam Christi? Habere posse Deum patrem credent, qui Ecclesiam non habent matrem? Quinimmò tales si occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur, nec passione purgatur. Esse Martyr non potest, qui in Ecclesiâ non est, qui fraternam non tenet charitatem. Etsi tradiderit [k] corpus suum ut ardeat, charitatem autem non habuerit, nihil proficit. Cúmque Deus [l] sit charitas, ac proinde qui sine charitate sunt, sine Deo sint; sed & cùm extra [m] corpus Christi, quæ est Ecclesia, neminem vivificet Spiritus sanctus, quia charitas [n] Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum; non sit autem particeps divinæ charitatis, qui hostis est unitatis, ac propterea non [o] habeant Spiritum sanctum, qui sunt extra Ecclesiam: quis tam vecordis confidentiæ fuerit, sive hæreticus, sive schismaticus, aut quicumque alius fuerit præcisus à corpore Christi, Deo nudus, & Spiritu sancto vacuus, eóque statu sibi congaudens; qui sibi promittere audeat exaudiri se cùm preces fuderit; nisi ad damnationem: quemadmodùm [p] & dæmones exauditi sunt, cùm petierunt [q] tentare Iob, & immittere se in porcos? Quis tam inconsideratæ temeritatis, ut qui eis ad participationem se immiscuerint, aliud inde consequi posse existimaverint, quàm ut & ipsi absque Deo, & Spiritu sancto fiant? Non enim exaudit Deus ad vitam æternam, (ut pluribus prosequitur Augustinus [r]) nisi qui orant in monte sancto suo; in quo se exauditum dicit, qui dicit [s]: *Voce mea ad Dominum clamavi, & exaudivit me de monte sancto suo.* Sanctus mons eius, sancta Ecclesia eius. Quisquis præter istum montem orat, non sese speret exaudiri ad vitam æternam. Quisquis præter templum Dei, hoc est, Ecclesiam, oraverit Deum, non exauditur ad illam pacem

[h] *Matth. 18.*
[i] *Cypr. ibid.*
[k] *1. Cor. 13.*
[l] *1. Ioan. 4.*
[m] *Aug. ep. 50. ad fi.*
[n] *Rom. 5.*
[o] *Aug. & Cypr. ibid.*
[p] *August. in Psalm. 21. 85. 144.*
[q] *Iob. 1. Matth. 8.*

NON EXAUDIUNTUR PRECES EXTRA COMMUNIONEM ECCLESIÆ.

[r] *In Psal. 42. & 110. Adde 24. q. 1. c. 22. &c.*
[s] *Psalm. 3.*

supernæ Ierusalem; etsi exauditur ad quædam temporalia, quæ Deus & Paganis donavit. Exaudiri ad vitam æternam aliud est; nec conceditur nisi ei qui in templo Dei orat, qui orat in pace Ecclesiæ, in unitate corporis Christi; & ideò exauditur, quia orat in templo. Ipse enim orat in spiritu & veritate, qui orat in pace Ecclesiæ. Reliquorum autem cùm sint preces & oblationes (ut appellat Scriptura [t]) *execrabiles & abominabiles*, non solùm *non* [u] *sunt acceptæ Deo*, nec in iis [x] ipse *propitiatur*, verùm etiam *fiunt* [y] eis *in peccatum: adeò ut cùm extenderint manus suas, avertat oculos suos ab eis; & cùm multiplicaverint orationem, & clamaverint* [z] *ad aures eius voce magnâ*; non exaudiat: quinimmò *maledicat* [a] *benedictionibus eorum: nec* denique velit [b] *orari pro eis*. quemadmodùm & antiquâ Gentilium lege [c] cavebatur, *ne impy auderent placare donis iram deorum*. Non quidem quòd preces in se malæ sint, sed propter indignitatem personarum, & detestationem impiorum; qui affectum peccandi non deserentes, *opponunt* [d] *sibi nubem, ne transeat oratio*: maximè verò Hæretici, quorum affectus est fidei oppositus.

[t] Proverb. 15. & 28. Isa. 1.
[u] Ierem. 6.
[x] Eccles. 34.
[y] Psalm. 108.
[z] Ezech. 8.
[a] Malach. 2.
[b] Ierem. 7. & 14.
[c] Cic. lib. 2. de leg.
[d] Thren. 3.

IV. PRECES HÆRETICORUM FIUNT DIABOLO.

Qui sanè & quòd (ut diximus) patrem in cælo Deum habere non possint, cùm matrem in terrâ Ecclesiam habere recusent; & quòd (ut Veritas [e] dicit) ex patre diabolo sint: cùm Patrem in oratione invocant (ut argumentatur Gregorius [f] Nyssenus) non Deum, sed diabolum invocant. *Oblatio* enim *hæreticorum* (inquit Ambrosius [g]) *non in Dei cultum, sed in dæmonū abominationes proficit:* quia *quicquid hæretici in Synagogis suis, hoc est, in conventiculis satanæ loquuntur, non est doctrina Domini, sed blasphemiæ, & dæmonum præstigiæ sunt*. Ut vel inde appareat, quanto periculo, immò quanto suo damno, qui fidem Catholicam profitentur, preces cum eis communicaverint. Quemadmodùm enim (inquit Augustinus [h]) Christus unus est cum omnibus membris suis, tamquam caput cū corpore suo, quæ est Ecclesia: sic cum omnibus impiis, quibus caput est, cum quodam corpore suo unus est diabolus. Et quòd Dominus [i] non tantū de Core, Dathan, & Abiron, auctoribus schismatis contra Moysen & Aaron, pœnas sumpsit,

[e] Ioan. 8. & 1. Ioan. 3.
[f] Hom. 2. de orat. Domin.
[g] In Symb. Apost. cap. 8.
[h] Serm. 61. de verb. Dom.
[i] Num. 16.

ſumpſit, verũ etiam de aliis, qui ſacrilegâ communione ſe eis ſociârunt; eo exemplo oſtenditur, & probatur (ait Cyprian.[k]) obnoxios omnes & culpę & pœnæ futuros, qui ſe Schiſmaticis irreligioſâ temeritate miſcuerint. Unde & disertè Patres antiquiſſimi Concilij Laodiceni[l], tum ſtatuerunt, *non permittendum Hæreticis, quamdiù permanſerint in hæreſi, in domum Domini ingredi:* tum *non concedendum Catholicis ad cœmeteria, & quæ dicuntur martyria hæreticorum, accedere orationis, vel venerationis gratiâ.* Ac ſanè *unus ædificans, & unus deſtruens;* (ait Spiritus[m] ſanctus) *quid prodeſt illis niſi labor? unus orans, & unus maledicens, cuius vocem exaudiet Deus?* Fieri non poteſt, ut Deus huiuſmodi ſocietati interſit, eorúmque preces audiat. Quod & fortè timentes antiqui Chriſtiani, cùm[n] aliquando in Perſecutionibus unà cum hæreticis ad ſupplicia pro fide Chriſti ſuſcipienda ducerentur, ne falſæ eorum doctrinæ ullâ ex parte conſentire viderẽtur, cum iiſdem communicare ad extremum uſq; ſpiritum prorsùs recuſabant: ac ſicut de aquilis[o] fertur, tantum eſſe iis odium in dracones, ut ne ſanguis quidem eorum, cùm interficiuntur, inter ſe commiſceri poſſit, ſed ſiquis miſcuerit, ſeparato fluxu ſeiungatur: ita generoſæ illæ Martyrum aquilæ ne ſanguinem ſuum cum draconum hæreticorum ſanguine miſceri patiebantur; ne fortè & ipſum eorum martyrium, quamvis omni ex parte ſanctum & legitimum, ingratius Deo redderetur ex eiuſmodi cum impiis ſocietate; quorum mors etiam pro Chriſti nomine ſuſcepta, non eſt fidei corona, ſed pœna perfidiæ; ut ſæpè Cyprianus & Auguſtinus tradunt. Quod enim Dominus[p] promittit, ut *ubicumque fuerint duo aut tres collecti in nomine eius, ſe in medio eorum futurum:* (ſicut egregiè idem Cyprianus interpretatur) de Eccleſiâ ſuâ loquitur, & ad eos qui ſunt in Eccleſiâ: ut ſi ipſi concordes fuerint, ſi ſecundũ quod mandavit, & monuit, collecti unanimiter oraverint, duo tantùm aut tres licèt ſint, impetrare poſſint de maieſtate Dei quod poſtulant. Quomodò verò poſſunt in nomine Chriſti colligi, quos conſtat à Chriſto, & ab eius Eccleſiâ ſeparari? *Scimus*[q] *quia peccatores Deus non audit:* (impœnitentes ſcilicèt) *ſed ſiquis*

[k] *Ep. 76. ad Magn.*
[l] *C. 6. & 8.*
[m] *Eccliſ. 34.*
[n] *Euſeb. 5. hiſt. 15. in fi.*
[o] *Plutar. de invid. & od.*
[p] *Matth. 18.*
QUI COLLIGANTUR IN NOMINE CHRISTI.
[q] *Ioan. 9.*

Dei cultor est, & voluntatem Dei facit, hunc exaudit. Quippe *propè* [r] *est omnibus invocantibus eum in veritate:* hoc est, in fide, & charitate Ecclesiæ, seriò, & ex cordis affectu: ac *voluntatem timentium se faciet*, (iustum est enim, ut faciat voluntatem eorum, qui faciunt voluntatem ipsius) *& deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos:* exaudiens semper primarium desiderium invocantium & timentium se, quod est salutis æternæ desiderium.

[r] Psalm. 144.

CAPVT. VII.

Quo ostenditur, Non esse Communicandum post mortem, cum iis, cum quibus non communicatur in vitâ.

I. PORRÒ si Lege divinâ, si doctrinâ Evangelicâ, si perenni fide totius Ecclesiæ Catholicæ, si legibus ac moribus cunctorum Christianorum, si omnis rationis auctoritate, cōmunicatio cum Hæreticis, dum vivunt, Catholicis interdicta est; quæ ratio, ut cum iisdem mortuis communicare liceat? ut cum illis, aut corā illis orare post obitum fas sit, quorū in vitâ precibus interesse, cum quibus superstitibus preces fundere nefas sit? An non satis apertè decernere Ecclesiam Christianam vidimus, ut *quibus* [s] *viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possimus?* An non apertiùs iugem omnium Christianorum eius rei praxim? An non apertissimè Christum ipsum dicentem [t], *Qui Ecclesiam non audierit, sit velut Ethnicus & publicanus?* Cùm igitur Ecclesia id decernat, & Christus præcipiat obedire Ecclesiæ; quæ alia quærenda ratio ei qui se Christianum dicit, ut etiam post mortem communionem Hæreticorum fugiat, nisi quòd Ecclesia id iusserit? aut quid aliud expectandum, si contra iussionem Ecclesiæ eiusmodi communicationi participaverit, nisi ut non ampliùs Christianus, sed habeatur à Christi Fidelibus velut Ethnicus & publicanus? Quinimmo & multò magis eorum communionem vitandam esse post mortem, quàm in vitâ, Tertullianus [u] nos admonet, cùm asserens ex Apostolo [x], *licere convivere cum Ethnicis*, subdit,

[s] Leo ep. 92. cap. 6. c. quicumque. 11. q. 3. c. sanè quod. 24. q. 2. cap. sacris. de sepult.

[t] Matth. 10.

[x] 1. Cor. 10.

commori non licere: quod etiam ad sepulturam necessariò infertur: Et quidem si Ethnicorum, multò magis hæreticorum, cum quibus Apostolus [y] nec convivere permisit.

[y] 1. Cor 5.

II. RATIONES VITATIONIS MORTUORUM.

Dices, vitari hæreticos aut propter hæresim, aut propter excommunicationem; iam verò corpus mortuũ nec capax esse hæresis, nec excommunicationis; ac proinde nec scrupulosè vitandam esse illorũ cum Catholicorum cadaveribus commixtionem. Satius quidem esset captivare [z] intellectum, in obsequium auctoritatis divinæ & Ecclesiasticæ. Sed quoniam cum iis res nobis est, qui rationum umbris lucem veritatis opacare numquam desinent; respondemus, quamvis nonnulli magni nominis viri [a] censuerint etiam mortuos excõmunicari posse; (non iam in eorum pœnam, aut medicinam; sed ad aliorum terrorem, & in criminis detestationem, in quos fines excommunicationem institutam esse vidimus:) plurimáque reperiantur [b] in multis Conciliis, aliisque Patrum scriptis, exempla ac testimonia condemnationis hominum iam mortuorum, & anathematis in eos dicti: veriorem tamen & nos existimare, quæ receptior videtur plurium Theologorum, & Canonistarũ sententiam, ut non possint mortui propriè Excommunicari, quòd non ampliùs valeant sententiâ Ecclesiæ ad aliquid obligari; sicut omnis censura obligat eum in quem fertur, ut à certis quibusdam rebus abstineat, aut certas alias faciat: ac propterea Iura, quibus dicuntur mortui anathematizari, aut excommunicari, accipere non de aliquâ censurâ in eos latâ; sed vel quia tunc declarati sunt fuisse olim alieni à communicatione Ecclesiæ, ob hæresim, aliúdve crimen excommunicationem habens annexam, quo post mortem detecti sint fuisse infecti in vitâ: vel ut excõmunicatio, & anathema, accipiatur pro detestatione & execratione eiusmodi personarum, ac criminum. Nec tamen inde effici, ut minùs vitanda sit communio cum cadaveribus Hæreticorum: quoniam quamvis non adsit ampliùs anima, quę sola propriè dici potest & hæresi fuisse polluta, & excommunicatione perculsa; adsit tamen caro, quam eiusmodi hæreti-

[z] 1. Cor. 10.

[a] Rich. 4. d. 18. art. 5. q. 4. Gabr. 4. d. 18. q. 2. ar 2. concl. 5. corol. 4. Glos. c. siquis Episc. verb. post mortem. ex. de hæret. &c.

[b] Vid. præcipuè Acta Conc. Oecum. V. & 24. q. 2. c. sanè profertur.

QUOMODÒ DICANTUR MORTUI EXCOMMUNICARI.

ca & excommunicata anima vivificavit; delubrum Antichristi, cuius characterem, & pollutiones æternùm retinebit; vas & organum satanæ, per quod infelix anima scelera commisit, hæresim contraxit, excommunicationem pertulit; ipsummet denique corpus, quod eamdem personam semper repræsentat, quódque solum visibile existens, obiectum fuit oculis Fidelium, quod ipsi vitare deberent, quod horrerent, quod execrarentur. Anne igitur huiusmodi animarum organa, immò homines huiusmodi, iure optimo Ecclesiam vitare præcepisse, negare quis audebit? Quinimmò & dicantur eo saltem sensu excommunicari, quia prohibetur Fidelibus vivis cum iis communicare, eos sacro loco sepeliendo, aut publicè pro iis orando: sicuti & simili modo post mortem dicuntur [c] aliqui absolvi ab excommunicatione, quatenùs reperti decessisse pœnitentes permittuntur sepeliri loco sacro, & divinis officiis adiuvari. Nec alia inest inter huiusmodi vivorum & mortuorum vitationes differentia; nisi quòd quando in aliquem vivum fertur excomunicatio, is solus directè ac principaliter eâ ligetur, arceatúrque à cõmunione Fideliũ; alij verò solùm indirectè, & consequenter, prohibeantur cum eo cõmunicare: cùm verò in mortuũ, directè vivi ligentur, arceantúrque à communione defuncti; ipse autem consequenter tantùm ab aliorum communione passivâ arceatur. Esséque hanc communicationem spiritualem, certum inde redditur, quòd sacra Sepultura (ut aliàs probavimus) res sit, sive actio, spiritualis: & ideò satis censeretur cum hæreticis & impiis communicari, si ad eamdem sacram sepulturam admitterentur: eò maximè quòd Fideles defunctos ad Ecclesiam pertinere, eiúsque esse membra [d] constet: & loca sepulturæ esse divino cultui, ac Fidelium orationibus destinata; ob hánceque præcipuè causam Fideles iis tumulari, ut participes efficiantur orationum, ac suffragiorum quæ ibi fiunt; abundè satis probatum sit superiùs.

[c] *Innoc. III. cap. à nob s. 28. ex. de sent. excom.*

[d] *Vid. Aug. 20. de civit. 9.*

III. Honestantur, aut dedecorantur, Corpora ratione animarum.

Quapropter est etiam admodùm rationi consentaneum, ut quemadmodùm Ecclesia suorum Fidelium corpora, etiamsi iam animâ priventur, sacris illis ritibus

honestat, quos in eorum exequiis fieri videmus; & quamvis sint in se incapacia suffragiorum, vel spiritualium bonorum, vult tamen ea circa ipsa fieri intuitu ipsorum animarum, quæ piè in fide & communione suâ decesserunt: ita eorum corpora, qui extra communionem Ecclesiæ impœnitentes mortui sunt, ignominiosè iis omnibus priventur, in pœnam perfidiæ animarum, in detestationem scelerum ab iis commissorum, in exemplum & terrorem superstitum. Cùm nihilominùs adeò certum sit, non [e] posse iis qui moriuntur impœnitentes, prodesse suffragia Ecclesiæ (non magis sanè quàm diabolo, & angelis eius æterno supplicio deputatis; quia sunt & ipsi per immutabilem sententiam æternis pœnis addicti:) ut etiam qui semel excommunicati fuerint, quamvis pœnitentes moriantur, & absoluti sint apud Deum; non tamen eis prosint eiusmodi communia suffragia, nisi etiam fuerint ab Ecclesiâ, quæ eos excommunicavit, absoluti: quia Ecclesia, quæ dispensatrix est eiusmodi suffragiorum, non intendit ut ij ex talibus suffragiis fructum aliquem percipiant. Quæ non magis propterea nimiæ severitatis accusari potest, quàm legitimus Iudex, qui ultimo supplicio afficere non desinit reum mortis, etiamsi per cordis contritionem consecutus sit à Deo sceleris sui veniam. Sicuti verò suffragia non prosunt defunctis impœnitentibus; (quod autem de excommunicatis dicimus, id ipsum & de omni peccatore moriente absque pœnitentiâ delicti letalis intelligendum:) ita nec locum sacrum sepulturæ aliquid prodesse, iam superiùs aliâ occasione ostendimus: insinuante Augustino [g], sicuti non obest iustis sepultura nulla, vel vilis, quando non potest aliter conferri; ita nec impiis celebrem, vel pretiosam prodesse; testantéque Gregorio [h], ac terribilibus exemplis confirmante, quos peccata graviora deprimunt, si ea dimissa non fuerint, ad evitandum iudicium, sacris locis post mortem non solùm non adiuvari, verùm etiam si in iis sepeliri se faciant, ad maiorem damnationis cumulum id eis futurum; ut etiam novâ accedente culpâ temeritatis, de suâ præsumptione iudicentur. Quod & olim magnus

[e] *Vid. Aug. de cur. pro mort. cap. 1. Greg. 4. dial. 44. &c.*

MORTUIS IMPOENITENTIBUS NON PROSUNT SUFFRAGIA.

[g] *De cur. pro mort. cap. 2. cap. sacr. 5. ex. de sepult.*

[h] *4. dialog. 50. 51. 53.*

[i] Vit. Pachom. cap. 34. lib. 1. Vit. Patr.

Pachomius [i] Abbas, de quo iam superiùs, insigni documento explicaverat; dum cadavere cuiusdam sui monachi præter ullam psalmodiam efferri iusso, quoniam vitam suam negligenter consumpserat; conquerentibus de iniuriâ parentibus defuncti respondit, & egregiis rationibus confirmavit, maiores illi dolores per hunc honorem acquiri.

IV.

[k] 2. dialog. 23.

EXEMPLA MORTUORUM NON COMMUNICANTIUM CETERIS.

Et quod speciatim ad communicationem pertinet; narrat idem Gregorius [k] in Miraculis S. Benedicti, de duabus sanctimonialibus, quibus ipse ob linguæ intemperantiam excommunicationem comminatus erat; cùm eadem à pristinis moribus nihil mutatæ, brevi diem obeuntes, sepulturam in ecclesiâ accepissent, quotiescumque in eâ ecclesiâ Missarum solemnia celebrarentur, atque ex antiquo more Diaconus clamaret, Siquis non communicat, det locum; visas eas esse de sepulchris suis progredi, & exire: quousque illæ à S. Benedicto ab excommunicatione solutæ, non ampliùs visæ sunt à monumento exire: Iuxta ea quæ superiùs diximus de damnatione, & absolutione mortuorum; ut quemadmodùm qui in occultâ impietate decedunt, post mortem damnari possunt, ita [l] qui pœnitentes, vel absque lethali culpâ obierunt, absolvi. Qualis fuit & sequens eiusdem Gregorij [m] narratio, de puero eiusdem S. Benedicti monacho, qui sine benedictione de monasterio ad invisendos parentes exierat; cùm eodem die defunctus fuisset, ac sepultus, die altero proiectum foras eius corpus inventum esse: cúmque rursùs illud tradere sepulturæ curâssent, sequenti die iterùm proiectum exteriùs, atque inhumatum sicut priùs inventum fuisse: donec communioni restitutum à S. Benedicto, terra non ultrà proiecit. Quare & hæc probè intelligens Cosmas Abbas Lauræ Pharan, vir singularis religionis ac fidei, nec quidem post mortem sustinuit eodem monumento cum Episcopo hæretico permanere: quem Ioannes [n] Moschus refert, cùm diem obiisset Antiochiæ, sepultúsque fuisset in monumento, ubi positus fuerat quidam Episcopus occultus hæreticus; auditum fuisse singulis noctibus clamantem ad Epi-

[l] 24. q. 2. c. sanè profertur.

[m] 2. dial. 24.

[n] Prat. Spir. cap. 40.

ſcopum, *Noli me tangere, hæretice; ne appropinques mihi inimice ſanctæ Dei Catholicæ Eccleſiæ.* Quidni enim cum hæretico id fieret? cùm eodem auctore [o] conſtet, Thomâ quodam Abbate ſanctiſſimæ vitæ mortuo Antiochiæ, cùm ſepultus fuiſſet à clericis communi peregrinorum conditorio, iidémque ſequenti die humâſſent mulierem defunctam ſuper eum; paulò pòſt terram evomuiſſe mulierem; cúmque eamdem rursùm tumulâſſent, rursùm etiam terram eieciſſe, donec alio monumento poſuerunt. Idque ipſum denuò contigiſſe, cùm poſt aliquot dies aliam item mulierem ſuper corpus Abbatis ſepeliſſent. quò videlicèt ſic viri ſanctitas manifeſtaretur; ſimúlque intelligeretur, non licere promiſcuè dignos & indignos iiſdem monumentis tumulari.

[o] Ibid. cap. 88.

V.

Sanè cùm mors [p] intraverit in mundum per peccatum, & inde [q] ex iuſtiſſimâ omnipotentis Dei ſententiâ maledictionem [r] terra acceperit, & homini poſt mortem in terram eundum ſit; & tum ut auferatur generalis illa maledictio, tum ob alias rationes iam ſuperiùs adductas, conſueverit terra ad ſepulturam Fidelium ſacris ritibus benedici: quis non videat, hæreticis, ac ceteris qui moriuntur in peccato, nihil iuris competere in terram benedictam, cùm non niſi ſint maledictioni obnoxij? Non enim de corporibus illorum, ſed de Fidelium tantùm qui in Domino moriuntur, Apoſtolus [ſ] dixit: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione; ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloriâ; ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute; ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale:* quatuor inſinuans dotes, quas corpora Fidelium in reſurrectione, ut animabus beatis ſint accommodata, recipient; nimirùm impaſſibilitatem, claritatem, agilitatem, & ſubtilitatem; quibus carebunt corpora damnatorum: quæ licèt futura & ipſa ſint immortalia, erunt tamen ſuppoſita acerbiſſimis cruciatibus atque doloribus, opaca, fœda, craſſa, gravia, multò magis quàm fuerunt in hâc vita: ſicuti corpora ſanctorum [t] in longè meliorem reparanda ſunt qualitatem, quàm fuit etiam primorum hominum ante peccatum. *Non* [u] enim *reſurgent impij in iudicio, ne-*

QUALIS FUTURA RESURRECTIO CORPORUM.

[p] Rom. 5.
[q] Aug. 13. de civit. 15.
[r] Gen. 3.
[ſ] 1. Cor. 15.
[t] Aug. 13. de civit. 20.
[u] Pſal. 1.

que peccatores in concilio iustorum: hoc est, cùm resurgent impij, longè aliud eorum iudicium erit, quàm iustorum. quippe *resurrectio* [x] *eis ad vitam non erit:* sed sicut probi *evigilabunt* [y] *in vitam æternam*, ita improbi *in opprobrium sempiternum:* illi *in* [z] *resurrectionem vitæ*, hi *in resurrectionem iudicij*, hoc est condemnationis in pœnas sempiternas: illi non tantùm *resurgent* [a], sed etiam *immutabuntur*; per gloriam scilicèt: hi *resurgent quidem, sed non immutabuntur. Iusti immutabuntur* (inquit Augustinus [b]) *in illam incorruptelam, cui omninò nulla possit nocere corruptio: qui autem in eam non commutabuntur, incorrupti quidem resurgent integritate membrorum, sed tamen corrumpendi dolore pœnarum.* Unde eorum resurrectio magis dicenda est *resurrectio ad mortem:* quia (ut egregiè idem auctor [c] ait) *Si anima in pœnis vivit æternis, mors illa potiùs æterna dicenda est, quàm vita: nulla quippe maior & peior est mors, quàm ubi non moritur mors.* Quæ est *mors* illa *secunda*, quam sæpè Ioannes nominat in Apocalypsi [d], (vel comparatione mortis, quâ anima separatur à corpore; vel etiam mortis animæ, quæ fit per peccatum:) interpretatúrque *stagnum ignis & sulphuris.*

[x] 2. Machab. 7.
[y] Dan. 12.
[z] Ioan. 5.
[a] 1. Cor. 15.
[b] Ep. 146. ad Consent.
[c] 6. de civit. 12.
[d] Cap. 2. 20. 21.

VI.

QUANTUS HORROR COMMUNICATIONIS CUM IMPIIS POST MORTEM.

Cùm igitur hæc ita se habeant, quis vel cogitare non horreat, ut qui non nisi ad mortem surrecturi sunt, cum iis interim eâdem domo, eodem cubiculo, eodem lecto dormiant, qui ad vitam evigilare habent? Quis sibi persuadeat, *percussisse* [e] *fœdus cum morte, & cum inferno fecisse pactum?* Quæ namque mortis, & vitæ communio? quæ damnatorum, & electorum unio? quæ ratio, ut Filij Dei & lucis, filij promissionis, heredes Dei & coheredes Christi, templa Spiritùs sancti, (ut vocantur in Scripturâ Fideles) eodem loco quiescant cum filiis diaboli & tenebrarum, filiis iniquitatis, ministris satanæ, habitaculis dæmoniorum? Audacioris sanè fiduciæ sit oportet, qui cubare cum huiusmodi monstris ausit, quíque somnum cum iis capere, aut quietem in eorum consortio reperire potuerit. Sunt enim (ut vidimus) sepulchra, dormitoria, & quietoria: sed Fidelibus, qui in pace Christi ex hâc temporariâ vitâ transeuntes ad æternam, dormiunt [f] interim

[e] Isa. 28.
[f] Act. 7. in fi.

interim corpore in Domino: (unde & *viventes* [g] appellari aliàs diximus) non impiis, qui post primam mortem corporis, descendunt per continuam mortem animæ, ad secundam sempiternam animæ simul & corporis. De quâ rursùm præclarè, ut solet ubique Augustinus [h]: *Eorum qui non pertinent ad Civitatem Dei, erit miseria sempiterna, quæ etiam secunda mors dicitur: quia nec anima ibi vivere dicenda est, quæ à vitâ Dei aliena erit; nec corpus, quod æternis doloribus subiacebit. Ac per hoc ideò durior ista secunda mors erit, quia finiri morte non poterit. Ibi sic confligit cum ipsâ naturâ corporis vis doloris, ut neutrum alteri cedat. Hîc enim quando contingit iste conflictus, aut dolor vincit, & sensum mors adimit; aut natura perdurans vincit, & dolorem sanitas tollit. Ibi autem & dolor permanet, ut affligat; & natura perdurat, ut sentiat: quia utrumque ideò non deficit, ne pœna deficiat.* Et Gregorius [i]: *Quia duobus modis vita dicitur, duobus etiam modis mors debet intelligi. Aliud namque est, quod in Deo vivimus; aliud verò, quod in hoc quod conditi vel creati sumus; id est, aliud beatè vivere, atque aliud est essentialiter. Anima damnatorum & mortalis esse intelligitur, & immortalis. Mortalis quippe, quia beatè vivere amittit: immortalis autem, quia essentialiter vivere numquam desinit; & naturæ suæ vitam perdere non valet, nec cùm in perpetuâ fuerit morte damnata. Illic enim posita beata esse perdit, & esse non perdit. Quâ ex re cogitur semper, ut & mortem sine morte, & defectum sine defectu, & finem sine fine patiatur: quatenùs ei & mors immortalis sit, & defectus indeficiens, & finis infinitus.*

[g] Vid. Genebr. in psal. 6. vers. 6.

[h] 19. de civit. 28.

[i] 4. dial. 45.

VII. ÆQUITAS DISTINCTIONIS SEPULCHRORUM; RATIONE REMISSIONIS PECCATORUM:

Æquissimum igitur esse, ut quos peccata in barathrum detrudunt, longè segregentur à sepulcris eorum, quos pietas ad cælum evehit; illud etiam vehementer suadet, quòd (ut idem Augustinus [k], rationem indagans cur Iacob tanto studio teneretur sepulturæ corporis sui in terrâ Chanaan, argumentatur) *sepultura mortuorum remissionem significet peccatorum*: ac proinde concupierit sanctus Patriarcha ibi sepeliri, ubi spiritu prophetiæ prævideret remissionem peccatorum sanguine Christi peractum iri. Cùm autem qui in peccatis moriuntur, non possint post mortem obtinere eorum remissionem; pro-

[k] q. 161. in Gen.

RATIONE CONIUGII.

fectò nec debent sepulturam consequi cum illis, quibus remissa sunt. Itémque illud, quod ex Hieronymo [l] refert Gratianus; *Quos coniunxit unum coniugium, coniungat sepulcrum.* Quod & probatur exemplis primorum Patriarcharum [m], qui eodem sepulchro cum uxoribus conditi sunt: & Tobiæ [n], qui filio suo præcepit, ut matrem sepeliret iuxta ipsum in uno Sepulchro: & Iudith [o], quæ sepulta est cum viro suo. Hæc enim etiam in sepulchro coniunctio significat, quantus, quàm constans, & perennis inter coniuges amor esse debeat: quia *una* [p] *caro sunt; & quos Deus coniunxit, homo non separet.* Fuisseque eam generalem Iudæis consuetudinem, tam ex his constat; quàm quòd etiam in Actis [q] Apostolorum legitur, Saphiram voce Petri extinctam, *sepultam esse ad virum suum* Ananiam, eodem vento paulò antè è vivis exsufflatum. Narrat & Chrysostomus [r], matrem suam ab ipso petiisse, ut corpus suum cum mariti ossibus coniungeret. Pariterque Augustinus [s], S. Monicam ipsius matrem magnâ curâ semper æstuasse de sepulchro, quod sibi providerat, & præparaverat iuxta corpus viri sui; quia valdè concorditer vixerant. Et legibus Ecclesiasticis [t] cavetur, ut uxor cum marito sepeliatur. Ac si è re esset, aut aliquid dubitationis in hanc assertionem incideret, quamplurimis id ipsum tam Christianorum, quàm Gentilium, omniúmque sectarum, ac populorum exemplis, probare pronissimũ esset: quæ planè superflua fuerint in tritissimo hodiéque apud omnes nationes, & religiones usu. Quod cùm & non rarò miraculis inter Christianos confirmatum reperiri possit, egregium est, quod habet Gregorius [u] Turonensis de duorum nobilium Arvernorum sepulturâ: nempè, cùm post perpetuam continentiam secretè in sancto coniugio ex pacto servatam, prior puella decessisset; ac peracto vir funeris officio puellam in sepulchro deponens, elevatis ad cælum manibus arcanum panderet dicens; *Gratias tibi ago æterne Domine, quia hunc thesaurum, sicut à te commendatum accepi, ita immaculatum pietati tuæ restituo:* ad hæc puellam mortuam subsidentem; *Sile*, inquit, *sile, vir Dei; quia non est necesse*

[l] quæst. Hebr. in Gen. c. ebron. 3.q.1.
[m] Gen. 25. & 49. Ios. 14.
[n] Tob. 4. & 14.
[o] Iudith. 16.
[p] Gen. 2. Matth. 19. 1. Cor. 6.
[q] Act. 5.
[r] Lib. 1. de Sacerd.
[s] 9. Confess. 11.
[t] Cap. 3. de sepult. in 6.
[u] 1. hist. Franc. 42. & de glor. Confess. cap. 32.

fatearis nostrum nemine interrogante secretum. Cùm verò post paululum temporis vir quoque migrâsset è vitâ, sepultúsque fuisset in loculo separato alterâ parte Ecclesiæ, factum esse divinitùs ut sepulcra in unum iungerentur: *scilicet ut quos teneret socios cælum,* (inquit Gregorius) *sepultorum hic corporum non separaret monumentum.*

VIII.

Cùm autem nihil hîc tam homines inter se liget, quàm eadem religio; nulla sit tam arcta copula, quàm eiusdem fidei; nullum adeò sanctum connubium, quàm cordium & animarum; nihil denique (inquit Gregorius [x] Nazianzenus) eos qui sincero animi affectu Deum colunt, æquè inter se conciliet, atque consentiens de Deo doctrina: quantò magis præstat, ut qui huiusmodi coniunctione spirituali inter se uniuntur, quorum (ut ait Scriptura [y]) est *cor unum & anima una*, eodem sepulchro consocientur in *eiusdem fidei testimonium*, (ut Augustinus [z] loquitur) quàm qui non nisi sunt *caro una?* Cùm & prætereà naturaliter hoc agi, ut quibuscum familiariùs viximus, cum iisdem eodem tumuli claustro contineamur; nihílque antiquis fuisse antiquius, quàm ut chari in charorum sepulchris tumularentur, ac præcipuè Christiani ad memorias & reliquias Sanctorum, quò eorum patrocinio illæsi pervenirent ad eorum cæleste consortium; permultis auctoritatibus, & exemplis superiùs demonstratum fuerit. Ut autem cum eiusdem fidei professoribus cōdatur quis, præter acervum illum exemplorum, quo id æquè probatum fuit, mirabiliter apud Tertullianum [a] legimus, *in cœmeterio Christianorum corpus corpori iuxtà collocando, spatium recessu communicâsse.* Et in Rebus gestis S. Ioannis Eleemosynarij Patriarchæ Alexandrini, à Leontio conscriptis; cùm eius corpus mortuum reponendum esset eodem sepulchro, quo iacebant duorum aliorum Episcoporum corpora, eos cernentibus omnibus qui ad Ioannis sepulturam convenerant, corpora sua separantes, in medio Ioannem suscepisse. Itémque in Prato [b] Spirituali, Angelum Dei, senem quemdam cœnobitam, cetera magnis virtutibus præditum, sed tantâ circa fidem simplicitate, ut ubicumque eum esse con-

[x] *Orat. 12. quæ est 1. de pace.*

[y] *Act. 4.*

[z] *De cur. pro mort. cap. ult.*

RATIONE FAMILIARITATIS:

ET EIUSDEM FIDEI:

[a] *De animâ. cap. 51.*

[b] *Cap. 178.*

tigisset, indiscretè cum Catholicis, hæreticísve communicaret; paulò ante eius obitum interrogantem quomodò vellet sepeliri, ut Ægyptij monachi facerent, an ut Ierosolymitæ? (erant Ægyptij hæretici, Ierosolymitæ Orthodoxi:) ut scilicèt insinuaret, sepulturam ita à communicatione pendere, ut ibi hæc præcessisset, ibidem illa subsequi deberet. quod & probè intelligens alius prudentior senex, cui simplicior ille interrogationem Angeli pandidit, monuit nefas esse extra Ecclesiam Catholicam communicare; & respondendum Angelo, velle se ut Ierosolymitas sepeliri.

IX.

RATIONE PARTICIPATIONIS SACRAMENTORUM.

Ibi enim regulariter sepeliri quemque debere, ubi maiores eius sepulti sunt, vel ubi ipse Sacramenta Ecclesiæ participavit, decreta [c] canonica statuunt: atque si in aliis ecclesiis sepulti fuerint, corpora ad proprias referri iubent: nisi fortè iidem alibi legitimè sepulturam elegerint. quod tamen nec in loco profano, nec cum infidelibus, aut hæreticis, vel excommunicatis, facere possunt, quin evidens edant signum perversæ suæ fidei, & malæ in Religionem Catholicam mentis. Unde & validum aliud elicitur in Hæreticos argumentum, ut non recipiantur in sepulchra Ecclesiæ Catholicæ; quia nullibi participant eius sacramentis, nullósque possint in eâ reperire suarum perfidiarum maiores. Aliúdque inde, quòd per leges [d] etiam civiles iidem deportatione digni sint: in deportatos autem pœna etiam maneat [e] post mortem, ut non possint aliò transferri: ac propterea qui [f] in vitâ morari in civitate non possunt, iidem mortui, nec sepulturæ etiam causâ, in eam reduci possint. quemadmodùm & legibus [g] Ecclesiasticis, quibus vivis est Ecclesiæ ingressus interdictus, (quales sunt hæretici, & excommunicati) non debent mortui in ecclesiâ, vel cœmeterio ecclesiastico sepeliri.

[c] c. 1. 6. 7. 13. q. 2. cap. 1. 3. 5. 6. ex. cap. 1. 2. 4. in 6. de sepult.
[d] L. 3. C. Th. de his qui sup. relig. cont.
[e] L. 2. D. de cad. pun.
[f] Bartol. in d. l. 2. Iason in l. 2. C. qui test. fac. Anchar. in Clem. 1. de pæn. & remiss. Covarru. 2. Var. 1. nu. 11.
[g] Cap. is cui. de sent. excom. in 6.

X.

EPILOGUS HUIUS DISPUTATIONIS.

Denique ut rem diffusissimam, & quamplurimis aliis auctoritatibus, exemplis, rationibus, & argumentis, confirmatu facillimam, in pauca contrahamus; sicuti Catholici, & Hæretici, dum vivunt, non inter se communicant moribus, affectionibus, studiis, disciplinâ, fide, lege,

doctrinâ, sacramentis, precibus, ritibus, templis: sic non debent post mortem communicare cœmeteriis, & sepulturâ; quandoquidem nec post resurrectionem possunt vitæ habere communicationem; repræsentétque per sepulturam Ecclesia statum, quem in futuro sæculo adepturi sunt homines. Hanc enim doctrinam Iure Naturæ positam vidimus, sacrâ Scripturâ traditam, fide totius Ecclesiæ creditam, praxi omnium Gentium Fidelium observatam, decretis summorum Pontificum stabilitam, canonibus sacrarum Synodorum roboratam, testimoniis sanctorum Patrum & Doctorum testificatam, legibus & consuetudinibus divinis humanísque confirmatam. Cui propterea si aliqui ausi essent refragari, (ut de Cynicorum impudenti turpitudine eleganter ait alicubi Augustinus [h]) ut non dicam ictibus lapidantium, certè conspuentium salivis obruerentur.

[h] 14. de civit. 10.

LIBER IV. PARS II.

Quâ Rationes, & Argumenta contra omnes HÆRETICOS *universim hactenùs allata, speciatim contra recentiores, ac præsertim* CALVINISTAS *intorquentur.*

VT verò quæ de omni Hæresi generaliter dicta sunt, contrahamus magis pressè ad *Lutheranam*, vel etiam pressiùs ad CALVINIANAM, mali corvi pessimum ovum; partum illius viperinum, qui corrosis matris lateribus in lucem editus, eam sibi in ceteros fratres tyrannidem paravit, quá etiamnum cristas elatus erigit:

Martius [a] anguis erat, cristis præsignis, & auro:
Igne micant oculi, corpus tumet omne veneno:
Trésque micant linguæ; triplici stant ordine dentes.

[a] Ovid. metam. 3.

CALVINI DESCRIPTIO.

—— Longo caput extulit antro
Caeruleus serpens, horrendáque sibila misit.
Ille volubilibus squamosos nexibus orbes
Torquet, & immenso saltu sinuatur in arcus.
Ac mediâ plus parte leves erectus in auras,
Dispicit omne nemus: tantóque est corpore, quanto
Si totum spectes geminas qui separat Arctos.
Nec mora, Phoenicas, sive illi tela parabant,
Sive fugam, sive ipse timor prohibebat utrumque,
Occupat hos morsu, longis amplexibus illos;
Hos necat afflatu, funestâ hos tabe veneni.

LUTHERI SIMUL ET CALVINI.

Diceres voluisse Ovidium (ut sunt vates fatidici) describere CALVINUM, post tot saecula in perniciem generis humani venturum. Utrumque verò tam LUTHERUM, quàm CALVINUM, Virgilium [b], cùm dixit:

Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta
(Horresco referens) immensis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad littora tendunt.
Pectora quorum inter fluctus arrectáque, iubaeque
Sanguineae exuperant undas: pars cetera pontum
Ponè legit, sinuátque immensa volumina terga.
Fit sonitus spumante salo, iámque arva tenebant:
Ardentésque oculos suffecti sanguine, & igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

EORUNDEM ET ZUINGLII.

Quibus si ZUINGLIUM gladiatorem copulaveris, efficies Tres illas Furias, sive Harpyas, (easdem enim esse Harpyas cum Furiis; quae apud Inferos Furiae, & Canes; apud Superos Dirae, & Aves; in medio Harpyae dicantur; asserit Servius [c]:) quas convenientissimâ ad tres istas Christianitatis pestes assimilatione, sic idem Virgilius [d] descripsit:

Tristius haud illis monstrum, nec saevior ulla
Pestis, & ira Deûm Stygiis sese extulit undis.
Virginei volucrum vultus; foedissima ventris
Proluvies, uncaeque manus, & pallida semper
Ora fame.
Diripiúntque dapes, contractúque omnia foedant
Immundo: tum vox tetrum dira inter odorem.

[b] Æn. 2.
[c] In Æn. 3. Cerd. ibid.
[d] Æn. 3.

Quamvis enim sint & plurimi alij nefandorum nominum Hæresiarchæ, qui posterioribus his temporibus non parùm Rempublicam Christianam seditionibus suis divexárunt; quòd tamen plerique omnes tribus istis antesignanis glorientur, iisdémque tam potentiâ quàm etiam impietate cedant; non est quòd vel querantur se contemptui haberi, vel exultent se intactos abire: quod enim iis dictum fuerit, sibi unicuique & dictum putent; iisdémque se telis impeti existiment, quibus illi confixi fuerint.

CAPVT I.

Vt Novatores huius sæculi excludantur à Cœmeteriis Catholicorum, satis esse ut pro Hæreticis habeantur à Catholicis, etiam si non verè essent.

CVm igitur à sacris Cœmeteriis repellantur Hæretici, per omnes leges divinas & humanas, per omnes scripturas sacras & profanas, per omnes cunctorum patrum & sapientum consentientes sententias, per omnes omnium Religionum observationes; quid adversùs ista opponent Lutherani, vel Calvinistæ, vel alia pestiferarum harum viperarum venenata genimina? Quid enim? nisi se non esse Hæreticos; ideóque has leges, scripturas, sententias, observationes ipsos neutiquàm attingere. Credo equidem hanc fore acceptiorem illorum omnium exceptionem: sed cùm iam has obstruxerimus fugitivorum rimas, alia sanè ipsis disquirenda diverticula, ni velint eádem cum suis decessoribus damnationis sententiâ illigati teneri. Non enim iam quæritur, utrùm ipsi re ipsâ hæretici sint, nécne; sed utrùm pro talibus habeantur ab Ecclesiâ Catholicâ. Si enim habeantur, quis iure dicat conqueri eos posse, quòd Catholici in eos exerceant, quod ab omnibus omninò omnium Religionum sectatoribus, in eos qui alterius fidei essent, usurpatum fuisse vi- I.

dimus? quod inter Christianos legibus & constitutionibus Ecclesiasticis sancitum, moribus ac consuetudinibus receptum, ab ipsis nascentis Ecclesiæ incunabulis semper & ubique hactenùs observatum conspeximus, in eos qui pro hæreticis ab Ecclesiâ Catholicâ habiti fuerunt? Quis æquo animo patiatur, accusari Catholicos, quòd custodes sint legum paternarum, cultores Religionis avitæ, observatores veterum sacrarúmque suarum ceremoniarum? quòd nolint immunitatum Ecclesiæ suæ proditores fieri? iurium ipsius traditores effici? divini cultûs desertores audiri? Legimus quidem sanctum Legislatorem Moysen [c], excessu quodam summi amoris, ac veluti cæcæ charitatis in Deum, ac populum suum, maluisse *deleri de libro vitæ*, suâque gloriâ carere; quàm Dei gloriam periclitari, tum apud Gentiles, qui populo & Deo obtrectâssent, si Deus populum suum in deserto delevisset; tum apud ipsos Israëlitas, qui omnes in æternum periissent, blasphemâssentque Deum in inferno. Et magnum Doctorem Gentium Paulum [f] Apostolum, eodem ardentissimo zelo gloriæ Dei, eâdémque fraternæ charitatis immensitate, *optâsse anathema esse à Christo pro fratribus suis;* ne scilicèt Deus blasphemaretur, & ut fratres sui salvarentur. Ipsumméque CHRISTUM Dominum, in se suâque personâ benedictum in æternum, inenarrabili in genus humanum amoris affectu, factum [g] esse pro nobis maledictum, ut nos redimeret de maledicto legis. Nonnullósque Sanctos, qui impotenti quodammodò, & incredibili amore Christi, concupierunt non solùm in hâc vitâ omnes angores & dolores sustinere, qui verbis exprimi, aut animo concipi possunt; verùm etiam post hanc vitam tradi in infernum, ut ibi sua, & hominum etiam damnatorum, ac dæmonum (si fieri posset) peccata luerent, & expiarent: Ut taceamus de pluribus Gentilibus, quos pro salute patriæ devovisse sese lubentissimis animis in præsentissimam perniciem, historię tradunt. Sed qui se eiusmodi animæ & corporis periculis exposuerint, ut Deum inhonorent, ut fratres perdant, ut execrationem hîc subeant, ut maledictionem æternam

Iure agere Catholicos in excludendis Novatoribus.

[c] Exod. 32.

[f] Rom. 9.

[g] Gal. 3.

nam in inferno consequantur, ut patriam pessumdent; nullos usquam legimus: nisi quos (ut loquitur Cyprianus [h]) *Vinolentia invitat, superbia inflat, iracundia inflammat, rapacitas inquietat, crudelitas stimulat, ambitio delectat, libido præcipitat:* nisi quos (ut Gregorius [i]) *superbia erigit, avaritia tabefacit, voluptas dilatat, malitia angustat, ira inflammat, discordia separat, invidia exulcerat, luxuria inquinans necat:* hoc est, nisi vel qui [k] *non probaverunt Deum habere in notitiâ*, quos & ideò *tradidit Deus in reprobum sensum*: vel Hæreticos, quorum sunt illa quæ diximus vitia propria: vel etiam pravos Christianos, qui licèt fidem teneant, vitam tamen fidei non tenent.

[h] Ep. 2.
[i] 33. Moral. 6.
[k] Rom. 1.

II. OBSEQUIUM OMNE DEBETUR ECCLESIÆ.

Non certè Ecclesiam hoc afficit in rebus illis quas decernit. Quam cùm *exhibuerit* [l] Christus *gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi:* constituerítq; in *columnam & fundamentum veritatis:* dans in eâ *quosdam* [m] *quidem Apostolos, quosdã autem prophetas, alios verò evangelistas, alios autem pastores, & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi: ut iam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris:* adeò ut *qui* [n] *eos audiant, Christum audiant;* qui verò non audiant, eos ipse habendos [o] decernat *velut Ethnicos & publicanos:* Illa verò eadem Ecclesia, quam Catholici ut matrem, dominam, & magistram sibi à Christo datam agnoscunt; cuius vocem audire, éique obaudire, pœnâ anathematis, & damnationis æternæ, tenentur; Lutheranos, & Calvinistas, alióśque eiusmodi sectarios Novatores, (ut mitiori iam nomine cum illis agam) pro Hæreticis habeat; nefásque iudicet, aliquos ad sacra suorum cœmeteria ac sepulchra admitti, quos ipsa pro talibus declaraverit: an consultò Catholici, destinatóque animo, eiusmodi homines admittendo, sententiam damnationis incurrere volent? Falluntur, qui Ecclesiæ filios id perpetraturos existimaverint, quod sine grandi atque inexpiabili peccato perpetrare non possint. Qui enim id perpetraverit, aut permiserit, non sanè Ecclesiæ filius, sed perfidus apostata, ac scelera-

[l] Ephes. 5.
[m] Ephes. 4.
[n] Luc. 10.
[o] Math. 18.

tus desertor audiet. Quippe cùm agatur de professione fidei, ac distinctione Religionis; nullo negotio hic tepor fidei ad gelu infidelitatis perduceret; hæcque Religionis indifferentia, in irreligionis barathrum præcipitaret.

III. NOVATORES HUIUS SÆCULI HABERI PRO HÆRETICIS.

Haberi namque prædictos Novatores ab Ecclesiâ pro hæreticis, excommunicatis, præcisis; non solùm Oecumenicum Tridentinum Concilium, & quamplurimæ omnium nationum Christianarum generales ac provinciales Synodi, innumeráque Doctorum Catholicorum ubivis gentium exarata scripta manifestissimè declarant: sed etiam unanimi cunctorum populorum consensu adeò verum existimatur, ut illorum hæresim nemo non credat esse omnium antiquarum hæresum, & blasphemiarum, atque atheismorum sentinam, anathema, maranatha in conspectu Dei; quinimmò tantò antiquis superiorem, quantò mons verrucâ maior est, trabs festucâ, elephas culice: quam omnes fugere teneantur, eiúsque sectatorum vitare communionem, cùm in ceteris, tum maximè in rebus fidei, in divinis precibus, in sacris ceremoniis, in omnibus denique ad cultum religionis quomodocumque tam in vitâ, quàm etiam post mortem pertinentibus. Iurène, vel iniuriâ; alia (ut diximus) est quæstio: solutu tamen facillima iis, qui nórunt auctoritatem, & infallibilitatem Ecclesiæ, ac necessitatem obediendi præceptis eius. Adeò ut quamvis fieri posset (quod est omninò impossibile) ut fallerentur eâ in re Catholici; tamen siquid hâc persuasione, utut inani, imbuti, spretâ conscientiâ in contrarium molirentur; certum sit gravissimè illos peccaturos: Sicuti certum est, olim idololatras, etiamsi ut tales erant, veram religionem non haberent, nec aliquid verè sacrum, sed solùm existimatum ex conscientiâ erroneâ; nihilominùs quia ipsi existimabant esse veram religionem, verúmque sacrum, peccâsse siquid adversus illud commisissent. Sanè si *Hæreticorum vocabulo continentur* (ipsis etiam assentientibus olim Imperatoribus P, quorum ferè maioris apud Novatores solet esse ponderis, etiam in rebus fidei,

P *l. 2. C. Th. l. 2. C. Iustin. de hæret.*

auctoritas, quàm Antistitum) *& latis adversus eos sanctionibus succumbere debent, qui vel levi argumento à iudicio Catholicæ religionis, & tramite, detecti fuerint deviare:* si etiam verum est, quod Theodorus Beza [q] magnus Calvinistarum Calipha asseruit, *nullam meliorem quærere nos debere Hæresis definitionem*, quàm quæ ab Apostolo Paulo allata est, cùm ad Romanos [r] scribens eos admonuit, ut *eos observarent, qui dissidia & scandala facerent contra eam doctrinam quam didicissent:* Annon hæretici dicendi Novatores erunt, qui non tantùm levibus argumentis à iudicio Catholicæ Religionis & tramite detecti sunt deviare, verùm etiam manifestissimâ defectione ab omnibus ferè Catholicæ Religionis dogmatibus recedentes, ac Christi se Evangelij reformatores, homines supercælestes, & cunctis Patribus, Doctoribus, Apostolisque ipsis sapientiores, magnis lateribus iactantes; Ecclesiam deseruerunt, damnârunt, oppugnârunt; & ex omnibus propemodùm omnium sæculorum hæresibus, fœdissima quæque & impiissima, in suam professionem derivârunt; ac turbis & dissensionibus totum mundum implentes, pertinacissimâ obstinatione defendere non cessant? ut nihil ab iis differre videantur, nisi improbitatum & blasphemiarum excessu. Quod sanè quàm verum est, tam foret facilè per singula demonstrare, si è re esset: quod & plurimi cumulatissimè [f] ac luculentissimè præstiterunt.

[q] *Tract. de hæret. à Magistr. pun.*

[r] *Rom. 16.*

[f] *Vide si cupis, Thesaur. Coccij: Gaulter. Tab. Chron. Staplet. orat. de hæres. Ulemberg. caus. 6. Ramund. de ortu hær. lib. 1. c. ult. Regin. Calvinoturc. lib. 2. Maucler. de Monar. par. 2. lib. 7. cap. 10. & seqq. præter generales Controversiarum Disputationes eiusdem Staplet. Bellarm. Valent. & aliorum.*

III. NOVATORES HODIERNI FUERE LEGITIMÈ DECLARATI HÆRETICI.

Sed non hoc nos modò agimus. Illud enim tantùm dicimus, urgemúsque; ut in eos exerceantur pœnæ adversus Hæreticos sancitæ, satis superq; esse, quod ipsi ab eâ Ecclesiâ, quæ tunc fuit in orbe terrarum, quando ipsi opinionum suarum sibila edere cœperunt, pro hæreticis condemnati fuerint. Eiusmodi enim homines sic condemnatos, tam verè esse hæreticos, quàm fuerunt umquam ij qui sine controversiâ olim hæretici fuerunt; vel inde manifestissimè convincitur, quòd nulla fuerit umquam, excogitarive possit ratio, nullus fingi modus, iudicandi de aliquâ hæresi, aut emergente novâ opinione;

tus desertor audiet. Quippe cùm agatur de professione fidei, ac distinctione Religionis; nullo negotio hic tepor fidei ad gelu infidelitatis perduceret; hæcque Religionis indifferentia, in irreligionis barathrum præcipitaret.

III. NOVATORES HUIUS SÆCULI HABERI PRO HÆRETICIS.

Haberi namque prædictos Novatores ab Ecclesiâ pro hæreticis, excommunicatis, præcisis; non solùm Oecumenicum Tridentinum Concilium, & quamplurimæ omnium nationum Christianarum generales ac provinciales Synodi, innumeráque Doctorum Catholicorum ubivis gentium exarata scripta manifestissimè declarant: sed etiam unanimi cunctorum populorum consensu adeò verum existimatur, ut illorum hæresim nemo non credat esse omnium antiquarum hæresum, & blasphemiarum, atque atheismorum sentinam, anathema, maranatha in conspectu Dei; quinimmò tantò antiquis superiorem, quantò mons verrucâ maior est, trabs festucâ, elephas culice: quam omnes fugere teneantur, eiúsque sectatorum vitare communionem, cùm in ceteris, tum maximè in rebus fidei, in divinis precibus, in sacris ceremoniis, in omnibus denique ad cultum religionis quomodocumque tam in vitâ, quàm etiam post mortem pertinentibus. Iuréne, vel iniuriâ; alia (ut diximus) est quæstio: solutu tamen facillima iis, qui nôrunt auctoritatem, & infallibilitatem Ecclesiæ, ac necessitatem obediendi præceptis eius. Adeò ut quamvis fieri posset (quod est omninò impossibile) ut fallerentur eâ in re Catholici; tamen siquid hâc persuasione, utut inani, imbuti, spretâ conscientiâ in contrarium molirentur; certum sit gravissimè illos peccaturos: Sicuti certum est, olim idololatras, etiamsi ut tales erant, veram religionem non haberent, nec aliquid verè sacrum, sed solùm existimatum ex conscientiâ erroneâ; nihilominùs quia ipsi existimabant esse veram religionem, verúmque sacrum, peccâsse siquid adversus illud commisissent. Sanè si *Hæreticorum vocabulo continentur* (ipsis etiam assentientibus olim Imperatoribus P, quorum ferè maioris apud Novatores solet esse ponderis, etiam in rebus fidei,

P *l.* 2. *C.Th.* *l.* 2. *C. Iustin. de hæret.*

auctoritas, quàm Antistitum) *& latis adversus eos sanctionibus succumbere debent, qui vel levi argumento à iudicio Catholicæ religionis, & tramite, detecti fuerint deviare:* si etiam verum est, quod Theodorus Beza [q] magnus Calvinistarum Calipha asseruit, *nullam meliorem quærere nos debere Hæresis definitionem*, quàm quæ ab Apostolo Paulo allata est, cùm ad Romanos [r] scribens eos admonuit, ut *eos observarent, qui dissidia & scandala facerent contra eam doctrinam quam didicissent:* Annon hæretici dicendi Novatores erunt, qui non tantùm levibus argumentis à iudicio Catholicæ Religionis & tramite detecti sunt deviare, verùm etiam manifestissimâ defectione ab omnibus ferè Catholicæ Religionis dogmatibus recedentes, ac Christi se Evangelij reformatores, homines supercælestes, & cunctis Patribus, Doctoribus, Apostolísque ipsis sapientiores, magnis lateribus iactantes; Ecclesiam deseruerunt, damnârunt, oppugnârunt; & ex omnibus propemodùm omnium sæculorum hæresibus, fœdissima quæque & impiissima, in suam professionem derivârunt; ac turbis & dissensionibus totum mundum implentes, pertinacissimâ obstinatione defendere non cessant? ut nihil ab iis differre videantur, nisi improbitatum & blasphemiarum excessu. Quod sanè quàm verum est, tam foret facilè per singula demonstrare, si è re esset: quod & plurimi cumulatissimè [f] ac luculentissimè præstiterunt.

[q] *Tract. de hæret. à Magistr. pun.*

[r] *Rom. 16.*

[f] *Vide si cupis. Thesaur. Coccij: Gaulter. Tab. Chron. Staplet. orat. de hæres. Ulemberg. caus. 6. Ramund. de ortu hær. lib. 1. c. ult. Regin. Calvinoturc. lib. 2. Maucler. de Monar. par. 2. lib. 7. cap. 10. & seqq. præter generales Controversiarum Disputationes eiusdem Staplet. Bellarm. Valent. & aliorum.*

III. NOVATORES HODIERNI FUERE LEGITIMÈ DECLARATI HÆRETICI.

Sed non hoc nos modò agimus. Illud enim tantùm dicimus, urgemúsque; ut in eos exerceantur pœnæ adversus Hæreticos sancitæ, satis supérq; esse, quod ipsi ab eâ Ecclesiâ, quæ tunc fuit in orbe terrarum, quando ipsi opinionum suarum sibila edere cœperunt, pro hæreticis condemnati fuerint. Eiusmodi enim homines sic condemnatos, tam verè esse hæreticos, quàm fuerunt umquam ij qui sine controversiâ olim hæretici fuerunt; vel inde manifestissimè convincitur, quòd nulla fuerit umquam, excogitarive possit ratio, nullus fingi modus, iudicandi de aliquâ hæresi, aut emergente novâ opinione;

quàm per illam Ecclesiam, quæ ante eiusmodi hæresis vel opinionis ortum, pro verâ & legitimâ habebatur à ceteris omnibus, præterquàm ab eiusdem nascentis hæresis opinionísve sectatoribus. Quorumnam enim prætereà iudicium expectabitur, si non sufficiat istud? Nam ut ipsimet eiusmodi sectatores, iudices suarum opinionum constituantur, delirium foret elleboro dignum. Et si hæretici haberi non debeant, nisi qui suâ etiam propriâ sententiâ sint hæretici; nulli profectò omninò hæretici vel fuerint umquam, vel futuri sint aliquando: frustráque, falsóque, Christus & Apostoli sæpissimè prædixerint, futuros esse hæreticos Christiano nomine palliatos, ac monuerint eos esse vitandos. Qui namque aut fuerunt umquam, aut erunt aliquando hæretici, qui se ipsos etiã hæreticos esse profiteantur? Cùm igitur haud minùs propterea antiqui hæretici, ab hæresis notâ absoluti fuerint, quòd non se pro hæreticis agnoscerent, nec iudicium Ecclesiæ, quæ ante ipsos pro legitimâ in orbe habita fuerat, & adhuc à ceteris omnibus præter ipsos habebatur, ut legitimum approbarent: verùm & multò magis *iudicio suo proprio*, (ut ait Apostolus [1]; hoc est, ob eam pertinaciam) *condemnati*, veri hæretici habiti sunt: Ita sanè & hodierni Sectarij, cùm fuerint ab eâ Ecclesiâ damnati, quæ ante ipsos in orbe pro legitimâ Ecclesiâ habebatur, & etiamnum ab omnibus præter ipsos habetur; proculdubiò illo eodem modo ex omni parte hæretici censendi sunt, quo hæretici olim veteres, quos & ipsi pro veris hæreticis habent, hæretici habiti sunt: ac propterea ab omni sacrâ Catholicorum communione, tam in vitâ, quàm post mortem reiiciendi.

[1] Tit. 3.

CAPVT II.

Catholicos commixtionem Sepulturæ concedentes, reos se proditæ suæ Religionis constituturos.

QUOD quidem ut ad eos inde penitùs arcendos, ceteris omnibus plusquàm satis sit; nolim tamen equidem id satis mihimet ipsi esse, nisi pluribus aliis argumentis quod probandum sumpsi confirmem. Atque imprimis, cùm sepulturæ ratio ad Religionem pertineat, ut indubitatum superiùs reddidimus; quis dubitet commixtionem sepulchrorum confusionem inducere Religionis? At confusionem istam hæreticis familiarem Ecclesia non novit. Personat enim in eius auribus vox illa clarissimi Imperatoris, *Aut Cæsar, aut nihil.* Aut totum vult habere, aut totum dimittere. Quippe quæ cùm sit una, nec scindi potest, nec dividi: sicuti nec scissa est omninò, nec divisa in passione Christi, tunica eius inconsutilis; sed sortientibus militibus quis eam potiùs haberet, integra servata est. Et prudentissimè Rex Salomon [u], acceptâ à Deo sapientiâ ad discernendum iudicium, ex impietate & crudelitate mulieris illius, quæ se matrem licèt infantis, de cuius proprietate cum aliâ contendebat, asserens, nihilominùs consensit ut is vivus in duas partes gladio divideretur; iudicavit eam non esse illius matrem, sed illam alteram, quę commotis ad auditum divisionis visceribus, Regi supplex facta est, ut is potiùs integer impiæ illi atque crudeli relinqueretur, quàm ut dilaceraretur. Quam sanctè imitantes Catholici, non patiuntur Ecclesiæ doctrinam dividi, aut confundi: sed (quod iam olim laudavit Augustinus [x]) *quod invenerunt in Ecclesiâ, hoc tenent; quod didicerunt, hoc docent; quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradunt:* scientes, monitore Vincentio [y] Lirinensi, *in Ecclesiâ Catholicâ magnoperè curandum esse, ut id teneatur quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: quia hoc est verè, propriéque Catholicum, sicut ipsa vis nominis ra-*

Margin: I. — [u] 3. Reg. 3. — DOCTRINA ECCLESIÆ INDIVISIBILIS. — [x] 2. cont. Iulian. 10. — [y] In Commonit.

[a] Orat. 2. de imag.

tióque declarat: ac denique Ioanni [a] Damasceno auscultantes, dicenti, *In Ecclesiasticis rebus non transferendos terminos sempiternos, quos nobis patres nostri constituerunt; sed quæ nobis præscripta sunt, ut ea accepimus tuenda, atque defendenda. Si enim cœperimus ædificium Ecclesiæ vel parvis in rebus diruere, totum paulatim dissolutum iri.* Quid putamus dicturos fore patres eorum in die resurrectionis, si corpora sua cernerent ex iisdem sepulchris mixtim & indiscriminatim cum hæreticis ad iudicium exurgere, quos tanto odio in vitâ prosecuti fuissent? quod non iis probrum obiecturos apud severissimum Iudicem, quod ossa sua pollui sivissent contagio hostium Ecclesiæ, quorum consortium ipsi aliàs tantâ religione vitâssent? Quid non porrò damnationis prolaturum iustissimum Iudicem, quod suâ Ecclesiæque suæ mandata contempsissent, patrum suorum instituta dereliquissent, sacra profanis miscuissent, perniciosissimam adiophoriam in Ecclesiam invexissent, omnia susdéque tulissent?

II.

AMBROSII GENEROSITAS IN DEFENDENDIS ECCLESIIS.

[a] Ambros. [illegible]

Quid responsi dedisti? ô magnanime Ambrosi, Ecclesiæ Mediolanensis decus & ornamentum, Catholicæ fidei firmissimum propugnaculum, cùm ab Imperatore minis & armis urgereris vasa Ecclesiæ, basilicásque tradere hæreticis Arianis? *Cùm esset propositum* (inquis [a]) *ut Ecclesiæ vasa iam traderemus, hoc responsi reddidi; Me si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei iuris esset libenter offerre: templo Dei nihil posse decerpere; nec tradere illud, quod custodiendum, non tradendum acceperim. Deinde consulere me etiam Imperatoris saluti, quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat enim vocem liberi Sacerdotis: si vult sibi esse consultum, recedat à Christi iniuriâ.* De basilicis verò, quas Auxentius pseudo-Episcopus sibi tradi per Imperatorem desiderio nitebatur ardenti: *Meam* (inquis) *basilicam petit cruento ore, sanguinolentis manibus. Cui benè respondet lectio Scripturæ* [b] *: Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas? id est, non convenit paci & furori, non convenit Christo & Belial. Meministis Nabuthe* [c] *sanctum virum possessorem vineæ suæ interpellatum petitione regiâ ut vineam suam*

[b] Psal. 49.

[c] 3. Reg. 21.

daret, ubi Rex succisis vitibus olus vile sereret; cúmque respondisse: Absit ut ego patrum meorum tradam hereditatem: Regémque contristatum esse, quòd sibi esset alienum ius relatione iustâ negatum: sed muliebri consilio deceptum Nabuthe, vites suas vel proprio cruore defendit. Si ille vineam non tradidit suam, nos trademus Ecclesiam Christi? Quid igitur à me responsum est contumaciter? Dixi enim conventus: Absit à me ut tradam Christi hereditatem. Si ille patrum hereditatem non tradidit, ego tradā Christi hereditatem? Sed & hoc addidi: Absit ut tradam hereditatem patrum; hoc est, hereditatem Dionysii, qui in exilio in causâ fidei defunctus est; hereditatem Eustorgy Confessoris; hereditatem Myroclis, atque omnium retrò fidelium Episcoporum. Respondi ego quod Sacerdotis est: quod Imperatoris est, faciat Imperator. Prius est, ut animam mihi quàm fidem auferat.

III. *Vita profundenda pro defensione sacrorum.*

Hæc sunt nescia vinci pectora sacrorum Sacerdotum: quæ magis æmulari deceat eos qui eamdem fidem tenere profitentur, quàm degenerare à perenni contestatáq; virtute maiorum. Cùm agitur de sacris Cœmeteriis, déque sepulturâ Christianorum, vidimus & agi de Ecclesiis, ac proinde de earum immunitate; quam quisque fidelis vitæ suæ periculo, ac profusione sanguinis, exemplo Ambrosij, & aliorum propemodùm innumerorum veterum Antistitum, & sanctorum virorum, adversus hæreticorum insultus defendere tenetur: & agi de fide, quam nisi quisque integram inviolatámque servaverit, (ait sanctissimus Athanasius [d]) absque dubio in æternum peribit. Hereditatem igitur Christi quis proculcare audebit? Sacra paterna bona quis non exterorum offerre contumeliæ timebit? Præclara Martyrum, Confessorum, omniúmque qui nos præcesserunt Fidelium certamina, virtutem, pietatem, quis in dubium revocare non horrebit? abominationem [e] stare in loco sacro sancto, quis annuet? Etiamsi propterea exilia, vincula, tormenta, incendia, & quicquid sævius excogitari potuerit, subeundum fuerit; supplicia eiusmodi, quæ pro Christo eiúsque placitis excipiuntur, non sunt vulnera quibus vita amittitur, sed propagatur. *Sacerdos Dei* (inquit fortissimus sacer-

[d] *In Symb.*

[e] *Dan. 10. Matth. 24.*

dos Dei, gloriosissimus martyr Chrysti, hæreticorum atque schismaticorum perpetuus insectator, Cyprianus [f] ad Cornelium Papam scribens) *Evangelium tenens, & Christi præcepta custodiens, occidi potest, non potest vinci.* Et: *Nostra nihil interest, aut à quo, aut quando perimamur, mortis & sanguinis pretium de Domino recepturi.* Quare ut idem paulò antè monet, *viderint quidem laici hoc quomodò curent: Sacerdotibus labor maior incumbit in asserendâ & procurandâ Dei maiestate, ne quid videamur in hâc parte negligere: cùm admoneat Dominus, & dicat* [g]*; Et nunc præceptum hoc ad vos, ô Sacerdotes: Si non audieritis, & si non posueritis in corde vestro ut detis honorem nomini meo, dicit Dominus, immittam in vos maledictionem, & maledicam benedictionem vestram.*

[f] Ep. 55.

[g] Malach. 2.

IV. INIQUITAS HÆRETICORUM IN PETENDA COMMUNIONE SEPULCHRORUM.

Ut verò ad Novatores redeamus; an ipsi ignorant, Catholicos, ubicumque gentium liberam facultatem habuerint obeundi officia Religionis suæ, non solùm sub Gentilibus, verùm etiam sub Mahometanis, aliísque quibuscumque barbaris, & contrariæ legis cultoribus; habuisse pariter & Cœmeteria propria, à ceteris omnibus discreta, & ritus sepulturæ peculiares; iisdem planè modis, quibus & Ecclesias & usum Sacramentorum? Quod cùm & nemo neget, & nos superiùs abundè probaverimus; quæ Novatorum æquitas, ut qui se æqui servantissimos iactant, plus sibi permissum velint in res Catholicorum, quàm barbaris illis perfidiæ filiis? quæ pietas, ut quod illis immane nefas esset, ipsi fas maximum existiment? Nec dico tantùm locis illis, quibus Novatores ius arbitriúmque omne in Catholicos sibi vendicârunt, quibúsque Catholici miserrimum æquè ac ignominiosissimum servitutis iugum sub impotenti eorum potentiâ tulerunt, vel hactenùs ferunt: verùm etiam (quæ est prava eorum omnia turbandi, intolerandáque cuncta sacra profanáque sibi subiiciendi libido) iis quibus ipsi non nisi precariò sub Catholicis vitam ducere permittuntur: in tantum ut nisi communio & templorum & Cœmeteriorum ipsis concedatur, stentoreè vociferentur, & publicis scriptis conquerantur, sibi ius omne denegari. Quod nec certè denegari dici potest, cùm nullum habeant in

Cœmeteria Religionis Catholicæ, à quâ ipsi alieni sunt: & quodcumque denegatur, non quidem fit in odium ipsorum, hoc est personarum, (ut ipsi calumniosè conqueri solent) sed tum naturali horrore hæresis, quam Novatores sectantur: (Sicut enim inquit egregiè Gregorius [h] Nazianzenus, nihil eos qui syncero animi affectu Deum colunt, æquè inter se conciliat, atque consentiens de Deo doctrina; ita econtrà nihil ad dissidium ita promptum ac paratum est, ut diversa in hâc re animorum sententia: hic enim etiam qui aliis in rebus facillimus est, ferventissimus existit, & mansuetus pugnax efficitur, cùm se per lenitatem Dei iacturam facere, immò ut rectiùs loquar, per prolapsionem suam, Deum, qui nos & pro divitiis habet, & divites reddit, damno afficere conspicit.) tum necessitate obtemperandi Ecclesiæ, quam vidimus eiusmodi consortium diris execrationibus prohibere: statueréque, ut si [i] excommunicati, vel hæretici corpus loco sacro tumuletur, exhumandum sit, procul ab Ecclesiasticâ sepulturâ iactandum; locúsque ipse perpetuà carere debeat sepulturâ; vel saltem solemniter expurgari, tamquam per huiusmodi corpus pollutus: nec possint ipsi Fideles ante eiusmodi purgationem ibi sepeliri, aut in [k] Ecclesiâ sic pollutâ divina officia celebrari: & sacerdotes qui celebrarent, essent ipso iure [l] suspensi ab ingressu Ecclesiæ: & in eâ suspensione celebrantes essent [m] irregulares, hoc est inhabiles ad exercendos ordines. Cùm tamen novo iure post Extravagantem *ad evitanda* Martini V. restringenda videatur eiusmodi pollutio ac profanatio Ecclesiarum ac Cœmeteriorum, ad sepulturam nominatim excommunicatorum, vel notiorum percussorum clericorum. Sed nos quid iura palàm, & canones ferant quærimus, non quid ex aliquibus constitutionibus inferatur: quamvis non tam inconsultæ temeritatis simus, ut eiusmodi canonum enervationem, seu mavis dicere moderationem, aut explicationem, à Summis Pontiff. æquis de causis, secundùm rerum aut temporum necessitates factam, damnare velimus; maximè ubi Catholici multa pati compelluntur ab hæreticis, quę

EAM DENEGANT CATHOLICI, HORRORE HÆRESIS:

[h] *Orat. 12. quæ est 1. de pac.*

ET PRÆCEPTO ECCLESIÆ.

[i] *Cap. sacris. ex. de sepult. cap. 2. de hæres. in 6. cap. consuluisti. de consecr. eccl. vel alt. cap. un. eo. in 6.*

[k] *DD. in 4. dist. 1. q. 8. Silvest. verb. Consecratio. 2. Navar. ca. 25. num. 81. Suar. tom. 5. disp. 81. sect. 4.*

[l] *Cap. Episcoporum. de privileg. in 6.*

[m] *Cap. is qui. de sent. excom. in 6.*

antiquis Ecclesiæ decretis haud satis congruunt. Quod enim multis locis contigit, Catholicorum defunctorum corpora iisdem cœmeteriis cum hæreticis tumulari; non fuit id quidem spontè, quòd consentirent hæreticis permisceri; sed (ut diximus) vi maiore coacti, suis ipsorum ecclesiis ac cœmeteriis usurpatis ab hæreticis: ne scilicèt adigerentur suos extra maiorum sepulchra veluti spurios abiicere, quod non minimæ infelicitati semper duxerunt; aut in terrâ profanâ, quod belluinum ac dedecorosum censent, sepelire; aut denique novas quotidie sacras ædes, ac cœmeteria sibi condere: quod & frustrà sibi fore sciebant, quia mox hæretici etiam illa sibi cedenda contestaturi fuissent. His inquam de causis tolerare commistionis iniuriam necessitate constricti fuêre, à quâ se prohibere non valerent. Ubi etenim valuerunt, & horrore eiusmodi communionis id maximoperè vitârunt, & pacis studio quæ sibi hæretici in proprium suarum sectarum usum extruxissent, ea ipsis possidere permiserunt: nimio fortè plus æqui in homines iniquissimos, qui contra ius omne, quod sibi fieri nollent, aliis facere nusquam cessârunt.

V. RECENTIA EXEMPLA EXTRACTORUM CORPORUM CATHOLICORUM. E CŒMETERIIS HÆRETICORUM.

Horruisse namque semper Christianos, etiam post mortem consortium omnium sequioris religionis hominum, adeò ut si qui ex suis in eorum sepulchris aliquo casu repositi fuissent, inde eos auferre curarent; cùm plurimis exemplis superiùs probatum fuerit, ut etiam è multis recentioribus, quæ post hæresim Calvinianam in Galliâ nostrâ contigerunt, unum & alterum proferam; accidit aliquando Burdegalæ, quæ caput est Aquitaniæ, ut cùm quidam natione Scotus, qui existimabatur hæreticus, quòd metu suorum nonnisi secretò Catholicam Religionem coleret, post mortem delatus esset in locum hæreticorum inhumationi destinatum; uxor eius factâ sufficienti probatione de rectâ eius fide, obtinuerit ut cadaver mariti è sterquilinio in locum sacrum reduceretur. Itémque apud Castrum Albiensium, civitatem Galliæ Narbonensis, tam recenti quàm ferè antiquâ hęresis sede notam, ac penè infamem, ubi occasione edictorum paci-

ficationis instituta fuit auctoritate regiâ curia Senatoria pari Iudicum Catholicorum & hæreticorum numero constans; ut cùm mulier quædam Catholica decessisset in ædibus cuiusdam sui propinqui hæretici, hicque illam tumulâsset in cœmeterio hæreticorum; Catholici de hoc moniti rem in iudicium adducentes, expostulatione factâ decretum obtinuerunt (non sine fremitu invidentium hæreticorum) ut operâ magistratùs politici corpus extractum ritu Catholico efferretur in Cœmeterium Catholicorum. Non quidem quòd existiment Catholici, (ut semel adhuc breviter repetam, quod pluribus explicatum est superiùs) adeò esse necessaria defunctis vel loca sacra, vel ea quæ curandis funeribus, condendisq; corporibus adhiberi ab Ecclesiâ solent; ut si ea desint, hoc efficiat miseros in occultis piorum sedibus iam quietos; cùm non solùm non vilem, aut etiam profanam, sed nec nullam eis obesse ad salutem, sicut nec impiis pretiosam ac religiosam prodesse, exploratissimum habeant: verùm tum Ecclesiæ ipsius, adeóque religionis ergô, in testimonium & distinctionem fidei quam defuncti coluerunt: tum verò ipsorummet defunctorum intuitu, quòd provisus sepeliendis corporibus apud memorias Sanctorum, vel sacra cœmeteria locus, iis qui in pœnis purgatorij adhuc detinẽtur ita prosit, ut cùm superstites ad orationem illò venerint, vel etiam aliàs recoluerint ubi sint posita eorum quos dilexerunt corpora; multò faciliùs inducantur ad preces pro animabus eorum ad Deum fundendas, commendendósque eosdem Sanctis illis ad quorum basilicas siti fuerint; quàm si vel nullo loco, vel profano, vel hæreticorum aut aliorum Infidelium cadaveribus inquinato, sepulti forent: tum deniq; ad solatium propinquorum, & amicorum superstitum, ut cùm defunctos suos eiusdem fidei ac religionis cultoribus sepulchro associaverint, quantum in se est etiam inter beatos in regione vivorum collocâsse sibi gratulentur, & suum in eos pium animum manifestũ omnibus fecisse. Quamvis enim non rarò fiat, ut qui sacris sepulchris, atque etiam cum beatorum corporibus tumulantur, in infernum demergantur,

Cur appetant Catholici in locis sacris sepeliri.

ob defectum sufficientis pœnitentię; attamen huiusmodi tumulationē tacitā quamdā professionē esse coniunctionis earum rerum, quæ ad futuri sæculi beatam agendam vitam spectant, quam vel faciunt morituri, vel eorū vice qui eos post mortem sepulturę mandant sæpiùs diximus.

VI. PROCUL ARCENDI HÆRETICI A SEPULCHRIS CATHOLICORUM.

Cùm igitur Christianis legibus nec deceat nec liceat, Catholicos in profanis hæreticorum locis, aut hæreticos in sacris Catholicorum cœmeteriis sepelire; quid agendum cum illis, qui eos in his usu suæ religionis privare contendunt? *An quia pauci temerarij & improbi* (ut in re fermè simili scribebat olim Cyprianus [n] ad Cornelium Papam) *cælestes & salutares vias Domini derelinquunt, & sancta non agentes à sancto Spiritu deseruntur; idcò & nos divinæ traditionis immemores esse debemus, ut maiora esse furentium scelera, quàm sacerdotum iudicia censeamus; aut existimemus plus ad impugnandum posse humana conamina, quàm quod ad protegendum prævalet divina tutela? An ad hoc deponenda est Ecclesiæ Catholicæ dignitas, & plebis intùs positæ fidelis atque incorrupta maiestas, & sacerdotalis quoque auctoritas ac potestas, ut iudicare velle se dicant de Ecclesiæ Præpositis extra Ecclesiam constituti? de Christianis hæretici? de sanis saucij? de integris vulnerati? de stantibus lapsi? de Iudicibus rei? de sacerdotibus sacrilegi? Quid superest, quàm ut Ecclesia Capitolio cedat, & recedentibus sacerdotibus, ac Domini altare removentibus, in Cleri nostri sacrum venerandúmque consessum, simulachra atque idola cum aris suis transeant?* Et ad Pompeium [o] eodem zelo veritatis, etsi contra veritatem baptismi hæreticorum: *Abiiciamus arma, manus demus in captivitatem, tradamus diabolo ordinationem Evangelij, dispositionem Christi, maiestatem Dei: divinæ militiæ sacramenta solvantur, sacramentorum cælestium signa prædantur: succumbat & cedat Ecclesia hæreticis, lux tenebris, fides perfidiæ, spes desperationi, ratio errori, immortalitas morti, charitas odio, veritas mendacio, Christus Antichristo.* At potiùs præscribamus seriò adversus hæreticos de possessione sepulturarū, iisdē verbis, quibus præscripsit Tertullianus [p] veterum Theologorum Iuriscōsultissimus de possessione Scripturarum. *Qui estis? quando, & unde venistis? quid in*

[n] Ep. 55.

[o] Ep. 74.

[p] De præscript. cap. 37.

meo agitis non mei? quo iure silvam meam cæditis? quâ licentiâ fontes meos transvertitis? quâ potestate limites meos cōmovetis? Mea est possessio: quid hic ceteri ad volūtatem vestrā seminatis, & pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo: habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum heres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiuraverunt, ita teneo. Vos certè exheredaverunt semper, & abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos.

CAPVT III.

Novatores ipsos, ex præscripto suæ Sectæ, & libertate sacra quæque respuendi, commixtionem sepulturæ contemnere, irridere, ac scriptis suis improbare.

VT verò & aliam adhibeamus argumentationem; quale quæso damnum, qualem iacturam, qualem iniuriam vobis ab exclusione Cœmeteriorum Catholicorum inferri conqueri iure potestis, ô Novatores? Diximus, non aliâ de causâ hanc fieri exclusionem à Catholicis, quàm quòd firmiter credant, terram esse sacram, quæ profanetur, & inutilis suo ipsorum usui reddatur ex societate, & admissione vestrorum cadaverum; ac proptereà nec velle se extra illam inhumari, ne videantur excidere à Religione suâ, & privari commodis quæ sibi ad æternæ vitæ consecutionem inde proveniunt. Absque hoc esset, ubi vos Catholicis ita permisti estis, ut liberè agere permittamini, non sanè magis vos defunctos ex illâ terrâ Catholici excluderent, aut in vestram admitti dubitarent; quàm vivos excludunt à suis urbibus, foris, palatiis, aut vestra adeunt. At quid ad vos huiusmodi rationis consideratio; quibus nostra illa terra, sacris licèt benedictionibus consecrata, nihilo est sanctior, quàm quivis alius ager qui aratur, vinea quæ putatur, pratum quod secatur, silvā quæ ceditur; quàm sint nemora, luci, saltus, pascua, campi, montes, colles, valles, areæ, domus, stabula, speluncæ, fossæ, cloacæ, arenariæ, paludes, aut I.

NOVATORIBUS NULLA TERRA SANCTA.

denique quicquid loci culti incultive, frequentis aut deserti, usquam terrarum reperiri possit? Quid pro re nobis quidem maximi, vobis autem nullius momenti, pacem & tranquillitatem Reipublicæ turbare contenditis? Sed quid egomet ipse turbor? cùm ab hæreticis modestiam, aut quietem requirere, perinde sit ac si è pumice aquam expectaveris, aut è spinis uvas?

II. SEPULTURÆ CONTEMPTORES.

Olim sanè quando primùm bellam illam vestram reformationem in mundum induxistis, quà pro vestrâ de religione sentiendi, dicendi, scribendi, faciendi libertate, omnem vobis auctoritatem in cunctis penè Catholicæ fidei particulis permutandis, corrigendis, expungendis; in universâ rituum, ac ceremoniarum Ecclesiasticarum formâ deformandâ, antichristiano fastu ac ferocitate arrogâstis; ita etiam in mortuos, & sepulchra debacchati estis, ut plerisque fidem feceritis, aut sepulturam vobis parùm curæ esse, aut certè Catholicorum cœmeteria execrationi. Cui non vestrûm responsum Diogenis Cynici in ore fuit: qui cùm [q] projici post mortem iussisset se inhumatum, interrogantibus amicis, volucribúsne & feris? Minimè verò, inquit; sed bacillum prope me, quo abigam, ponitote. Qui poteris? inquiunt illi, non enim senties? Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil sentienti? Et ut alios hîc prætercam sepulturæ contemptores, quos aliàs commemoravi; an ignoratis Vvaldenses, & Hussitas, quorum successione ac fœdere tantoperè oblectamini, inter præcipuos credulitatum, ac crudelitatum suarum articulos, habuisse [r], *nihil interesse, utrùm quis in cœmeterio, aut alio quocumque loco vel agro sepeliatur*, cùm *exequiæ ac cœmeteria non nisi quæstus causâ inventa fuerint*; ac proinde *utilius esse in aliis locis sepeliri?* Ad cuiusmodi impietatem iam olim proclives extitisse Boëmos, nempè ut *sepulturas mortuorum in locis profanis, neglectis ædibus, ac cœmeteriis sacris facerent*, exprobravit illis inter alias eorum prævaricationes, & scelera, Severus ipsorum Episcopus apud Longinum [s] Dlugoschum antiquum Rerum Polonicarum scriptorem. Quinimmo & Zischa, famosus ille dux Hussitarum, monstrum detesta-

VVALDENSES, ET HUSSITÆ.

[q] *Cic. Tuscul.* I.

[r] *Reinor. cont. Vval. cap.* 5. *Æn. Silv. de hist. Boem. cap.* 35. *Index error. Vvald. num.* 7. *&c.*

[s] *In hist. Polon. an.* 1038. *Baron. eod. an.*

bile, crudele, horrendum, (ut eum indigitat Æneas [t] Silvius) cùm ægrotaret peste quâ extinctus est, interrogatus quonam loco mortuus sepeliri vellet, iussit cadaveri suo pellem adimi; carnes volucribus ac feris obiectari, ex pelle tympanum fieri, cuius sonitu hostes fugarentur. Hæ sunt piæ, atque egregiæ decessorum vestrorum voces, hæc illustria facinora.

[t] *Hist. Boëm. cap. 46.*

III. LUTHERANI.

Quid verò in Germaniâ consuetum ex Divi vestri Lutheri disciplinâ, narrantem audite Georgium Vvicelium, qui quæ vidit dum esset in castris eius, literis commendavit in libello *Reiectio Lutheranismi* inscripto: *Cæmeteria patrum suorum mutârunt, ne quid reliquum esset quod non mutaretur: curant efferri dormientes suos procul in loca calvariæ omnis generis: opus nunc esse video, ut à Magistratibus sæpè adigantur, qui efferant defunctos*, &c. Audite & Brentium [u] Lutheranum, & Ubiquistarum coryphæum, seriò suis exprobrantem, quid fructûs ex ceremoniarum Catholicarum expunctione, ad morum ac religionis reformationem productum fuerit: *Quid opus est his ceremoniis? Proiiciamus defunctos nostros in flumina; quod de nescio quibus Lotophagis prædicant, qui abiiciunt mortuos suos in mare, asseverantes parùm referre, humóne, an aquâ, an igne dissolvantur. Ac profectò nisi caveamus, multorum mores, qui ex Evangelio sibi omnium rerum licentiam quærunt, non dissimilem barbariem nobis minitantur. Nam cùm hi ex Evangelio didicerunt, mortuos non esse lugendos Ethnicè; prosequuntur eos risu, & cachinnis. Et cùm audierunt, sepulturam nihil conferre saluti defunctorum; abiiciunt mortuos suos velut cadavera iumentorum; adeóque nullam usquam mediocritatem servare student, aut nimis ad dextram, aut nimis ad sinistram declinant. Nuper nondum revelato Evangelio*, (Lutherano) *incedebant in funeribus capitiis undique obtecti; nunc ita perfrictâ fronte, interdum etiam ridentes incedunt, ut haud obscurè significent mortem amici sibi gratam, & iucundam esse. Nuper mortuum nullo non officij genere etiam singulis annis prosequebantur; nunc mortui nulla nec honesta mentio. Nuper sepulchrum etiam ipsum floribus ornabant, nunc sepulturâ nihil abiectius reputatur. Quid sibi hæc vult inscitia? quid hæc barba-*

[u] *Homil. 69. in Luc.*

[x] Hom. 83. in Luc.

ries? Idémque alio [x] loco rursùs invehitur in suos, quòd apud eos *defuncti efferrentur* (inquit) *perinde ac si essent cadavera porcorum, aut asinorum; & qui comitarentur funus, tantâ morum petulantiâ incederent, ut diceres non funus, sed ludum aliquem iocularem esse.*

IV.

CALVINISTÆ ABOMINANTUR RITUS SEPULTURÆ CATHOLICORUM.

[y] In Isa. 14. & lib. de vit. superst.

[z] In Loc. commun. tit. de sepult.

[a] Homil. in Evang. Dom. 15. post Pentec.

Audite & Calvinum [y] ipsum; qui *solemnes exequias mortuorum*, quales fiunt à Catholicis, *meras esse abominationes* vociferatur, *introductas malitiâ, & astutiâ satanæ.* Ac Petrum [z] Martyrem; qui non solùm Papistas (ut vocat) ridet, quòd velint sepeliri prope, aut intra ecclesias; sed & sanctum Augustinum, quòd scripserit hoc prodesse defunctis. Ac denique Simonem [a] Pauli prædicantem Lutheranum; dùm ait, perinde Lutheranis esse, sive sepeliantur *in cœmeteriis, sive in locis ubi excoriantur iumentorum cadavera.* Similia & alij plurimi: quamvis & aliàs iidem ipsi (quod superiùs observavimus) non omittant sepulturæ, ac cœmeteriorum sanctitudinem deprædicare: ut sunt nimirùm versipelles, & omni chamæleonte mutabiliores: necnon, ut puto, quòd viderent profanas huiusmodi insolitarum consuetudinum novitates, multis è suis horrori esse; dum cogitarent se post obitum ut bruta animalia elatum iri; gravissiméque conqueri solitos, quòd à maiorum suorum monumentis abstraherentur.

[b] 1. defun. 10.

Cui proposito refert Gretserus [b], senem quemdam Lutheranum in Palatinatu non procul à Vverdâ, morti, atque adeò infausto cœmeterio iam proximum, in eas lamentabiles voces erupisse; *Prò dolor, quod post mortem meam ad agrum raparum proficisci, & raparum custos fieri cogor!* Ipséq; ego compertissimũ aliàs Burdegalæ in Aquitaniâ habui, nobilem quamdã fœminam in hæresi Calvinianâ educatam, quòd vidisset matrem suam defunctam noctu velut pecudem efferri de more illius hæresis absque ullâ religione extra mœnia civitatis, & sepulturâ asini proiici in sterquilinium, magis quàm terrâ operiri; adeò ad hoc facinus expavisse, ut mox nuncium hæresi remittens, Catholicam fidem amplexata fuerit. Quippe apud eos nulla prorsùs observetur Christiana ceremonia; si qualemcumque excipias comitatum, sed absque luce, cruce,

QUALIA HÆRETICORUM FUNERA.

precе,

prece, voce: ut dubites, defunctúsne efferatur, an turba reorum sit, quæ silentio & occultè fugiat suis debitas sceleribus pœnas. Divinâ planè providentiâ; ut qui in tenebris ambulant, & lumen fidei refugerunt, etiam mortui, ut potè tenebris exterioribus addicti, sine lumine, ac plerumque nocte (ex decreto fortè Iuliani [c] Apostatæ, quod aliàs retulimus) sepeliri gaudeant; & qui Crucem oderunt, à salute per illam partâ excidisse intelligantur: quíque orationibus pro defunctis detrahunt, nullos pro se apud Deum intercessores habeant: hymnorum denique cantu priventur, qui non nisi ad fletum, & stridorem dentium resurgere habent: ac demùm, qui pecorum in modum in omnem carnis licentiam se totos effuderunt, ut pecora in profanum locum, ac sterquilinium proiiciantur. Sicut olim Marcus Tullius [d] in P. Clodiũ orans, dicebat *iram dearum hanc eius satellitibus iniecisse amentiam, ut sine imaginibus, sine cantu, sine ludis, sine exequiis, sine lamentu, sine laudationibus, sine funere,* (qui erant ritus sepulturarum Romanorum) *oblitus cruore & luto, spoliatus illius supremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici solent, ambureretur abiectus.* Ut vestram etiam conversationem verè descripserit Tertullianus [e], cùm omnium hæreticorum describens, ait eam esse *futilem, terrenam, humanam, sine gravitate, sine auctoritate, sine disciplinâ, denique ut fidei suæ congruentem; qui & simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinæ*, hoc est, ceremoniarum, cultûsque externi, *eiúsque penes nos curam lenocinium vocant.* cùm econtrà Basilius [f] asserat; *Siquis consuetudines, & instituta Ecclesiastica, quæ traditione accepimus, conetur reiicere, eum totam fidei prædicationem ad nudum nomen contracturum.*

[c] *L. pergit audacia. §. C. Th. de sept. viol.*

[d] *Orat. pro Milon.*

[e] *De præscr. cap. 41.*

[f] *De Sp. S. cap. 27.*

V. MUTATUS IN PEIUS NOVATORUM ZELUS.

Cùm igitur ita sese habuerint initia fervoris vestri, quo reformationem Papisticarum abominationum prætendistis; unde vobis tepor ille, ut non solùm intra civitates, verùm etiam intra Papistarum cœmeteria collocari volueritis, nisi ex urente prurigine nihil non perdendi? filij Cham maledicti: cuius vocis interpretatio calidum significat: in quo (ut docet Augustinus [g]) designatum est hæreticorum genus calidum, non spiritu sapientiæ, sed

[g] *16. de civit. 2.*

ries? Idémque alio [x] loco rursùs invehitur in suos, quòd apud eos *defuncti efferrentur* (inquit) *perinde ac si essent cadavera porcorum, aut asinorum; & qui comitarentur funus, tantâ morum petulantiâ incederent, ut diceres non funus, sed ludum aliquem iocularem esse.*

[x] Hom. 83. in Luc.

IV.

CALVINISTÆ ABOMINANTUR RITUS SEPULTURÆ CATHOLICORUM.

Audite & Calvinum [y] ipsum; qui *solemnes exequias mortuorum*, quales fiunt à Catholicis, *meras esse abominationes* vociferatur, *introductas malitiâ, & astutiâ satanæ.* Ac Petrum [z] Martyrem; qui non solùm Papistas (ut vocat) ridet, quòd velint sepeliri prope, aut intra ecclesias; sed & sanctum Augustinum, quòd scripserit hoc prodesse defunctis. Ac denique Simonem [a] Pauli prædicantem Lutheranum; dùm ait, perinde Lutheranis esse, sive sepeliantur *in cœmeteriis, sive in locis ubi excoriantur iumentorum cadavera.* Similia & alij plurimi: quamvis & aliàs iidem ipsi (quod superiùs observavimus) non omittant sepulturæ, ac cœmeteriorum sanctitudinem deprædicare: ut sunt nimirùm versipelles, & omni chamæleonte mutabiliores: necnon, ut puto, quod viderent profanas huiusmodi insolitarum consuetudinum novitates, multis è suis horrori esse; dum cogitarent se post obitum ut bruta animalia elatum iri; gravissiméque conqueri solitos, quòd à maiorum suorum monumentis abstraherentur. Cui proposito refert Gretserus [b], senem quemdam Lutheranum in Palatinatu non procul à Vverdâ, morti, atque adeò infausto cœmeterio iam proximum, in eas lamentabiles voces erupisse; *Prò dolor, quòd post mortem meam ad agrum raparum proficisci, & raparum custos fieri cogor!* Ipséq; ego compertissimũ aliàs Burdegalæ in Aquitaniâ habui, nobilem quamdã fœminam in hæresi Calvinianâ educatam, quòd vidisset matrem suam defunctam noctu velut pecudem efferri de more illius hæresis absque ullâ religione extra mœnia civitatis, & sepulturâ asini proiici in sterquilinium, magis quàm terrâ operiri; adeò ad hoc facinus expavisse, ut mox nuncium hæresi remittens, Catholicam fidem amplexata fuerit. Quippe apud eos nulla prorsùs observetur Christiana ceremonia; si qualemcumque excipias comitatum, sed absque luce, cruce, prece,

[y] In Isa. 14. & lib. de vit. superst.
[z] In Loc. commun. tit. de sepult.
[a] Homil. in Evang. Dom. 15. post Pentec.
[b] 2. de fun. 10.

QUALIA HÆRETICORUM FUNERA.

prece, voce: ut dubites, defunctúsne efferatur, an turba reorum sit, quæ silentio & occultè fugiat suis debitas sceleribus pœnas. Divinâ planè providentiâ; ut qui in tenebris ambulant, & lumen fidei refugerunt, etiam mortui, ut potè tenebris exterioribus addicti, sine lumine, ac plerumque nocte (ex decreto fortè Iuliani [c] Apostatæ, quod aliàs retulimus) sepeliri gaudeant; & qui Crucem oderunt, à salute per illam partâ excidisse intelligantur: quíque orationibus pro defunctis detrahunt, nullos pro se apud Deum intercessores habeant: hymnorum denique cantu priventur, qui non nisi ad fletum, & stridorem dentium resurgere habent: ac demùm, qui pecorum in modum in omnem carnis licentiam se totos effuderunt, ut pecora in profanum locum, ac sterquilinium proiiciantur. Sicut olim Marcus Tullius [d] in P. Clodiũ orans, dicebat *iram dearum hanc eius satellitibus iniecisse amentiam, ut sine imaginibus, sine cantu, sine ludis, sine exequiis, sine lamentis, sine laudationibus, sine funere,* (qui erant ritus sepulturarum Romanorum) *oblitus cruore & luto, spoliatus illius supremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici solent, ambureretur abiectus.* Ut vestram etiam conversationem verè descripserit Tertullianus [e], cùm omnium hæreticorum describens, ait eam esse *futilem, terrenam, humanam, sine gravitate, sine auctoritate, sine disciplinâ, denique ut fidei suæ congruentem; qui & simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinæ*, hoc est, ceremoniarum, cultûsque externi, *eiúsque penes nos curam lenocinium vocant.* cùm econtrà Basilius [f] asserat; *Siquis consuetudines, & instituta Ecclesiastica, quæ traditione accepimus, conetur reiicere, eum totam fidei prædicationem ad nudum nomen contracturum.*

[c] *L. pergit audacia. 5. C. Th. de sepi. viol.*

[d] *Orat. pro Milon.*

[e] *De præscr. cap. 41.*

[f] *De Sp. S. cap. 27.*

V. MUTATUS IN PEIUS NOVATORUM ZELUS.

Cùm igitur ita sese habuerint initia fervoris vestri, quo reformationem Papisticarum abominationum prætendistis; unde vobis tepor ille, ut non solùm intra civitates, verùm etiam intra Papistarum cœmeteria collocari volueritis; nisi ex urente prurigine nihil non perdendi? filij Cham maledicti: cuius vocis interpretatio calidum significat: in quo (ut docet Augustinus [g]) designatum est hæreticorum genus calidum, non spiritu sapientiæ, sed

[g] *16. de civit. 2.*

impatientiæ, quo solent fervere præcordia, & pacem perturbare sanctorum. Quantò enim feliciùs accidisset Catholicis, si vos, quamdiù ad fidem Catholicam redire detrectatis, in primo illo fervore perstitissetis condendi longè ab iis nova cœmeteria, & vetera abhorrendi! Non sanè sua & olim habuissent, & modò haberent à vestris insultibus, vestrûmque fœdissimâ conspurcatione, tantis molestiis & impensis tutari, & de ignominiosâ cadaverum communione multis locis dolenter ingemiscere. Procul [h] hinc, procul ite nocentes. Procul [i] ô procul este profani. Quantum verò & procul ab iis vos repellat Theodorus Beza, sectæ Calvinianæ post auctorem coryphæus, indicant eius verba *Testamento suo* inserta: (sic enim appellavit Sermones de Passione Domini Gallicè scriptos; quòd, ut ait, sint velut summarium doctrinæ ab ipso per quadraginta annos annunciatæ. Diceres voluisse præclarum Evangelistam, hoc veluti tertium Testamentum promulgari, tamquam *Veteris*, ac *Novi*, quæ sola hactenùs Ecclesia agnovit, correctorium, sive reformatorium; quod proinde non nisi *Novissimum* nuncupes, utpotè continens doctrinam novissimam, nec anterioribus sæculis uspiam gentium auditam) quibus ait [k]; *Etsi Domini est terra, ac plenitudo eius, & solutus iam est medius paries per prædicationem Evangelij*; nihilominùs *tamen si forent in aliquâ civitate Turcæ, ac Iudæi, permisti Christianis, ipsum rerum ordinem videri postulare, ut sit locorum distinctio ad sepulturam alterutrorum* Scimus quidem eum subdere, nequaquàm in his procedendum esse adeò superstitioso scrupulo, ut Catholici Romani in vos sectarios. Sed quid superstitionem appellat in vos, quod rem benè ordinatam in Infideles vocat?

[h] Stat. 3. Silvar. 3.
[i] Virg. Æn. 6.

TESTAMENTUM BEZÆ.

[k] Bez. Ser. 7. de Pass.

VI. NOVATORUM RELIGIO CONFORMIS IUDAICÆ ET TURCICÆ.

Non estis quidem fortè omninò Turcæ, aut Iudæi: quamvis doctissimi Gulielmi Reginaldus & Giffordus Angli eruditissimo commentario, cui titulum indiderunt *Calvino-Turcismi*, & post eos pietate iuxtà ac rerum istarum scientiâ inclitus Florimondus Ræmondus Senator Burdegalensis in Opere [l] insigni *Ortûs & Occasûs Hæresis*, apprimè luculentissimè ostenderint, quanta sit con-

[l] Lib. 4. cap. 9.

cordia & consonantia doctrinæ Mahometanæ cum Calvinianâ & Lutheranâ: atque Ægidius Hunnius professor Lutheranus Wittembergicus in *Calvino Iudaizante* sic inscripto libro, evidenter patefecerit, quanta sit convenientia inter dogmata Iudæorum & Calvinistarum: & utrosque complexus alius Lutheranus libellum ediderit Ienæ in Saxoniâ anno 1586. cuius hæc est inscriptio, & totius operis argumentum, *Admonitio ex verbo Dei, quòd Calvinistæ non sunt Christiani, sed tantùm Iudæi & Mahometani baptizati.* quæ eadem & Calvinistæ non cessant ceteris Lutheranis exprobrare: dum mutuis vosmetipsos libellis proscindentes [m], eamdem à divinâ iustitiâ pœnam pati cogimini, quâ eius iram provocâstis: ut qui gravissimas de religione controversias in Ecclesiam concitaveritis, mutuis ipsimet dissidiis dilaceremini; nec ullam dissensionum componendarum viam, quantàvis animorum contentione quæsitam, invenire possitis: etiamsi quandocumque cum Catholicis agitis, turpi simulatione, ac impudenti mendacio fingere consueveritis, omnes esse fide coniunctissimos, præterquàm in levissimis quibusdam articulis, qui nihil pertineant ad fundamentum fidei: ita vobis ludere libet in præcipuis Religionis Christianæ fundamentis. Ut tamen non sitis religione Mahometani, aut Iudæi; sanè Hæreticos vos esse negare non potestis, (saltem Catholicorum sententiâ, quam in hâc disputatione abundè sufficere vidimus) ac proinde ceteris omnibus Infidelibus detestabiliores; & consequenter ex doctrinâ Bezæ longissimè à Cœmeteriis Catholicorum abiiciendi: testante etiam eodem Bezâ [n], *hæreticos tantò esse Turcis & Iudæis perniciosiores, quantò simulatam amicitiam magis quàm apertum odium omnes metuunt.* & dum posteà distinguit hæreticos ab Infidelibus, Iudæis, & Turcis, asserente hos quidem propter infidelitatem suam à Christiano Magistratu puniri non posse: *qui verò*, inquit, *hæreticos puniendos negant, illos conari invehere in Ecclesiam Dei, opinionem longè omnium pestilentissimam, & ex diametro repugnantem doctrinæ primùm à Deo Patre proditæ, deinde à Christo instauratæ, ab uni-*

[m] *Vide Bellum Quinti Evang. Ministromachiam, & alia eiusmodi scripta, de mutuis hæreticorum odiis, & dimicationibus edita.*

DISCORDIA INTER LUTHERANOS ET CALVINISTAS.

[n] *Tract. de hæret. à Magistr. pun.*

versâ denique Ecclesiâ Orthodoxâ perpetuo consensu usurpatæ.

VII. Novatores censent Catholicos infideles.

Quinimmò nec prædictâ solùm ratione, quæ nos præcipuè respicit, distinctio constituenda est Cœmeteriorum inter vos & nos; verùm etiam & aliâ, quæ vos maximè tangit: Nimirùm quòd vobis Catholici eodem numero habeantur, quo Turcæ, Pagani, aliíque Infideles, immò & longè deteriori: ut palàm, passímque videre est in scriptis Lutheri, Zuinglij, Calvini, aliorúmque ipsorum assectarum, qui Turcarum religionem Papistarum idololatriæ longè præferunt. Ac disertissimè in præfatione à Luthero affixâ versioni Alcorani, factæ tam ipsius quàm Bibliandri & Melancthonis operâ & diligentiâ; ubi ait, *mores Papistarum Turcicis comparatos, abominationes esse.* Et in Formulario solemnium Precum à Calvino suis præscriptarum, quæ post eorum catechismum reperiuntur; recitantúrque publicè ab eorum Ministris post concionem diei Mercurij, aut alibi Iovis: ubi hæc ipsissima verba habentur è Gallico in Latinum translata: *Nec permittas, Domine, ut Turcæ, Pagani, Papistæ, aliique Infideles glorientur te blasphemando.* Si ergo Papistæ sint vobis Infideles, ánnon cernitis ex propriâ vestrûm doctrinâ necessariam omninò esse discretionem sepulturæ; nisi vosmetipsos coinquinare velitis abominationibus illis, ac superstitionibus satanicis, quas in Catholicorum funeribus, ac cœmeteriis, continuò peragi autumatis, & conclamatis? Quòd enim posteriores Calvinistarum Doctores, in recentioribus earumdem Precum editionibus vocem *Papistæ* deleverint; quis non videat haud spiritu religionis id eos præstitisse; (nisi religionem mutatitiam, ac desultoriam profiteri se fateantur) sed vel spiritu versipellis astutiæ, quo maximè pollent; ut scilicèt & sic fucum faciant Catholicis quos seducere quærunt, & tamen illos sub generali *Infidelium* appellatione cōprehendentes, nihil detrahant de priori suâ in eos animorū commotione: vel ut quā favorabilissimè rem interpretemur, ut suffragatores sese exhibeant novę post extinctum Calvinum promulgatæ simili fraude à quibusdam ° fanati-

° Philip. Morna. tract. de Eccles. cap. 2. Vide Staplet. in Relect. Schol. Princip. Fid. controvers. 1. q. 2. art. 3. &c.

cis portentosæ opinionis; quæ Ecclesiam Catholicam, & visibilem, adeò latè patentem facit, ut tam Romanæ Religionis homines, quàm Arianos, Lutheranos, Calvinistas, Anabaptistas, aliósve quosvis cuiuscumque pestilentissimæ hæresis sectatores, dummodò Christi nomen profiteantur, comprehendat?

(Cernimus [p] astantes nequicquam lumine torvo
Ætnæos fratres, cælo capita alta ferentes,
Concilium horrendum.) [p] Virg. Æn. 3.

Quo utroque nomine quis non decernat, non solùm eiusmodi homines procul abiiciẽdos esse à consortio Catholicorum tam vivorum quàm defunctorum, ut impios seductores, & profanos atheos, verùm etiam ab omni memoriâ hominum delendos, & monstris Africanis adnumerandos?

Dij nostris talem terris avertite pestem.

Hoc enim sanè nihil aliud est, quàm omnes religiones laudare, & nullam habere.

CAPVT IV.

Novatores & Regum edictis, & Scripturæ auctoritate, repelli à Cœmeteriis Catholicorum.

I. QUONIAM iam tædium me cepit, multóque magis (ut puto) lectores, tot unâ de re, nec adeò difficili, argumentationum; ut unâ, & alterâ ratione disputationem breviter absolvam: habetis, ô Novatores, Sepulturam pro actione aut civilis politiæ, aut religionis: Si politiæ, quâ fronte detrectatis obedire legibus, ac constitutionibus, vel à Principibus, sub quibus vos agitis, eâ de re promulgatis; vel saltem ipsorum decretis confirmatis, & observari iussis, etiam longissimis temporibus antequàm vos in mundum erupisseтis? An putatis, eò vos liberos esse ab observatione legum ipsorum, quòd

DILEMMA IN NOVATORES.

subtraxeritis vos ab eorum religione? Cùm verò excludant hæ leges (ut plenius pòst videbitur) à cœmeteriis publicis omnes à Religione Catholicâ alienos; quid vobis in illâ iuris, cùm sitis ab eâ religione penitùs alieni, quam ipsi ut Catholicam agnoverunt, & in cuius solius favorem eas leges condiderunt, aut confirmârunt? cùm præsertim quando reformationem concrepare cœpistis, non politici statûs, aut legum civilium, sed solius religionis corruptionem causati fueritis? Si verò sepulturam ad Religionem pertinere contenderitis; causam sanè expugnaverimus. Cùm enim semper testificati fueritis, nihil aliud vos quærere quàm libertatem Religionis, nec quicquam Catholicis præpedimenti in suæ ipsorum exercitio afferre velle; ut quid postmodùm illos in possessione rerum ad eam pertinentium interturbare præsumpsistis, vel adhuc præsumitis? An vultis dicamus, nullam habendam esse fidem assertionibus vestris; quandoquidem non nisi prout vobis commodum, aut incommodum est, iis stare consuestis? Quos egregiè olim Themistius [q] oratione ad Iovianum Imp. de libertate Religionis, Euripo assimilavit, qui modò in hanc, modò in illam partem præcipitatur. De quibus paulò antè præclarè S. Hilarius [r]: *Postquàm usus scribendæ, & innovandæ fidei, nova potiùs cœpit condere, quàm accepta retinere; nec veterata defendit, nec innovata firmavit; & facta est fides temporum magis quàm Evangeliorum. Periculosum nobis admodum, atque etiam mirabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates; & tot nobis doctrinas esse, quot mores; & tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt: dum aut ita fides scribuntur ut volumus, aut ita ut volumus intelliguntur. Et cùm secundum unum Deum, & unum Dominum, & unum baptisma, etiam fides una sit, excidimus ab eâ fide quæ sola est; & dum plures fiunt, ad id cœperunt esse ne ulla sit.* quæ sanè multò hodie veriora sunt in vobis, quàm olim in Arianis, de quibus est sermo Hilarij.

[q] Orat. 12. Consul.

[r] Lib. ad Constant.

INNOVATIO FIDEI FIDEM TOLLIT.

II. QUÆ NOVATORES IN CATHOLICOS PATRARINT.

Et quod ad rem præsentem attinet; scimus equidem, ac ingenti totius orbis Christiani, ac præsertim florentissimarum quondam Galliarum damno experti sumus,

vos cùm nullas adhuc vires haberetis, diligentissimè docuisse, persecutionem & crucem esse propriam veræ Ecclesiæ notam, fidémque liberam nullisque vinculis astrictam esse debere; postquàm verò pollere cœpistis viribus, cœpisse pariter Catholicos in vestras partes vi cogere, & legibus adstringere: ut non repetam rapinas, exilia, supplicia, mortes, omnis generis, sexûs, ætatis, conditionis, statûs hominum, ac demùm sumpta arma contra Principes vestros, iugum omne excussum, & Reipublicæ statum penitùs subversum; & quod rem propositam spectat, sepulturas insepultas, effossiones corporum, profanationes templorum ac cœmeteriorum, & in ipsis (proh dolor!) sacratissimis Sanctorum aris atque altaribus, vestrorum cadaverum collocationes. (Quæ voluistis operati, quæ non vultis audire debetis. Quid enim ego ficum suo nomine non appellem? sed rem modò non urgeo.) An verò hoc Christianum esse ducitis? Si non ducitis, cur de perpetratis non doletis? cur eadem adhuc multis locis perpetrare pergitis? Si ducitis, Christum sanè alium vobis fingitis, quàm eum qui receptarum legum observationem, qui pacem Ecclesiæ, qui cultum Principum ac Magistratuum commendat ac præcipit: ac proinde cùm non sitis veri Christiani, quæ vobis pars cum iis qui tales sunt?

III. NULLAM HABENT SCRIPTURÆ SUFFRAGATIONEM.

Denique ut postremâ vos ratione constringam; an non primum ac præcipuum omnium vestrûm dogma est, nihil in fide & religione, ac cultu divino admittendum esse, quod non disertè contineatur in sacrâ Scripturâ; quam unicam, & sufficientissimam vultis esse omnium controversiarum componendarum normam? Agite verò: quod asseritis debere vos sepeliri in cœmeteriis Catholicorũ, inde procedere necessariò dicendum est, quòd credatis Deum iussisse, sepulturam fidei in locis, sacris ritibus, solemnibúsque benedictionibus, ad hoc specialiter consecratis; aut verò omnes Fideles (quales etiam vosmetipsos prædicatis) sepeliri unà simul aliquo loco, seiuncto ab omni alio hominum usu. Non equidem æstimo dicturos vos prius; cùm extra dubium sit, nullam vos terram

dicere aliâ quâpiam sanctiorem effici eiusmodi consecrationibus. Aut si effici dicitis, cur non vobis similes locos consecratis, absque inquietatione Catholicorum, qui vos à suis repulsos volunt? Quod spectat posterius; quem producitis textum Scripturæ, qui asserat neminem posse privatim sepeliri in suo agro, nemore, domo, sed necesse esse ut qui unam eamdémque fidem profitentur, locum quemdam communem habeant, ubi omnes simul sepeliantur? Nullum proculdubiò producere potestis: quinimmò quamplurima continet Scriptura [f] exempla veterum Patriarcharum, Prophetarum, Fidelium Iudæorum, qui etiamsi fidem eamdem haberent, habuerunt tamen distincta sepulchra, eademque propria & privata, propriis ac privatis suis agris ac possessionibus extructa. Quónam igitur spiritu ducimini, ut contra aut certè extra Scripturam communionem cœmeteriorum postuletis? Quò igitur recurretis? ad consuetudinem Ecclesiæ? An nescitis, obiici vobis posse, consuetudinem [t] sine veritate, esse vetustatem erroris? Dicetis, habere Ecclesiam potestatem à Deo, disponendi de huiusmodi rebus. Equidem: sed videte quid inde sequatur. nempè minimè vos posse iis sepulcris apponi; quoniam eadem ipsa Ecclesia, quæ huiusmodi loca disposuit, decrevit pariter ne quorumvis aliorum usui cederent, quàm eorum quos ipsa pro Catholicis habet; & ut quos hæreseos damnat, (sicut vos damnavit) procul inde repellantur. Ultimò fortè excipietis, huiusmodi eius decretum iniquum esse. Sed quandoquidem vultis omnia probari per Scripturam, proferte igitur aliquod eius testimonium, quo iubeantur Infideles unà cum Fidelibus, & omnes omnium sectarum homines simul iisdem locis sepeliri. An aliquem producturos vos putatis? Minimè sanè, etiamsi syllabatim integram expenderitis: cùm econtrà nos inde quamplurima, eadémque luculentissima testimonia, & exempla, adversus eiusmodi assertionem in medium attulerimus. Ut non sit amplius quo tegamini, nisi si effrenatâ temeritate rem agere velitis, quâ vobis omnia licere præsumatis, contra omnem Scripturæ, Ecclesiæ, Consuetudinis, ac Principum auctoritatem.

[f] *Vid. Concord. Bibl. or. verb. Sepelire.*

[t] *Cyp. ep. 74. ad Pomp.*

Nec

Nec aſperiùs iſta in vos dici conqueramini: cùm certum ſit nihil tam aſperum, atque acerbum, in hæreſim, & hæreticum hominem dici poſſe, quod non malignitas utriuſque exſuperet. *Hoc enim eſt* (ut verbis Gregorij [u] Theologi in re pari utar) *quod membra laceravit, & diſtraxit, fratres divulſit, urbes perturbavit, populos in furorem præcipites egit, gentes armavit, Reges in mutuum exitium concitavit, Sacerdotes cum plebe, & ſecum etiam ipſos, plebem rurſùm non minùs ipſam ſecum quàm cum Sacerdotibus commiſit, parentes cum liberis, liberos cum parentibus, viros cum uxoribus, uxores cum viris. Hoc omnia benevolentiæ nomina permiſcuit, atque confudit, ſervos & dominos, diſcipulos & præceptores, ſenes & iuvenes: convulsâque & proculcatâ pudoris lege, quo nullum maius adiumentum ad virtutem excogitari poteſt, contumaciæ arrogantiæque legem induxit: Factíque ſumus, non iam tribus ac tribus ſeparatim, quod olim Iſraëli obiectabatur, nec Iſraël & Iuda, duo, inquam, illa unius eiúſque peranguſtæ gentis ſegmenta; verùm per domos & familias, & neceſſaria ſodalitia, velut in ſe quiſque diviſi ſumus, univerſus orbis terrarum, univerſum hominum genus, quod Dei verbum fidcíque doctrina peragravit: multorúmque imperium in effrenem quamdam licentiam recidit.* Hæc & peiora vos feciſtis, & multi facere pergunt; nóſque tacebimus, nec ſaltem dolere permittemur? Uno verbo; omnes qui Catholicam ſectamur fidem, (quemadmodùm etiam aiebat olim Hieronymus [x] adverſus Pelagianos) optamus & cupimus, damnari & perire hæreſim, homines emendari; aut certè ſi in errore voluerint permanere, non noſtram culpam eſſe qui ſcribimus, ſed eorum qui mendacium præferunt veritati.

IV. HÆRESIS OMNIUM MALORUM SUPREMUM.

[u] *Orat. 16. de moder. in diſp. ſerv.*

[x] *Proœm. dial. adverſ. Pelag.*

LIBER IV. PARS III.

Quâ Novatorum obiectio de SEPULCHRIS PATERNIS, *multis modis inepta esse, nec ullo pacto admittenda ostenditur.*

CUM rem confectam existimarem, audire tamen adhuc mihi videor vos aliquid mussitare, quo nihilo seciùs sepulchra vobis Catholicorum vindicare satagatis. Eia loquimini, ut vos audiamus; & cavete diligenter, ne in irritum cadat vobis conatus. *Sunt* (inquitis) *Monumenta maiorum nostrorum.* Eho! Hóccine est, quod agitabatis? hóccine quod stomachum movebat? Hoc prorsùs unum. Siquidem in frequentibus crocodileis expostulationibus, quas Calvinistæ Galli adversus Catholicos iracundiùs ac vehementiùs ad Reges Christianissimos hâc de re facere consueverunt; (sed nosceréne cupitis, cuiusmodi vox illorum his in rebus esse consueverit?

[a] Lucan. lib. 6. Bel. Pharsal.

—— Confundit [a] murmura primùm
Dissona, & humanæ multùm discordia linguæ.
Latratus habet illa canum, gemitúsque luporum.
Quod trepidus bubo, quod strix nocturna queruntur,
Quod strident, ululántque feræ, quod sibilat anguis,
Exprimit, & planctus illisæ cautibus undæ
Silvarúmque sonum, fractæque tonitrua nubis.
Tot rerum vox una fuit. ——)

cùm numquam quicquam vel minimum omittere nôrint, quod in rem sit existimationémque causæ: nihil prætereà reperire potui, quàm quod dixi de *Maiorum monumentis*, quorum usum *à Regibus* exposcunt. At utrumque ô boni, tam providè quàm quod improvidissimè.

Quid enim rei Hæreticis cum maiorum Catholicorum monumentis? quid iuris Principibus Catholicis in res sacras & religiosas, nisi ad sarta tecta conservanda Ecclesiæ de iis decreta?

CAPVT I.

Esse contra Novatorum conscientiam, & Religionem, ut participent sepulchra maiorum.

I. SED ut ordine singula discutiamus; ac præcipuè cum ipsis Calvinistis Gallis agamus, quorum prædictæ expostulationes, causam olim dedère huic nostræ scriptioni. (Cùm enim & cetera ubique Lutheri germina, eadem iisdem prætextibus causari solitos, eadémque iisdem excessibus attentâsse, quæ à nostris (eheu!) Gallis insigni iniuriâ nominis Gallici perpetrata fuisse videbimus, omnium nationum scriptores Catholicos incessanter exprobrare cernamus: dum hos explodimus, simul & alios eiicimus: nostrísque rationibus modum aperimus, quo cuncti causis & actionibus suis excidant, & submoveantur.) quod monumenta patrum ac maiorum vestrorum attinet; an nescitis fuisse illa consecrata ab Episcopis signo Crucis, Aquâ benedictâ, invocatione Sanctorum, aliísque plurimis ceremoniis, quas vos non solùm ut histrionicas & mimicas, verùm etiam ut planè profanas & diabolicas, blasphemas & abominandas, in Deum Christúmque eius iniuriosas traducere soletis? Si hoc meministis, annon cogitatis quantum vobis damnum impendeat ex huiusmodi sordium coinquinatione, ac damnatarum superstitionum participatione? Annon perpenditis, quàm longè hæc absint à reformatione, quam vos in mundum inducere professi estis; & à puritate, quam ad irretiendos & illaqueandos incautos & incredulos Christianos, induisse videri voluistis: exemplo veterum Novatianorum, qui se [b] *Catharos*, hoc est, puros & mundos ab omni labe; & Manichæorum, qui se [c] *Ca-*

[b] *Euseb. 6. hist. 35.*
[c] *August. de hæres. cap. 46.*

tharistas, hoc est, purificatores & mundatores dicere, in delicijs habebant? Nónne horrore perfundimini, quotiescumque vobis in mentem venit quietura vestra corpora, aut potiùs inquietè iacitura in medijs illis idololatrijs & abominationibus, quas singulis diebus ac momentis, in Ecclesijs ac Cœmeterijs patrum ac maiorum vestrorum exerceri creditis, ritibus illis, quos ab Ecclesiâ Catholicâ in suorum funeribus observari scitis? ac præcipuè gestatione Crucis, quâ nihil vobis execrabilius, nihil quod libentiùs abolitum velletis; credo (ad quid enim aliud?) ut cùm antiquis illis hæreticis Crucis osoribus, quos sugillant Paulus [d] Apostolus, & Ignatius [e] Martyr, scribentes ad Philippenses, unà cum eius signo sensim etiam extingueretur omnis memoria Crucifixi, ac immensi beneficij per Crucem mortalibus collati? Et cùm vestra funera eò deducenda forent, nonne timeretis hâc spirituali & corporali communione inquinari, indéque duci ad perditionem? Timeretis utique ô Cathari, & Catharistæ; nisi renunciare velitis doctrinæ vestri Calvini: qui de his aliquando interrogatus, respondit [f], id nequaquàm fieri posse absque magno scandalo Ecclesiæ; nec tale peccatum dissimulari debere, aut pro levi tolerari. Timeretis utique; nisi diversa vobis praxis diversis locis, inconstantiâ semper ubique nutantibus.

[d] Philip. 3.
[e] Ep. 8. ad Philipp.
[f] Calvin. ep. 374.

Accipe [ff] *nunc Danaûm insidias, & crimine ab uno*
Disce omnes.

[ff] Virg. Æn. 2.

II. Exemplo sit enim, quod in Aquitaniâ, dum ibi essem, accidit in Diœcesi Vasatensi: cùm mortuo duce quodam militum è Catharis Calvinistis, cui nomen Melonio [g], rebus bellicis adversus Catholicos, ac rabie belluinâ in Ecclesias, altaria, & cœmeteria eorum, plusquàm insignito; præcipui omnes illius tractûs Cathari & Catharistæ in unum coëuntes ad funus celebrandum, decernunt illud deducendum esse in proximam ecclesiam parochialem S. Martini de Eremo dictam, & intra ipsam ecclesiam loco honoratissimo tumulandum; nequicquàm sacerdotibus, alijsque eius loci Catholicis huic conatui in-

[g] *Hic ipse fuit, qui causam primò dedit huic scriptioni: de quo dictum in præf. oper. ad Lect.*

tercedentibus, & violationem Ecclesię conclamantibus. Cùm verò situs loci ita se haberet, ut ad ecclesiam adeuntibus transeundum esset medium cœmeterium, quod erat in fronte ecclesiæ; postquàm eò perventum est, vespillones quidem cadaver in ecclesiam detulerunt; at ceterorum ne unus quidem ausus est vel pedem intra cœmeterium proferre, sed omnes ad cœmeterij aditum præstolati sunt, usquę dum cadavere terrâ cooperto ad sua reverterunt. Capita ridicula! Quid enim est ludere, si hoc non est? Annon dum sic agitis, apertè confitemini cœmeteria pertinere ad cultum Religionis, cùm ea quæ Catholicorum usui inserviunt, non minùs horreatis, quàm ipsammet eorum religionem? Cùm autem sic ea horreatis vivi, quæ causa differentiæ, ut in iis velitis sepeliri mortui, quandoquidem ea pertinere fatemini ad religionem quam horretis & vivi & mortui? nisi quòd istud prohibitum sciatis ab Ecclesiâ, cui sicuti vos inobedientes in omnibus exhibuistis in vitâ, ita post mortem gestitis æternam relinquere vestræ contumaciæ notam? Ubinam gentium tot fuerit reperire ficulnea folia, quot necessaria forent ad contegendas vestras omnes turpitudines? Egregiè olim S. Ambrosius [h] agens de inventione sacrarum reliquiarum SS. martyrum Vitalis & Agricolæ; qui passi in Persecutione Diocletiani Bononiæ, sepulti fuerant in Iudæorum solo inter ipsorum sepulcra; *Ambierunt* (inquit) *Iudæi cum servulis sepulturæ habere consortium, quorum Dominum negaverunt. Sic & aliquando Balaam dixit: Moriatur anima mea in animis iustorum; & tamen non communicavit eorum operibus cùm viveret, quorum in animis cupiebat mori.* Cuius sanctissimi Ecclesiæ Doctoris iudicio, si & vos ambieritis cum maioribus vestris sepulturæ habere consortium, quorum fidem & religionem negâstis, novi Iudæi audiemini; novíque Balaamitæ, si & contenderitis sepeliri in loculis patrum vestrorum, quorum antiquæ fidei, antiquísque moribus nequaquàm communicâstis. Pensate hæc singula diligenter, ô Cathari, & nolite anteponere istum honorem saluti animarum vestrarum, quam ex huiusmodi consortio in maxi-

HORRENT INGRESSUM COEMETERII CATHOLICORUM.

[h] *Hortat. ad Virgin. ad pr.*

mum diſcrimen incidere dicentem audîſtis auctorem veſtrum, columnam & firmamentum fidei & religionis veſtræ.

CAPVT II.

Quàm alij ſint Novatores Franci, ab ipſorum maioribus.

I. SED ineamus aliud examen verborum veſtrorum. *Sunt* (aitis) *monumenta maiorum noſtrorum.* Maiorum veſtrorum?

> *Hei* [i] *mihi qualis erat! quantùm mutatus ab illo*
> *Hectore, qui redit exuvias indutus Achillis,*
> *Vel Danaûm Phrygios iaculatus puppibus ignes!*

[i] *Virg. Æn. 2.*

Tam certè longè vos abeſtis à veteri Francorum naturâ, quos maiores veſtros nuncupare audetis, (breviter dicam) quàm cæli ab inferis. Et ut loquitur Tertullianus [k] adverſus Valentinianos, Ovidius metamorphoſeis ſuas delevîſſet, ſi hodie maiorem cognovîſſet. Anne vos filij Francorum illorum, qui zelo propagandæ fidei Chriſtianæ Catholicæ Romanæ, omnes penè terrarum orbis regiones victricibus armis percurrerunt: Saracenos in Oriente tot ac tantis cladibus affecerunt, ut ex eo tempore univerſis Orientalibus idem ſit [l] FRANCUS quod CHRISTIANUS, & cùm Chriſtianum dicere volunt, Francum dicant; ipsúmque Romanum Pontificem *Franckbeg*, hoc eſt, Principem Francorum, nempè Chriſtianorum vocent: In Galliam ex Hiſpaniâ iam ſub iugum eorum ductâ irrumpentes, maximis cladibus proſtraverunt [m]; quarum unâ trecenta ſeptuaginta quinque eorum millia occiſa ſunt: In ipsâ Hiſpaniâ frequentibus prælijs ita attriverunt, ut faciliores multò victorias Hiſpanis deinceps aperuerint. Eccleſiam [n] Romanam à Longobardorum, aliorúmque eius hoſtium machinamentis, & oppugnationibus defenderunt, ſpolijſque eorum locupletârunt. Plures Romanos Pontifices, preſſuras inimicorum fugientes, ſuſceperunt, foverunt, & in

[k] *Cap. 12.*

EGREGIA ANTIQUORUM FRANCORUM FACINORA PRO FIDE, ET ECCLESIA.

[l] *Leonclav. in Hiſt. Muſul. & alij.*

FRANCUS, ET CHRISTIANUS, SYNONYMA.

[m] *Vid. Baron. an. 725. &c.*

[n] *Id. in Annal. & qui eos continuârunt.*

pristinam libertatem ac dignitatem, numquam non cum novis donorum ac bonorum augmentis & accessionibus, restituerunt. Ut tam verè quàm gloriosè antiqui eorum Reges, ECCLESIÆ ROMANÆ ET CATHOLICÆ DEFENSORES sese inscribere non dubitârint: *Francisque debitam esse eius defensionem*, & ipsamet professa semper fuerit, & omnes ubique gentes, longorum magnorúmque experimentorum certitudine verissimum esse agnoverint. Fidem Catholicam semel susceptam non solùm numquam non deseruerunt, verùm etiam tam latè propagârunt, ut sint qui observent, quotquot sunt Principes Catholici in Orbe Christiano, hoc Francis debere quòd Christiani sunt. Hæreticos tanto semper odio prosecuti sunt, ut eorum neminem in suis terris liberè agere permiserint, quin eos & disputationibus convicerint, & armis extinxerint, aut extra fines suos abegerint. Quibus præclaris gestis, quæ angustia loci & temporis non sinit latiùs explicare, eam Reges illorum adepti sunt gloriam, quâ nulla maior potest optari, ut FILII PRIMOGENITI ECCLESIÆ, ac CHRISTIANISSIMI & sint, & dicantur.

REGES FRANCORUM ECCLESIÆ DEFENSORES.

II.

Nec enim modò antiquiora illa Ecclesiæ Gallicanæ perquiro; quæ ab Apostolicis viris fundata, tam Christianâ patientiâ contra Imperatores persequentes, quàm Catholicâ sapientiâ contra impostores seducentes, sese tutata est: sed de FRANCIS tantùm ago, qui post nomen CHRISTO datum, florentissimum iuxtà ac Christianissimum Regnum in Galliis stabilierunt; quod etiamnum post tot sæcula, specialissimo, & nulli omninò alteri communicato Dei favore, eâ solidâ æstimatione perseverat, quâ fuit cùm Agathias ° auctor Græcus qui sub Iustiniano Imperatore vixit, eius *rectam de Deo fidem, iustitiam, & concordiam* summoperè admiratus est. Quâ fuit cùm Magnus Gregorius P Ecclesiæ Romanæ & universalis Pontifex scripsit, *non immeritò contingere, ut cuncta gentium Regna præcellat; quippe earumdem gentium creatorem & pie colat, & veraciter confiteatur*: &, *Quantò ceteros homines regia dignitas antecedit, tantò ceterarum gentium*

INGENTIA DE FRANCORUM PIETATE ET FIDE TESTIMONIA.

° *Lib.* 1.

P 5. *ep.* 5. & 6. *Ind.* 14.

PRÆROGATIVA REGNI FRANCORUM SUPER OMNIA ALIA.

regna, Regni Francorum profectò culmen excellere. Sicut enim magnæ lampadis splendor in tetræ noctis obscuritate, luminis sui claritate fulgescit, ita fidei eius claritatem inter aliarum gentium obscuram perfidiam rutilare ac coruscare. Quicquid autem Reges se ceteri gloriantur habere, & ipsum habere: sed eos in hâc re vehementiùs superari, quoniam hoc principale bonum non habent quod istud habet. Quâque fuit, cùm gloriosissimè Carolus Martellus fortissimus Francorũ Dux, eos modico numero pugnaturos adversus immensam Saracenorum multitudinem pro salute non solùm Galliæ, sed etiam totius Europæ, ad strenuè agendum incitaret, hæc prælocutus [q] est: *Pleni humanâ, divinâque spe in certamen procedite; memores patriæ, quæ etiam antequàm Christiana efficeretur, numquam Christiani nominis hostis extitit; quod nescio an ulli alij genti usu venerit: & semel veram pietatem professa, nullum hæresis monstrum genuit; & quæ prima omnium pro religione, non votis tantùm, sanctitatéque, sed armis, exercitu, periculo capitis sui, cum Christi hostibus signa contulit, Arianorúmque potentissimum ac ferocissimum Regem in acie occidit.* (Alaricum intelligit, Gothorum in Hispaniâ Regem: quem hæresi Arianum, magnus Clodoveus sive Ludovicus, molestè ferens, ut loquitur apud Gregorium [r] Turonensem, partem tenere Galliarum, prælio vicit, & propriâ manu occidit; cùm primus omnium, quotquot umquam fuerunt Principum, bellum non lacessitus pro extirpatione hæresum suscepisset:) *exemplúmque pietatis virtute tuendæ mortalibus princeps præbuit: ut quicquid deinde sanctæ æmulationis apud exteras gentes extitit, id omne illi uni acceptum ferre conveniat: & cùm aliæ nationes documenta à maioribus nostris, ac velut præcepta piorum bellorum petierint; ea ut domestica, & ingenita, & quæ evelli insita non queant, nunc vobis vendicanda, & promenda sunt adversus hos hostes, qui ab ultimis terrarum oris in Franciam, acerrimam Religionis propugnatricem irrumpunt, nec conatibus suis quicquam prosperè cessurum incolumi Francico nomine arbitrantur.* Quâ item fuit, cùm ad Pipinum Regem, prædicti Caroli filium, Magni patrem, scribens [f] Stephanus Papa Tertius, ipsiusmet S. Petri Apostoli nomine, *Declaratum*

[q] Ap. Paul. Æmil. lib. 2. de gest. Franc.

[r] 2. hist. Franc. 37.

[f] Ap. Baron. to. 9. an. 755.

ratum esse ait, *quòd super omnes gentes quæ sub cælo sunt, Francorum gens Apostolo Dei Petro prima extitit.* Quâ pariter fuit, cùm Arnulphus Episcopus Lexoviensis Anglos suos in partes Alexandri Tertij alliciens exemplo Ecclesiæ Gallicanæ, ait, *Deum semper illam & agnitione veritatis illustrâsse, & pedes eius à iustitiæ tramite nullatenùs aberrare permisisse: cúmq; multis constaret, ceteras regiones abundâsse portentis, solam Galliam monstra non habuisse, sed sinceritate fidei, doctrinæ veritate, virtutum quoque titulis, & plurimâ operum exhibitione præfulsisse.* Quâ etiam fuit, cùm Gregorius [t] Nonus scripsit ad Archiepiscopum Rhemensem, *recognoscere se ac fateri, Ecclesiam Gallicanam, post Sedem Apostolicam, esse quoddam totius Christianitatis speculum, & immotum fidei firmamentum; utpotè quæ in fervore fidei Christianæ, ac devotione Apostolicæ Sedis, non sequatur alias, sed antecedat: cuius devotionem verbis extollere superfluum sit, cùm sit claris operibus manifesta.* Quâ prætereà fuit, cùm vobis iam Galliam hæresibus & armis turbantibus, eiúsque pristinum decorem nonnihil obscurantibus, nihilominùs Carolus Sigonius [u], illustre Italiæ decus, tamquam vos non pro Francis agnosceret, scriptis suis testatus est, *ab eo die* quo Clodoveus baptismum suscepit, *gentem Francorum Christi fidem, noménque, tanto ardore, tantâque constantiâ coluisse, ut usque ad nostram ætatem omnes hæreseos labes respuerit, & firma in Ecclesiæ Catholicæ disciplinâ, ac Romani Pontificis auctoritate, permanserit: indéque Regem eius meritò* CHRISTIANISSIMI *cognomen accepisse.* Et ut alia eiusmodi quamplurima tam Ecclesiæ quàm Regni Francorum gloriosissima omnium temporum, virorúmque illustrium elogia ac præconia prætercam; quâ denique fuit, cùm ob eximiam Francorum in suos Reges amorem & reverentiam, ab aliis nationibus superstitionis [x] cuiusdam notati fuerunt, quasi putaverint Regibus suis divinitatem quamdam inesse.

[t] *Ex epist. Card. Sirlet.*

[u] *De Occid. Imp. lib. 16.*

[x] *Guiciard. hist. lib. 2*

III. NOVATORES NON VERI FILII MAIORUM SUORUM CATHOLICORUM.

En, ô Catharistæ, quales fuerint, quos patres & maiores vestros venditatis. Qui sanè si viverent, non magis vos pro filiis suis, ac posteris agnoscerent, quàm vos Ecclesiam Romanam agnoscitis, pro cuius honore, ac defen-

sione, ipsi præclara hæc facinora præstiterunt: quàm vos religionem Catholicam colitis, pro cuius amore, ac propagatione ipsi sanguinem suum fuderunt: quàm vos eorum fidem ac pietatem imitamini, quæ illos apud omnes gentes venerãdos simul ac veneratos reddidit: quàm vos Regibus obedientiam exhibuistis, quos ipsi ut Rectores sibi à Deo constitutos honore plus solito suspicere consueverunt. Non sanè vos, ut Francos agnoscerent, quos recentes hæreses in monstrosissimas facies transformàrunt, omninò contra naturam, & proprias qualitates tam antiquæ Galliæ, quàm supervenientium Francorum. Siquidem proprium Gallorum est, candidos esse; cùm denominationem traxerint à lacte, quod Græcis

GALLI UNDE DICTI. γαλα est; unde & *Galatæ* dicti Galli illi, qui suas sedes eâ regione Minoris Asiæ fixerunt. Candidos autem non tantùm corpore, sed potissimùm animo: quos & olim cùm sub Ethnicismo unà cum universo penè hominum genere cæcutirent, *religioni admodum fuisse deditos*, Cæsar [y], qui intùs & in cute novit, asseruit: & Cæsari familiaris Hirtius [z], candidos & *apertos, qui per virtutem, non per dolum* rem agere consueverant: sicuti & Strabo [a], *ingenio simplici, ac nullâ malignitate devincto*. Postquàm verò fidem Christianam amplexi sunt, antequàm Romani Imperij iugum excussissent, eos novimus auctore Hilario [b] *incontaminatos, & illæsos ab omni contagio detestandæ hæreseos persistisse*: testéque Hieronymo [c], Galliam *monstra hæresum non habuisse sed viris semper fortissimis abundâsse*.

FRANCUS QUID SIGNIFICET. *Francum* autem idem significare quod *liberum*; præter antiqua eius denominationis monumenta [d], patria etiam lingua testatur, quæ vel hominem, vel quid aliud liberum, *Franc* dicit: ut sit *Francus*, liber non solùm ab omni cuiuscumque externi imperij subiectione, verùm etiam ab omni iugo infidelitatis, hæresis, schismatis, atque ab omni labe rebellionis in Deum, Ecclesiam, ac Reges suos. Ut nullus sit dubitationi locus, quin si vos viderent antiqui illi Franci, quos patres vestros vocatis, subitò essent exclamaturi:

Quis [e] novus hic nostris successit sedibus hospes?

móxque stomachaturi:

[y] Lib. 6. de Bel. Gall.
[z] De Bell. Afric.
[a] Lib. 4.
[b] De Synod. ad pr.
[c] Advers. Vigilant.
[d] Vid. Glossar. Lindenbrog. post Leg. Salic. & sine Lac. Char. in Hyst. Gall. cap. 91.
[e] Virg. Æn. 4.

Impius[f] *hæc tam culta novalia miles habebit?* [f] Id. eclog. 1.
Barbarus has segetes? en quò discordia cives
Perduxit miseros! en queis consevimus agros!

IV. NON OMNES QUI EX CARNE, FILII SPIRITUS.

Non enim vos genuini eorum liberi, non germana soboles, etiamsi eorum semine sati. Sicut nec omnes qui ex Israël sunt, (ut Paulus[g] Apostolus argumentatur) *ij sunt Israëlitæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij*: id est, ut ipse sese explicat, *non qui filij carnis, hi filii Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.* Non quidem quòd omnes filij secundùm carnem excludantur à promissionibus, sed quòd non secundùm carnalem generationem sit accipienda posteritas filiorum Dei. Unde & Daniel[h] senem illum libidinosum, calumniatorem pudicitiæ Susannæ, vocavit *Semen Chanaan, & non Iuda.* Et Dominus Ezechielem[i] iubet ad Ierusalem dicere; *Radix tua, & generatio tua, de terrâ Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* Ut est tam in sacrâ, quàm profanâ literaturâ frequens, ut ille eius dicatur esse filius, cuius exprimit mores & ingenium; & contrà non esse, qui dissimilis est. Quare etsi equidem potestis vos filij esse secundùm carnem maiorum illorum quos dicitis, nequaquàm tamen secundùm imitationem fidei illorum. De quibus rursùm Apostolus[k]: *Qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ:* ad quos nimirum pertinent promissiones benedictionis, iustitiæ, & salutis, Abrahę factæ, & semini eius fideli: à quibus vos excidistis per renunciationem fidei, ac religionis eorum: ac proinde ab eorum sepulchris, quæ vidimus pertinere ad Religionem; esséqué de benedictionibus promissionis, ad quas nulla vobis pars competit.

[g] Rom. 9.
[h] Cap. 13.
[i] Ezech. 16.
[k] Gal. 3.

V. NOVATORES IISDEM POENIS OBNOXII, QUIBUS ANTERIORES HÆRETICI.

Nec putetis, in vobis situm esse, naturam rerum invertere, quam Deus posuit fixam, & sempiternam. An non verò putatis & hæreticos illos, quos vidistis exclusos fuisse à sacris cœmeteriis per maiores vestros quos dicitis, habuisse & maiores, qui vel sepulchra propria habuerãt, vel communium cœmeteriorum usum? Habuerant equidem; neque negari potest. Cùm igitur fuerint ipsi nihilominùs, quòd hæretici essent, ab iis sepulchris & cœme-

teriis exclusi, per Catholicos tunc existentes, quòd ea legibus divinis & humanis solis Catholicis patere deberent: unde nunc vobis tam excellẽs prærogativa, ut secùs vobiscum agi velitis? an quia gravioribus irretiti estis sacrilegiis? an quia impuriorẽ fidem (si tamen fidem, ac non potiùs sceleratã perfidiam) sectamini? an quia inauditam hactenùs religionem (si tamen religionem, & non magis contaminatissimam superstitionem) colitis? an quia ad omnem impietatem habenas remisistis? Quin profectò, ô Cathari, hæc pœna ab ipso rerum Christianarum initio (ne anteriora tempora repetamus) instituta est in omnes omninò hæreticos, quorumvis temporum, cuiusvis conditionis, sexûs, ætatis, absque ullâ penitùs exceptione parentum, liberorum, fratrum, coniugum, cognatorum, affinium, amicorum. Ac propter eà cùm vos pro hæreticis habeamini per universum terrarum orbem ab iis omnibus qui non sunt è numero vestro; & quicquid sit, sectemini proculdubiò religionem prorsùs abhorrentem ab illâ, quam maiores vestri coluerint: nolite iam in animum inducere, vobiscum benigniùs agi debere à Catholicis huius ævi, quàm actum est à maioribus vestris Catholicis cum hęreticis suorum temporum, quantumcumque & ipsis ius sibi ad sepulcra & cœmeteria maiorum suorum competere blaterarent.

VI.

SEPULCHRA SACRA SUNT RELIGIONIS.

Quinimmò tantùm abest, ut filij Catholicorum, si in hæresim labantur, participare possint sepulchra ac cœmeteria à patribus suis extructa, postquàm semel ea per consecrationem ab usu profano exempta, dedicata sunt sepulturæ Christianorum; ut & ipsimet eorum extructores, si hæretici fiant, æquè excidant à iure sibi alioqui propter extructionem in eis debito, aut reservato. eò magis quoniam ius patronatûs [l] non habet locum in sepulchris: nec illi ipsi qui habent ius sepulturæ in loco sacro, possunt dici habere eius dominium, aut propriam possessionem, nisi abusivè: sed vel usum [m], vel quamdam tolerantiam [n] ex benignitate Ecclesiæ: tum quòd ius sepulturæ ex auctoritate Ecclesiæ omninò pendeat; tum etiam quòd loca sepulchrorum per consecrationem acquiran-

[l] *Vid Lambert. de iur. patron. lib. 1. q. 11. p. 1. art. 14. nu. 4.*
[m] *Id. lib. 4. q. 9. art. 9.*
[n] *Abb. in cap. quanto. de iudic. num. 10.*

tur religioni: certúmque sit etiam legibus civilibus, ac constitutionibus Imperatorum, sepulcra & monumenta, aliásque res sacras & religiosas, nullius [o] in bonis esse, nec posse illas à quoquam iure dominij vendicari: ut nec corpus [p], quod ab alio illatum est, liceat domino loci effodere, vel eruere; aut locum semel religiosum factum reficere [q], absque decreto Pontificum; ad quos iure religionis cura Sepulchrorum pertinet. Cùm & alioqui non eò quòd vos à iure illo sepulturæ à maioribus acquisito privemini, dicendum sit illud interusse: quippe quod transiit ad Catholicos imitatores pietatis ac religionis eorum, atque ideò naturales & legitimos promissionis ac benedictionis filios, successorésque omnium eorumdem iurium sacrorum ac religiosorum; quibus vos renunciâstis, dum propter pultem, sicut Esau [r], vendidistis omnia primogenita vestra, siquæ umquam habuistis. Hoc enim est, quod & iuxta sanctiones Ecclesiasticas Imperatores Christiani statuerunt [s], *privilegia quæ contemplatione religionis indulta sunt, Catholicæ tantùm legis observatoribus prodesse oportere: hæreticos autem, atque schismaticos, ab his privilegiis alienos esse debere. Neque* [t] *iustum esse, æqualibus cum Orthodoxis hæreticos dignos fieri privilegiis.* Unde apprimè perspicere possitis, quot demùm modis, atque rationibus, è sepulchris Catholicorum repellamini.

[o] *L. si sepulcrum. C. de relig. Instit. de rer. divis. §. nullius: de empt. & vendit. §. fi.*
[p] *L. ossa. D. de relig.*
[q] *L. ult. D. de mort. infer.*
[r] *Gen. 25.*
[s] *L. 1. C. Th. & Iustin. de heret.*
[t] *Novel. 109. cap. 1.*

CAPUT III.

Sepulchra, quæ Novatores Patrum suorum vocant, non ampliùs exstare: ac proinde frustrà illos sibi ea vendicare velle.

I.

SED quoniam necdum loco cedere velle videmini, alius nobis admovendus aries, quo omnia munitionis vestræ repagula convellantur. *Sepulcra sunt*, dicitis, *patrum nostrorum. Sunt*, dicitis? Et ubi, quæso, sunt sepulcra illa, ubi cœmeteria? Pudorem publicum, quamvis proie-

ctum, & iam ferè sepultum, denuò revelare compellitis necessitate argumenti: sed in gratiam vestri faciam pressè, & generatim, ac quasi latenter; ne si singula hâc in re nefaria vestra toto olim orbe patentissima, iterùm in evidentiam minutatim deducere velim, nec hodie apud omnes ob incredibilem rei atrocitatē & indignitatem, inveniam fidem; & animos Catholicorum iniurias maioribus suis illatas recordantium, in perniciem vestram concitare videar, civiliúmque bellorum flammas in Reipublicæ viscera rursùm immittere. Quod igitur dicitis de monumentis patrum vestrorum, serióne dicitis, an ioco? Sanè si ioco, lacrymas nobis elicietis, quòd memoriâ sacrilegiorum vestrorum lætemini: si seriò, risum, quod tantâ sitis stupiditate, ut ab hominibus ratione ac iudicio prææditis credi vobis velitis de iis, quorum ineptiam ne pueris quidem persuasuri sitis. Quæ enim nominari potest vel unica civitas, in quam vel malè sanâ voluntate civium, vel insidiis pessimorum proditorum, vel necessariis coacti fœderum conditionibus, vel denique vi prædatoriâ admissi, dominati estis; quæ non fœdiora ostendere possit proculcati Christianismi monumenta, quàm ulla civitas, cui umquam in Galliâ quivis barbari imperitaverint?

QUANTÆ NOVATORUM GRASSATIONES IN RES SACRAS:

Quis [a] *cladem illius oræ, quis funera fando*
Explicet? aut possit lacrymis æquare dolores?

[a] Virg. Æn. 2.

Subit horror ex impiissimorum facinorum memoriâ, & tædium, ac detestatio recordationis. Nam ut ecclesiarum, in quibus patres vestri, quorum iura exposcitis, Deum coluerunt, eversionem; monasteriorum, quæ iidem vel fundârunt, vel dotârunt, excisionem; sacrarum Imaginum, in quarum veneratione iidem Deum Sanctósque eius debito cultu adorârunt, exustionem; omnium rerum sacrarum expilationem; aliáque Christianis longè lugubria, quæ animus meminisse, lingua proferre, calamus scribere totus horret, omittam; quod ad Sepulchra attinet, quænam vos patrum vestrorum intacta reliquistis, quin ea impiè reseraveritis; quin manus sacrilegas in paternas reliquias immiseritis; quin eas de sede quiete sepulturæ facinorosè evulseritis; quin impura ro-

AC SPECIATIM IN SEPULCHRA.

ſtra exaturandæ inſatiabili ingluviei veſtræ affixeritis; quin ſpurciſſimè deturpatas, vel flammis, vel canibus, vel alitibus, vel piſcibus devoranda abieceritis? quin denique ipſa eorum ſepulcra funditùs everteritis, & in fruſta comminueritis? Tantum fuit odium veſtrum in religionem patrum veſtrorum! tanta rabies deſtructricis reformationis veſtræ, tum cùm duris præcordiis, cordibus ſilice concretis, ferreis pectoribus, quicquid extitit in vobis Francici ſanguinis, & maiorum indolis eiurantes, malorúmque omnium oceanum in patriæ veſtræ inundationem inducentes, poſt ſtentoreum celeuſma, triumphalem cantum celebraretis renovati per vos Evangelij! cùm ea in veſtrâ bellicâ & belluinâ ſatanalogiâ inveniſtis, quæ nec immanis Scytha, nec ferus Maſſagetes perpetrare didicerat.

—— Quis [b] enim generoſum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantùm
Inſignis? ——
Nomen erit pardus, tigris, leo, ſiquid adhuc eſt,
Quod fremit in terris violentius. ——

[b] *Iuven. ſaty. 8.*

Hæreticum dixiſſes, ô Iuvenalis, ſi lumine fidei illuſtratus fuiſſes: quid enim hæreſi poteſt eſſe vel tetrius, vel gravius?

Monſtrum [c] horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

[c] *Æn. 3.*

II. NOVATORUM IMMANITAS IN SANCTORUM RELIQUIAS.

Quid in hoc genere tetrius, quàm quod in ſacratiſſimas & thaumaturgas Reliquias Sanctorum Ioannis Baptiſtæ Vaſatis, & Angeliaci; Matthiæ Apoſtoli Barbeſiaci; Iuliani, (exiſtimati Simonis Leproſi, cuius fit mentio in Evangelio) Cenomanis; Eutropij Engoliſmæ, Irenæi Lugduni, Hilarij & Radegundis Reginæ Pictavis, Martini Turonis, Aniani Aureliis, alterius Eutropij Arauſici, & tot aliorum iiſdem, aliiſque quamplurimis locis, Confeſſorum, Martyrum, Apoſtolorum, quas gens Francica ſupra ceteras omnes præcipuâ veneratione Chriſtiano ritu colere ab antiquo didicerat; (adeò ut in præfatione antiquæ Legis Salicæ, hoc potiſſimùm nomine ipſamet glorietur, quod *poſt agnitionem baptiſmi ſan-*

ctorum Martyrum corpora, quæ Romani vel igne concremaverant, vel ferro truncaverant, vel bestiis laceranda proiecerant, Franci reperta auro & lapidibus pretiosis ornaverint) omni Francicâ, & Christianâ pietate penitùs exutâ, indutâque Gentilium Romanorum, ferocissimorúmque barbarorum immanitate; commisistis igne, ferro, aquâ, cœno, bestiis, nullis non iniuriarum, ac contumeliarum generibus: adeò ut siquis mentitus sit Cyclopas, Læstrygonas, Sphyngas, &

[d] Lucret. *Quæ [d] prima Leo, postrema Draco, media ipsa Chimera est;*

[e] Virg. Æn.6. *Multáque [e] prætereà variarum monstra ferarum:*

hinc fidem accipere possint. Sed quoniam nec has tragœdias ulla oratio, ut dignum est, exprimere valeat, unus ut Ieremias ad eas deplorandas adhibendus esset, qui solus [f] lamentationes calamitatibus exæquare novit; & alioquin sint illæ toto orbe notissimæ: eas etiam hâc aliâ ratione levi pede percurro, quòd cùm per reformationem vestram ratum fixúmque habeatis, nihil vobis in hâc vitâ fore commercij cum Sanctis; haud mirum, si odiorum vestrorum spicula, & irarum sagittas, in eorum memorias & reliquias irritatioribus animis, & rapacioribus manibus eiaculati sitis. Quo fit, ut & Clementis Quinti Pontificis Maximi eruta è sepulchro Uzesti in agro Vasatensi ossa, & post multas ignominias cremata prætercam; eò quòd gratissimum vos Deo sacrificium offerre censeatis, quotiescumque iniuriam eius Vicariis infertis. Ut quamvis tremens, horrénsque, ausim tamen non iniuriâ iis accedere, qui ex eiusmodi furoribus vestris coniectârunt, si vobis in Palæstinam penetrare datum fuisset, ne ipsi quidem parcituros vos fuisse sanctissimo, & adorando CHRISTI Domini Nostri corpori, nisi illud ipse è sepulcro sublatum ad Dei viventis dexteram à rabie vestrâ subduxisset. Quis enim hoc de vobis non facilè suspicetur, cùm meminerit quæ vos non semel, nec uno loco, in sacratissimam Eucharistiam, verum Christi corpus, proiectione, proculcatione, combustione patrâstis? Et ut ab atrocissimis istis temperem, quis non id quod dixi facilè de vobis crediderit, cùm talia vos in

[f] Greg. Naz. orat. in laud. Athan.

Christi

Christi sacra membra perpetrâsse consideraverit, qualia attigimus? qualéque illud est, quod Robertus Præsul Arboricensis in libello quem scripsit de compescendâ hæreticorum petulantiâ, ait, cuiusdam personæ triste cadaver, post sepulturam, iussu vestrorum fuisse cruci affixum, quòd præteritæ eius mens conscia culpæ ad cor rediens, petiisset ac repetiisset sibi ministrari Ecclesiæ Catholicæ sacramenta?

III. BARBARIES IN EFFODIENDIS CADAVERIBUS CATHOLICORUM.

Et ut cetera tangam, quid tetrius, quàm quod in exemplum eorum, quæ vos ubicumque pedem fixistis, perpetrâstis, dum

———— *crudelis* [g] *ubique*
Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago:

de unâ civitate Engolismensi Thevetus eius civis in suâ Cosmographiâ [h] (ubi & cetera in Sanctos scelera describit) quæ propriis oculis vidit narrans, inter alia ait: *Templa alia inflammârunt, alia demoliti sunt: effoderunt è sepulchris corpora multorum, quos Ecclesia pro sanctis veneratur, multorúmque proborum virorum qui meâ memoriâ sunt mortui. Equidem verè gloriari possum, me tantum vidisse barbariei, quantum alius fortassè quispiam. Decem enim & octo annos peregrinatus extra orbem Christianum, vixi inter barbaros, etiam eos qui sub sole habentur immanissimi: certò tamen scio, me numquam vidisse, vel audivisse similia immanitatis exempla, etiamsi ipsos Canibales, & efferatissimos omnium Margageas in hanc comparationem ducas.* Quid denique tetrius, graviúsque, (ut rem paucis absolvam) quàm quod in oppido Cleriaco [i] non longè à civitate Aurelianensi, ubi ob insignem memoriam Beatissimæ Virginis, nobilissimúmque templum in eius honorem Deo consecratum, multi Principes sepulturam eligere consueverant; in corpora Ludovici XI. Regis Christianissimi, eiúsque coniugis, aliorúmque Principum stirpis regiæ commisistis; dum illa è monumentis extracta, & ad aliquot dies cum singulari regij nominis contumeliâ, ac religionis contemptu, per oppidum raptata, quà flammis addixistis, quà in sterquilinia proiecistis? quod Engolismæ corpus Comitis Ioannis avi Francisci Primi Regis integrum reper-

[g] *Virg. Æn.* 2.
[h] *Lib.* 14.
[i] *Thevet. lib.* 15. *Pigh. lib.* 6. *Masson. in Vit. Eugen. IV.*

tum, è tumbâque extractum in frusta concidistis, & ludibundè combussistis? quod Aureliis cor Francisci Secundi haud pridem defuncti, è monumento ubi reconditum erat erutum combussistis? quod in oppidò Castrigelosi, tantùm non in conspectu Ioannæ Reginæ Navarræ, quæ aderat, monumenta maiorum eius Ducum Alebreti diruistis, corpora dispersistis? quod Ortesij in Bearnio sepulcra Comitum Fuxi eiusdem progenitorum aperuistis, ossàque eorum ignominiosè disseminastis: O barbara fundamenta reformationis verè barbaræ!

[k] Sen in Herc. fur. ad fi.

Quis [k] Tanais, aut quis Nilus, aut quis Persicâ
Violentus undâ Tigris, aut Rhenus ferox;
Tagúsve Iberâ turbidus gazâ fluens,
Abluere dextram poterit? Arctoum licèt
Mæotis in vos gelida transfundat mare,
Et tota Tethys per vestras currat manus;
Hærebit altum facinus.

[l] Hieron. ep. 48. ad Sabin.

Sunt enim hæc facinora, quæ [l] nec mimi fingere, nec scurræ ludere, nec Attellani possint effari. Non sanè sunt hæc Francorum facinora: sed

[m] Virg. Æn. 4. [n] Ovid. metam. 8.

——— duris [m] genuit quos cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæque admôrunt ubera tigres.
Francia non [n] genitrix vobis; sed inhospita Syrtis,
Armeniæ tigres, austróque agitata Charybdis.

IV. IMPUDENTIA NOVATORUM EXPOSTULANTIUM. [o] Plantes pag 157. [p] Cic. de leg. 2.

Et tamen belluli illi vestrarum, quas dixi, Expostulationum [o] auctores ausi sunt scribere, numquam tale quid auditum fuisse inter vos, quale Catholici in nonnulla vestrorum cadavera præstiterunt, ut scilicèt apertum fuerit ab ipsis aliquod sepulchrum Catholicorum. O Epimenides, ubi es, qui suasisti [p] Atheniensibus fanum Impudentiæ facere! ô frontes insigniter impudentes! qui hæc non verecundati sint scribere in Galliâ, cuius nec extat angulus, ubi quæcumque libuit vobis licuit, qui non eadem passus fuerit ab uncinatis, hamatísque vestris animis, unguibus, rostris: & hæc effutire apud Reges Christianissimos, quorum decessores tam atrocibus iniuriis affecistis. Siquid verò vos eiusmodi aliquando à Catholicis passi estis; ut respondeam cum Augustino [q] dispu-

[q] 1. cont. ep. Parmen. 8.

tante contra Donatistas, qui querebantur se malè habitos à Constantino Imperatore. *Quid non vos iustè passi estis, & merito criminum, & ordine potestatum? Priùs probate vos non esse hæreticos, vel schismaticos; túmque demùm de indignis pœnis vestris lividam emittite vocem. Unde* [t] *vobis cor dolet? Quia & Imperatores contra hæreticos leges proponunt? Non enim vos filij estis illorum mortificatorum, quorum vox compeditorum exaudita est à Domino. Absit. Non hoc indicant facta vestra; non hoc indicat superbia vestra; non hoc indicat vanitas vestra. Non sapitis, & foris estis: sal infatuatum estis, ideò & ab hominibus conculcamini. Pereant hæretici; pereant quod sunt, & inveniantur ut sint quod non sunt. Et tamen* [t] *quid tale passi estis, quale fecistis? Qui nihilominùs siquid temporalis molestiæ passi estis per certissimum atque rectissimum ordinem potestatum, cùm ipsi privatis furiosorum agminibus, multa graviora passim, atque quotidie, nullâ regiâ, nullâ ecclesiasticâ lege committatis: nos corporum persecutores vocatis, vos animarum interfectores non vocatis, cùm privatâ licentiâ corporibus non parcatis.* Et contra [t] Gentiles Romanos, qui direptionem Urbis ab Alarico Gotho, non scelerum suorum vindictæ, sed Christianæ religioni adscribebant: *Mala quæ facitis vobis imputari non vultis; mala verò quæ patimini Christianis imputatis: neque enim in vestrâ securitate pacatam Rempublicam, sed luxuriam quæritis impunitam, qui depravati rebus prosperis, nec corrigi potuistis adversis.*

IUSTÈ HÆRETICI PATIUNTUR MALA QUÆ INIUSTÈ INFERUNT CATHOLICIS.

[t] *Id. in psal. 102. conc. 2.*

[t] *d. cap. 8.*

[t] *1. de civit. 33.*

V. MONUMENTA MAIORUM NOVATORUM NON AMPLIÙS EXTANT.

Vociferamini igitur, ô Cathari, usque ad ravim, & ruptionem ramicum, velle vos sepeliri in monumentis maiorum vestrorum: risum utique in vos concitaveritis; quòd ea quæ in fervore reformationis nihilipendistis, ac deturpâstis, iam cùm zelus elanguit, in pretio & commendatione habere videri velitis: adeò nihil dicitis, nihil agitis constanter, nihil sobriè; sed ut polypus colores, & ventus stationes, sic vestram variatis fidem, ac theologiam: sed maximè quòd quæ impiissimè violâstis, profanâstis, confregistis, comminuistis, cine fecistis, & quantum in vobis fuit ad nihilum redegistis; eadem iam sarta tectáque, sincera, & integra vobis restitui postuletis.

Quid nominatis, quod extermināstis? exprobrabat olim Optatus [u] Donatistis, pacem ac tranquillitatem obtendentibus. Fallimini enim, ô Cathari, turpiter, aut malitiosè fallere vultis, cùm isthæc vulgatis. Sepulchra, quæ modo cernitis, quæque usurpare contenditis, non sunt illa maiorum vestrorum quæ vos concrepatis. Vos enim illa diruistis, nos ista ereximus: vos illa complanâstis, nos ista ædificavimus: vos illorum fundamenta convulsistis, nos istorum posuimus: vos quæcumque ex illis furorem eversionis effugerunt, violâstis ac profanâstis, nos ista quæ videtis in usum nostrum expiavimus, ac reconciliavimus. Conquirite igitur vobis alia; quandoquidem ad ista nihil quicquam vobis iuris esse potest, neque naturæ, neque humanitatis, neque religionis. Sicuti & eâdem ratione, nec illa quæ vobis multis locis usurpâstis, vestra dici possunt, quæ non ædificâstis, quæ nullo alio legitimo iure possidetis, & à quorum fundatoribus tantoperè abhorretis moribus & religione, ob quam extructa fuere. Cùm etiam legibus [x] civilibus ac religiosis, longâ possessione ius sepulchri non tribuatur ei cui iure non competit. Nec enim vos puto (quod mihi modò venit in mentem) per patres ac maiores vestros, intelligere patres immediatos, qui vos mundo genuerunt. Illos enim per lapsum in hæresim, paterno iure sepulchrali excidisse vidimus, nec illud ad vos transferre potuisse. Si verò nova sibi in hæresi monumenta extruxerunt; cùm non possint ea nisi profana esse, nemo illa vobis invidet: Profanos profana decent; utimini ex animi voto. Nec omninò potestis conqueri illa à Catholicis occupari: nos sacra tuemur, eáque vendicamus.

Ite [y] procul, sacer est locus, ite profani.

Et [z] procul hinc, moneo, procul hinc quæcumque profana.

Nos sacra confirmamus esse nostra; quæ videlicèt sancta Catholica Ecclesia in suorum usum sacris ceremoniis Religioni Catholicæ addixit; quæque à patribus ac genitoribus vestris hæreticis, per ea quæ attigimus scelera violata fuisse querimur, vobísque impietatis eorum heredibus exprobramus. Ad hæc nullus vobis aditus, ius

u *Lib. 3.*

x *Lex Solon. ac XII. Tab. ap. Cic. lib. 2. de leg. l. longa. D de mort. infer.*

y *Calphur. eclog. 2.*

z *Sil. lib. 17.*

nullum; etiamsi paucos iam superesse credamus ex illis infaustis sacrarum eiusmodi memoriarum violatoribus; rebúsque iam vestris in angustum redactis, minùs liceat vobis ea manu patrare quæ animo concipitis. Quamvis enim sciamus, nullam par excogitari posse supplicium tam horrendis sceleribus in maiores vestros Catholicos aut editis, aut aliquâ excusatione approbatis; non tamen eo iam capite (quod tamen meritissimò possemus) à sepulchris maiorum vestrorum Catholicorum exclusos vos volumus; sed ut sæpè repetere cogimur, quòd hæretici sitis, & pro talibus ab omnibus habeamini: quæ sola ratio fuit semper, éstque modò, erítque in sempiternum, plusquàm efficax ad eiusmodi homines ab omnibus rebus locísque sacris, tam vivos quàm mortuos penitùs excludendos, ac repellendos.

CAPVT IV.

Supplicationes, & Expostulationes, quas de his Novatores offerunt in Galliâ Regibus Christianissimis, nullius esse momenti, multis rationibus ostenditur.

QUOD verò Expostulatores vestri Reges interpellarent, ut vobis de his satisfacerent; etiam hoc egregium specimen est inconsideratissimæ ipsorum temeritatis. Etiámne quorum maiestatem tam atrociter læsistis, maiorum manes adeò sceleratè inquietâstis, religionem conspurcâstis, subditos perdidistis; adire audetis tamquam iniuriam passi? Quâ id fiduciâ? An quòd dicantur Franci iniuriarum immemores? Benè sanè cessit hoc vobis; quibus si res cum aliis gentibus fuisset, diu est, quòd omnis sublata vobis esset facultas quiritandi. An quòd plùs sæpè, plúsque nimis experti estis Regum benignitatem? Sed timete, ne læsa toties patientia convertatur aliquando in furorem. Diceret in quemque vestrûm aliquis verbis Octaviæ apud Senecam, sive quem alium auctorem illius Tragœdiæ: I.

Non tam ferum Typhona, neglecto Iove,
Irata tellus edidit quondam parens:
Hæc gravior illo pestis. hic hostis Deûm,
Hominúmque, templis expulit superos suis,
Civésque patriâ; Spiritum fratri abstulit,
Hausit cruorem matris: & lucem videt,
Fruitúrque vitâ, noxiam atque animam trahit?
Prô summe genitor, tela cur frustrà iacis
Invicta toties temerè regali manu?
In tam nocentem dextra cur cessat tua?
Utinam suorum facinorum pœnas luat!

Sed apprimè verus Seneca Reges nostros videtur descripsisse, quales futuri essent; dum tractatu de Clementiâ [a] sic Principem format: *Is cui curæ sunt universa, quamquam alia magis, alia minùs tuetur, nullam non Reipublicæ partem tamquam sui nutrit, inclinatus ad mitiora; etiamsi ex usu est animadvertere, ostendens quàm invitus aspero remedio manus admoveat; in cuius animo nihil hostile, nihil efferum est. Qui potentiam suam placidè ac salutariter exercet, approbare imperia sua civibus cupiens: felix abundè sibi visus, si fortunam suam publicaverit: sermone affabilis, accessuque facilis, vultu qui maximè populos demeretur amabilis, æquis desideriis propensus, & iniquis acerbus.* Optimè enim & hæc postrema; ut sicut æquis desideriis propensi, sic & iniquis acerbi sint. Nam & cùm sciamus (nec vana omnium eâ de re gentium fides, quarum etsi multæ ingratæ, nulla tamen inexperta vivit) proprium esse Regum Francorum, afflictis subvenire: non tamen indiscretim omnibus, sed illis præcipuè qui pro iustitiâ patiuntur: prout egregiè declaravit Ludovicus Iunior, Rex eius nominis dictus vulgò Septimus (quamquam re verâ Decimus, si tres Clodoveos primæ stirpis, ut omninò decet, adnumeres, qui Ludovici sunt) Sancti proavus, in defensione S. Thomæ Cantuariensis adversus iniquas Regis Angliæ persecutiones: dum Anglo ipsum adversus Thomam sollicitanti renunciavit [b]: *Si Rex Angliæ avitas quas vocat consuetudines, licèt minùs legi divinæ congruas, tamen ut ad regiam dignitatem spectantes, non sustinet abrogari: multo minùs mihi*

[a] Cap. 13.

REGUM FRANCORUM PROPRIUM, SUBVENIRE AFFLICTIS.

[b] Ap. Baron. to. 12. an. 1168.

licet ius illius liberalitatis subvertere, quod cum coronâ Regni mihi iure competit hereditario. Consuevit siquidem Francia ab antiquis temporibus omnes miseros & afflictos, & maximè pro iustitiâ exulantes recipere, & donec pacem habuerint fovere, tueri, & defendere. De quibus & Dominus [c] dixit; *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Non enim sola persecutio beatos facit; sed persecutionis causa, si iustitia est. Ubi autem sana fides & charitas non est, (inquit in eum locum Augustinus [d]) non potest esse iustitia. ac propterea neque hæretici, neque schismatici aliquid sibi ex hâc antiquâ Regum Francorum defensione promittere possunt; quia non solùm non affliguntur pro iustitiâ, sed potiùs propter manifestissimam iustitiæ violationem omni pœnarum generi obnoxij esse noscuntur. Principes enim (ut testantur Apostoli [e]) sicuti Dei ministri sunt in bonum iis qui faciunt bonum, ita gladium portant ad vindictam malorum.

[c] *Matth. 5.*

[d] *Lib. 1. de ser. Dom. in mont. cap. 5.*

[e] *Rom. 13. & 1. Petr. 2.*

II. IN REGUM INAUGURATIONE FORMULÆ ADVERSUS NOVATORES.

Et ne in re tritâ, auctoritatibus sacris & profanis coacervandis immoremur; iidem ipsi Reges nostri cùm sacrâ unctione consecrantur, aliisque sanctissimis ritibus inaugurantur, in acceptione Manûs Iustitiæ hæc audiunt ab Episcopo consecrante: *Accipe* [f] *virgam virtutis, atque æquitatis, quâ intelligas mulcere pios, & terrere reprobos; errantibus viam dare, lapsisque manum porrigere; disperdasque superbos, & releves humiles,* &c. *ut in omnibus sequi merearis eum, de quo Propheta David cecinit: Sedes tua, Deus, in seculum seculi: virga directionis, virga regni tui. Et imiteris eum qui dicit; Diligas iustitiam, & odio habeas iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, ad exemplum illius, quem ante secula unxerat præ participibus suis Iesum Christum Dominum nostrum.* Sed fortè necdum his clausulis generalibus manus datis? Audite igitur, quę specialissimè vos tangant. Sic enim iurat ipse Rex, inter alia ipsi ante inaugurationem proposita: *Item de terrâ meâ, ac iurisdictione mihi subditâ, universos hæreticos ab Ecclesiâ denotatos pro viribus bonâ fide exterminare studebo. Sic me Deus adiuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.* Quod ita semper fuit ab iis felicissimè iuxtà ac religiosissimè præstitum, ut numquam à pri-

[f] *Ceremon. Franc.*

mo Regni initio ad infelicissima ista, ac irreligiosissima progenitorum vestrorum tempora, tolerata publicâ auctoritate aliqua hæresis fuerit in Galliâ; quin eas Reges modis omnibus indesinenter persecuti fuerint, usque ad plenissimam extirpationem, & ultimum exterminium. quod nobis certissimam spem facit, ut etiam vestram admodùm iam labefactatam, brevi funditùs eradicatam visuri simus: ita vos iam non solùm ulträ non proficere, verùm etiam præcipiti gradu retrò ire cernimus: ita singularum Regni partium virtutem renovari, populi antiquam simplicitatem, nobilitatis constantiam, cleri pietatem & doctrinam, ministrorum qui ad clavum Reipublicæ sedent prudentiam, Regis ipsius singularem religionem atque fortitudinem, lætissimis vultibus ac plausibus conspicimus. *Non iam* (ut cum S. Gregorio [g] Nazianzeno, post Iuliani Apostatæ extinctionem, sanctâ pleni fiduciâ auguremur) *in sacras nostras ædes pravos oculos inicietis: non iam aras à purissimo, & incruento sacrificio nomen habentes, scelesto sanguine contaminabitis; nec loca non adeunda probro ac dedecore afficietis: non iam sacrilegâ manu votiva dona diripietis, & profanabitis, impietatem avaritiæ cumulantes: non iam presbyterorum caniciem, diaconorum sanctitatem, virginum pudorem, contumeliâ perfundetis: non iam in sanctorum incisorum viscera fœdos & impuros porcos immittetis, ut simul & pabulo & visceribus saturentur: non iam Martyrum sepulchris ignem admovebitis, ut per eorum ignominiam alios à certamine deterreatis: non iam Sanctorum Reliquias, cum vilissimis ossibus per contemptum permixtas, flammis absumetis, aut in ventos spargetis; ut eo honore qui eiusmodi hominibus debetur, ipsos privetis: non iam cathedram pestilentiæ construentes, maledicta & convicia adversus Episcopos & presbyteros, atque etiam Prophetas & Apostolos, CHRISTÚMque adeò ipsum coniecta, pro deliciis habebitis.*

Occasus Hæresis in Gallia.

g Orat. 2. in Iulian.

III. Exhortatio ad Novatores.

Faxit Deus, cuius eximia fuit semper in Ecclesiam Gallicanam, Regnúmque Francicum benignitas, & providentia, per intercessionem sanctorum Apostolorum, Martyrum, & Confessorum, qui eam fundârunt, amplificârunt, rexerunt; ut quod ex toto corde avemus, ac vovemus,

h Ep. 161.

vemus, tam fiat ad conversionem vestram ac salutem animarum, quàm futurum est ad Dei gloriæ amplificationem, & totius Christianitatis exultationem, ac tranquillitatem. *Non de auro & argento vestro agitur;* (audite Augustinum [h] vobis loquentem) *non terra, non prædia, non denique salus corporis vestri, in discrimen vocatur: de adipiscendâ vitâ æternâ, & fugiendâ morte æternâ compellamus animas vestras.* Quàm verè dixit nonnemo [i], *nequire oculos assuetis tenebris summæ veritatis radios intueri; nec scire de lumine aliquid æstimare, quorum est in tenebris habitatio. Tenebras vident, tenebras diligunt, tenebras approbant: de tenebris euntes ad tenebras, nesciunt ubi corruant. Miseri qui nesciunt quid amittant! & miseriores utique, qui sciunt quid amittunt, qui cadunt apertis oculis, & descendunt in infernum viventes!* Quamdiù verò vos in his tenebris ipsâ Cimmeriâ caligine, vel Ægyptiacâ, quæ etiam manibus contrectari poterat, crassioribus somnolenti iacebitis? *Expergiscimini* [k] *aliquando: non vos tartareus obliget somnus; non in profundum sacrilegi erroris adhuc impia consuetudo demergat. Iam consonate paci, cohærete unitati, acquiescite charitati, credite veritati.* Hoc enim à vobis expetunt iidem veteres gloriosissimi Apostoli, fortissimi Martyres, sanctissimi Confessores, Christianissimi Reges, ac generosissimi omnis ætatis, & conditionis viri; qui acceptam semel Catholicam fidem furentibus tyrannis, sævientibus persecutoribus, grassantibus Saracenis, rugientibus hæreticis, ac per eos omnes furente, sæviente, grassante, rugiente Satanâ, incorruptam posteris suis tradiderunt. Nisi omninò velitis dici de vobis, *Noluerunt* [l] *intelligere, ut benè agerent. Sapientes* [m] *fuerunt, ut facerent mala; benè autem facere nescierunt.* Nos sanè Catholici, ita cum magno nostro Hilario [n] censemus; *quod hieme undoso mari observari à navigantibus maximè tutum est, ut naufragio desæviente in portum ex quo solverant revertantur: vel incautis adolescentibus convenit, ut cùm in tuendâ domo suâ mores paternæ observantiæ transgressi, profusâ libertate usi sunt, iam sub ipso amittendi patrimonij metu solus illis ad paternam consuetudinem necessarius & tutus recursus sit: ita inter hæc fidei naufragia cælestis*

[h] Ep. 162.

[i] Soliloq. c. 34. ap. Aug. to. 9.

[k] Aug. post Collat. ad Donat. cap. 18.

[l] Psalm. 35.

[m] Ierem. 4.

[n] Lib. ad Constant.

patrimonij iam penè profligatâ heredítate, tutissimum esse, primam & solam Evangelicam fidem confessam in baptismate, intellectámque retinere, nec demutare quod solum acceptum, atque auditum habemus benè credere.

o Virg. Æn. 6. Quippe, ut ille o inquit,

——— Facilis descensus Averni,
Noctes atque dies patet atri ianua Ditis:
Sed revocare gradum, superásque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est: pauci quos æquus amavit
Iuppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
Diis geniti potuère.

Quod sanè non denegabit vobis pius & misericors Dominus, si rectè petatis: qui dixit p, *Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis.*

p Matth. 7. Luc. 11.

CAPUT V.

Teneri magis Reges, Catholicorum iura defendere, quàm Novatoribus auscultare.

I. QUOD autem ad Reges pro Sepulturis patrum vestrorum recurritis; iniquè à vobis id fieri, eo etiam capite manifestum est, quòd cùm sint ipsi Catholici, sit æquè eorum muneris, Catholicos in pristinis suis iuribus defendere, quàm novis vestris, atque anteà inauditis sensibus, & sauciæ phantasiæ imaginationibus acquiescere. Audite Papam Leonem q scribentem ad Leonem Imperatorem; audiántque universi Reges, Christi oves, vocem Pastoris universalis: *Apud Christianissimum Principem utor Catholicæ fidei libertate: ut constanter despicias, ac repellas eos, qui se Christiano nomine privavère: nec patiaris impios patricidas sacrilegâ simulatione de fide*, ac rebus religiosis, *agere, quos constat à fide* & religione *deviare. Cùm enim clementiam tuam Dominus tantâ sacramenti sui illuminatione ditaverit, debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam; ut ausus nefarios comprimendo, & quæ benè*

q Ep. 75.

sunt statuta defendas, & veram pacem his quæ sunt turbata restituas; depellendo scilicèt pervasores iuris alieni, &c. Nec auctoritates sacræ Scripturæ, vel sanctorum Patrum; aut leges & constitutiones Ecclesiasticas, vel Imperiales compilo, quibus omnem audientiam denegandam esse hæreticis semel ab Ecclesiâ damnatis, uno consensu decernunt: Sed *cognoscant Principes seculi* (ut verbis S. Isidori [r] Hispalensis eos compellam) *Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt. Nā sive augeatur pax & disciplina Ecclesiæ, per fideles Principes, sive solvatur; ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.* Et meminerint nostri, quid in ipsorum inauguratione dicatur eis, cùm Sceptrum in manus porrigitur [f]: *Accipe Sceptrum, Regiæ potestatis insigne; virgam scilicèt Regni rectam, virgam virtutis, quâ te ipsum benè regas, sanctam Ecclesiam, populúmque videlicèt Christianum tibi à Deo commissum, regiâ virtute ab improbis defendas, pravos corrigas, rectos pacifices, & ut rectam viam tenere possint tuo iuvamine dirigas.* quídque ipsi ante omnia Episcopis, aliísque viris Ecclesiasticis, promittant pro defensione iurium ipsorum, his præscriptis verbis: *Promitto vobis, quòd unicuique de vobis, & Ecclesiis vobis commissis, canonicum privilegium, & debitam legem, atque iustitiam servabo, & defensionem quantum potero adiuvante Domino exhibebo; sicut Rex in suo Regno unicuique Episcopo, & Ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet.* Ex antiquâ videlicèt consuetudine; quâ Reges Francorum hæc diligentissimè successoribus commendâsse reperiuntur: atque imprimis Carolus Magnus, & Ludovicus Pius, dum uterque [ff] tribus filiis tunc superstitibus amplissimas suas dominationes dispertiens, id potissimùm inculcavit, *ut ipsi tres fratres curam & defensionem sancti Papæ, & Ecclesiæ S. Petri, simul suscipiant. Similiter & ceteræ Ecclesi , quæ sub illorum fuerint potestate, iustitiam suam & honorem habeant; & pastores, ac rectores venerabilium locorum, habeant potestatem rerum quæ ad ipsa pia loca pertinent.* Quid igitur vobis hæreticis contra Ecclesiam Catholicam ad Reges, qui & hæreticos aversari, & Ecclesiæ iura defendere, non solùm generali

[r] 3. Sent. 51. in fi.

[f] Ceremon. Franc.

PROMISSIO REGUM IN SUA INAUGURATIONE.

[ff] Ap. Baron. tom. 9. an. 806. & 838. ex Pithæo.

omnium Christianorum Principum religione officij, verùm etiam speciali Regum Christianissimorum consuetudine, sponsione, iureiurando, tenentur?

II. Regia edicta, et sanctiones Parlamentorum contra Novatores.

Sed fortassis aliquid vobis de re sepulchrali ab iisdem Regibus contra hæc omnia promissum fuisse dicetis? Quinimmò tantum abest ut id aliquando factum fuerit, ut contrà ad Conquestiones, & Expostulationes, ipsi Regi Henrico Magno, quem vestri aliquando dementaverant, (de antecessoribus enim vanum est id quærere, aut referre, cùm vobis semper in omnibus adversati fuerint) factas à Clero Gallicano contra intolerabilia ausa vestra, anno Domini 1596. mense Maij, idem Rex pietate Catholicâ, & iustitiâ Christianâ, Edicto publico disertissimis verbis statuerit art. 9. *Cadavera illorum, qui non fuerint mortui in religione Catholicâ Apostolicâ Romanâ, nequaquàm poterunt sepeliri in ecclesiis, cœmeteriis, aliisve locis sacris Catholicorum, qualecumque ius fundationis, patronatùs, aut quodvis aliud, mortui in iis habuerint dum viverent.* Et post promulgationem Edicti Nannetensis anni 1598. cuius amplissimo & favorabilissimo beneficio, vos religionis vestræ libertate hactenùs gaudetis, cùm idem Clerus adhuc firmiùs cautum vellet sacris Cœmeteriis; responsum à Rege est in sanctiori suo Consilio: *Non sepeliantur homines dictæ prætensæ religionis in Cœmeteriis.* quantumvis eo Edicto Nannetensi nihil aliud vobis concessum fuerit, nisi [t] ut assignentur vobis à ministris regiis commoda aliqua loca ad sepulturam vestrorum; & ut quæ priùs vobis fabricati fuissetis cœmeteria restituerentur, nisi occupata invenirentur aliis cuiusvis generis ædificiis. Quid autem hæc ad nos, nostráve Cœmeteria sacra? Quis verò obstitit, quin loca vobis assignarentur extra nostra sacra? Optamus tantùm ut procul à nobis sitis, ne vestris pollutionibus inquinemur: quid turbare nos quæritis? quæ vestra ista libido, petulantia, audacia? Cùm verò nec istis frenis compesceretur vestrorum contumacia, quin variis locis suorum fœtentia cadavera in ecclesias, & cœmeteria Catholicorum, & quidem non rarò vi armatâ inferrent; necesse fuit intercedere auctoritatem Curiæ Parlamenti Parisiensis, quâ

Sub Henrico Magno.

[t] *Art.* 28. *& 29.*

anno 1600. 26. Augusti damnati fuerunt quidam nobilis Paulus Valmorineus & Ludovicus Godardus, quòd ille filium suum in ecclesiâ S. Georgij, iste suum item filium in cœmeterio Chancevillæ diœcesis Carnotensis, contra sanctiones Ecclesiasticas, & constitutiones regias tumulâssent: omnibúsque, & singulis prætentæ religionis, severissimis pœnis interdictum, ne quid eiusmodi ulteriùs præsumerent. Rursúmque anno 1606. ad eiusdem sacri Cleri instantiam, idem Rex Henricus Magnus edictum publicavit mense Decembri; quo inter alia confirmans præteritas de sacris Cœmeteriis sanctiones, art. 10. hæc ait: *Qui sunt religionis prætensæ reformatæ, non poterunt inhumari, nec eligere sepulturam in ecclesiis, monasteriis, & in cœmeteriis ecclesiarum Catholicorum, etiamsi essent fundatores dictarum ecclesiarum aut monasteriorum.* Quæ fuerunt etiam ad firmius robur in Acta Curiæ Parlamenti relata, eiúsque decreto absque ullâ restrictione confirmata.

III. Sub Ludovico Iusto.

Cúmque necdum sciretis conquiescere, (quis non obstupeat ad pervicacissimam huiusmodi hominum obstinationem, & Regum Christianorum, ac Parlamentorum in eos patientiam! Obstupescite [u] saltem vos, ô cæli, super hoc.) sed denuò post nefandissimum Henrici parricidium, in Conventu vestro Salmurensi id ipsum ab eius filio, & successore, piissimo Ludovico Iusto, eiúsque matre Mariâ Regente, petere non erubesceretis; iidem avitâ pietate responderunt [x]: *se non posse approbare, ut nobiles prætensæ religionis reformatæ, aut quivis alij habentes ius sepulturæ in ecclesiis, sepeliantur in illis: quoniam Constitutiones canonicæ id prohibent: esséque hoc contrarium, atque damnosum Religioni Catholicæ Apostolicæ Romanæ, quam sua Maiestas profitetur: cùm & prætereà non posset hoc fieri absque gravi scandalo, & offensione Catholicorum.* An verò tum demùm quievistis? (sed obedientiam, aut quietem nisi coactam, ab hæreticis, quis sanæ mentis expectet?) Consulantur Acta Parlamenti Parisiensis: & invenietur in eis Senatusconsultum factum anno 1618. 20. Augusti, contra eos qui sepelissent Comitissam de Roussy, sectæ vestræ addictam, in ecclesiâ sui oppidi. Invenietur item

[u] *Ierem.* 2.

[x] *Resp. ad art.* 17. *petition. Salmur. an.* 1611.

aliud Senatusconsultum factum anno 1620. 2. Iulij, contra viduam & heredes pariter Calvinianos domini de Lalier, quòd vi armatâ tumulâssent in ecclesiâ S. Hilarij de Lonlay, dictum de Lalier hæreticum. Itémque aliud eodem anno 1620. 1. Augusti; quo confirmata fuit sententia data à Senescalco Engolismensi contra Baronem de Stagnis hæreticum, qui sepelierat matrem suam hæreticam in ecclesiâ loci de Messignac; quâ illâ extumulari iussa fuerat, & in locum profanum deportari. Invenientur & alia plura eiusmodi in iisdem, ceterorúmque Parlamentorum Actis; cùm nullibi non vestris insolentiis necessarium fuit diligentissimè obsistere. Cùm autem numquam anteà aliquid vobis fuerit eâ de re favorabiliùs indultum; exploratissimum utique remanet, haud posse vos absque notâ protervissimæ procacitatis novi quicquam circa hæc moliri. Ut omittamus, (quæ tamen ratio maximi esse momenti intelligitur) nemini aliquando æquum visum iri, ut à Regibus Christianissimis faveatur potiùs paucis, immorigeris, turbulentis, rebellibus in Deum, Ecclesiam, Reges, Leges; quàm Catholicis numerosissimis, obsequentissimis, placidissimis, fidelissimis.

IV. S. AMBROSII IN HUIUSMODI QUÆSTIONIBUS SENSUS.

Nunc verò mihi in mentem venit quid simile olim tentatum à Iudæis, & Valentinianis hæreticis, adversus Christianos Catholicos, cùm ab his incensa fuisset in Oriente synagoga Iudæorum, & lucus Valentinianorum, qui non cessabant insultare monachis Christianis. quando & contigit, ut re delatâ ad Imperatorem Theodosium Seniorem tunc Mediolani agentem, rescripserit ipse vindicari in ceteros, synagogam ab Episcopo exædificari, quo auctore incensa ferebatur. Iam quidem videmus disparem esse causam, tam in eo quòd non solùm non exusserint Catholici Franci synagogas hæreticorum, aut sepulchra destruxerint, sed contrà utrumque ab iis ubique passi fuerint; nec præcipitaverint præcepta sua Reges nostri in Catholicos, ad calumnias hæreticorum, verùm etiam re maturè discussâ causam eis adiudicârint, in confirmationem canonum ecclesiasticorum. Sed quid si incendissent Catholici, ac Reges sententiam

in eos dixissent? Consulatur Ambrosius y, magnus ille invicti pectoris sacerdos, id apud Theodosium tractans. Respondebit absque ullâ hæsitatione, tam Episcopum, quàm ceteros qui eâ de causâ aliquid gravius passuri forent, martyribus adnumerandos esse; si verò timidos sese in eiusmodi facinorum assertione præberent, prævaricatoribus. *Necesse erit, ut aut prævaricatores, aut martyres facias;* (inquit Imperatorem alloquens) *utrumque persecutionis instar.* Deinde indignabundè subiunget: *Erit igitur locus Iudæorum* (& hæreticorum) *perfidiæ, factus de exuviis Ecclesiæ; & patrimonium, quod favore Christi acquisitum est Christianis, hoc transferetur ad donaria perfidorum? Legimus templa idolis antiquitùs condita de manubiis Cimbrorum, de spoliis reliquorum hostium. Hunc titulum Iudæi* (& hæretici) *in fronte synagogæ suæ scribent; Templum impietatis factum de manubiis Christianorum.* Occurret & obiectioni, quâ disciplinæ rationem habendam esse dicunt: *Quid igitur est amplius, disciplinæ species, an causa religionis? Cedat oportet censura religioni.* Ac posteà: *Non est ergo causa tantæ commotioni idonea, ut propter ædificij exustionem, in populum tam severè vindicetur: multò autem minùs, quia synagoga incensa est, perfidiæ locus, impietatis domus, amentiæ receptaculum, quod Deus damnavit ipse. At certè si iure gentium agerem, dicerem quantas Ecclesiæ basilicas*, ac Christianorum monumenta, *Iudæi* & Hæretici *incenderint. Ecclesia non vindicata est, vindicabitur synagoga? vindicabitur etiam Valentinianorum fanum incensum? Nunc dabis triumphum illis de Ecclesiâ Dei? hoc trophæum de Christi populo? hæc gaudia perfidis? hos luctus Ecclesiæ?* & alia multa eodem argumento; digna planè, quæ velut cælitùs prolata semper præ oculis Christiani Principes habeant, & Sacerdotes.

y *Ep. 17. ad Theodos. Imp.*

CAPVT VI.

Quo demonstratur, ea quæ ad religionem pertinent, non posse à Principibus sæcularibus absque Antistitum consilio terminari, atque decerni.

I. QUÒD verò ibidem idem sanctus Antistes iniustè agi contestatur, cùm quid de causâ religionis tractatur absque Sacerdotum consilio: (*Si mihi parùm fidei defertur, inquit, iube adesse quos putaveris Episcopos; tractetur, Imperator, quid salvâ fide agi debeat. Si de causis pecuniariis Comites tuos consulas, quantò magis in causâ religionis Sacerdotes Dei æquum est consulas?*) iam monet & rem Sepulcralem, de quâ nobis est quæstio, utpotè sacram ad cultum religionis pertinentem, nequaquàm fas esse à Principibus, nisi de sententiâ Episcoporum, terminari. Quamvis enim probè sciamus, quanta sit dignitas, & potestas regia: dicente Plutarcho [z], *Principes simulachra Dei esse administrantis universa.* Et apud eumdem [a] Artabano Persâ, *hanc omnium pulcherrimam legem esse, quâ Regem colimus, & adoramus, tamquam effigiem Dei servantis omnia.* Itémque Tacito [b], *Principes instar Deorum esse.* Ac Senecâ [c], *Deorum vices fungi in terris.* Et Tullio [d], de Magistratu in genere agente: *Nihil tam aptum esse ad ius conditionémque naturæ, quàm Imperium: sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.* Notúmque, Ethnicos ipsos, Principes suos *Deos* appellâsse: eámque adeò apud eos consuetudinem pervagatam esse, ut præcipuè ad illam Prudentius [e] referat originem idolorum: (unde etiam apparet, illos fœdis adulationibus id præstitisse; nec eo legitimo sensu, quo & à sancto Spiritu Iudices ac Principes vocantur in sacrâ Scripturâ [f] *Dij*; nempè quia Dei nomine sedent, & à Deo iudicandi auctoritatem habent: & sicut summus ille Deus mundum universum invisibiliter administrat ac regit, sic Iudices ac Principes visibiliter.)

REGUM MAIESTAS ET AUCTORITAS.

[z] *Lib. de doctr. Princ.*
[a] *In Themist.*
[b] *Annal. 3.*
[c] *De Clem. lib. 1.*
[d] *Lib. 3. de legib.*
[e] *Lib. 1. in Symmach.*
[f] *Ex. 21. Psal. 81.*

ter.) Sitque vetus proverbium[ff]; *quicquid dominatur, vim habere Dei*. Ideóque moneantur ab Apostolis[g] Christiani, *subditi esse Regibus, ac potestatibus sublimioribus; quòd non sit potestas nisi à Deo*. Frequentissimúmque sit apud ceteros Christianos scriptores, ut Principes ac Magistratus, Dei Vicarij, & Imagines Dei vocitentur. Hæc tamen ita intelligenda, & ipsi Apostoli innuunt, & omnes tam veteres quàm recentiores Ecclesiastici tractatores observant; ut potestatibus sublimioribus quique subditi sint iis in rebus quæ illis præcipuè subiacent, & in quas omne ius habent, & imperium: nempè Regibus, & Magistratibus politicis ac sæcularibus, in rebus profanis, & temporalibus: Episcopis autem, & Prælatis, (quibus data[h] est scientia discernendi inter sanctum & profanum, & inter pollutum ac mundum) in rebus sacris, & Ecclesiasticis. CHRISTO ipso Domino controversiam dirimente, cùm dixit[i], *reddenda esse Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei*: temporalia temporalibus, spiritalia spiritalibus. Unde & ex iisdem Pauli verbis noster Bernardus[k] ad Conradum Imp. utramque subiectionem egregiè deducens, ac distinguens: *Legi*, (inquit) *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. &, Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Quam tamen sententiam cupio vos, & omnimodis moneo, custodire in exhibendâ reverentiâ summæ & Apostolicæ Sedi, & beati Petri Vicario; sicut ipsam vobis vultis ab universo servari Imperio.*

DISTINCTIO POTESTATIS SÆCULARIS ET ECCLESIASTICÆ.

[ff] Ap. Artemid. lib. 2. cap. 37.
[g] 1. Pet. 2. Rom. 13.
[h] Levit. 10.
[i] Matth. 22.
[k] Ep. 183.

II. PRINCIPES IN REBUS SACRIS SUBSUNT EPISCOPIS.

Regésque ipsos, & Imperatores, subesse debere Episcopis in rebus sacris & Ecclesiasticis, communis est consensus Patrum. Sic enim antiquissimus Ignatius, Apostolorum discipulus, ad Philadelphenses: *Principes obediant Cæsari, milites Principibus: at diaconi presbyteris sacrorum præfectis; presbyteri, diaconi, & reliquus Clerus, unà cum populo universo, militibus, Principibus, & Cæsare, ipsi Episcopo pareant; Episcopus Christo, ut Christus Patri obedivit.* Ubi & Cæsarem ipsum Episcopo subdit; non quid Cæsar tunc temporis præstaret indicans, sed quid præstare deberet. *Neque enim* (ut ad Smyrnenses ait) *Episcopo, qui Deo consecratus est pro totius mundi salute, quicquam maius in Ecclesiâ.*

OOoo

Quippe est *Sacerdotium omnium bonorum, quæ in hominibus sunt, apex.* Sic Gregorius [l] Theologus oratione ad suos cives timore perculsos, & Præfectum irascentem: *Quid vos Principes, & Præfecti? An me liberè loquentem æquo animo feretis? Nam vos quoque imperio meo ac throno, lex Christi subiicit. Imperium enim nos quoque gerimus; addo etiam præstantius, ac perfectius: nisi verò æquum est spiritum carni fasces submittere, & cælestia terrenis cedere. Sed non dubito, quin hanc dicendi libertatem in optimam partem accepturus sis, utpotè sacri mei gregis ovis sacra,* &c. Sic Chrysostomus [m]: *Alij sunt termini Regni, alij termini Sacerdotij: hoc illo maius est. Regi ea quæ hîc sunt, commissa sunt; mihi cælestia: mihi cùm dico, Sacerdotem intelligo. Regi corpora commissa sunt, Sacerdoti animæ. Ille habet arma sensibilia, hic arma spiritualia. Maior hic Principatus: propterea Rex caput submittit manui Sacerdotis: & ubique in Veteri Testamento Sacerdotes inungebant Reges.* Sic Ambrosius [n]: *Honor & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati; longè erit inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cùm videas, Regum colla & Principum submitti genibus sacerdotum; & exosculatis eorum dextris, orationibus eorum credant se communiri.* Sic denique in litteris [o] Patriarcharum Orientaliū ad Tarasium Constantinopolitanum de Septimâ Synodo Oecumenicâ: *Secundas Ecclesiæ portant Imperatores: Nam primum in Ecclesiâ locum Sacerdotes possident. Sacerdotium enim Imperij sanctificatio est, & constitutio; & Imperium, Sacerdotij fortitudo & firmamentum. De quibus sapiens quidam Princeps, & in sanctis Regibus beatissimus ait: Maximum donum Deus hominibus præstitit, Sacerdotium & Imperium: illud quidem adornans & regens cælestia, hoc verò gubernans ista terrestria.*

[l] Orat. 17.

[m] Hom. 4. de verb. Isa.

[n] De dignit. Sacerd. cap. 2.

[o] Ap. Baron. an. 785. ex Anastas.

III. MONITIONES PATRUM DE HIS AD PRINCIPES.

Quare & sanctissimi Episcopi, quandocumque Principes rebus Ecclesiasticis sese immiscere voluerunt, eos liberè arguentes, graviter monuerūt ab iis desistere. E quibus Magnus Osius Constantium Imp. apud æquè magnum Athanasium [p] alloquens: *Desine quæso, & memineris te mortalem esse: reformida diem Iudicij, serva te in illam diem purum: ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere*

[p] Ap. Athan. ep. ad solit.

præcipe, sed potiùs ea à nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit; nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit: & quemadmodùm qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date (scriptum est) quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo. Neque igitur fas est nobis in terris Imperium tenere; neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes, Imperator. Ipséq; ibidem Athanasius in eumdem Imperatorem invectus, qui ab Arianis seductus omnia susdéque miscebat: *Gravia sunt ista, & plusquàm gravia; sed tamen istiusmodi, quæ congruant in eum, qui Antichristi imaginem induerit. Quis enim videns eum* (hoc est, Constantium) *in decernendo Principem se facere Episcoporum, & præsidere Iudiciis Ecclesiasticis, non meritò dicat illum, eam ipsam abominationem desolationis esse, quæ à Daniele prædicta est?* Sed & noster Hilarius ad eumdem: *Provideat, & decernat clementia tua, ut omnes ubique Iudices, quibus provinciarum administrationes sunt creditæ, ad quos sola cura & solicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, à religiosâ se observantiâ abstineant: neque posthàc præsumant, atque usurpent, & putent se causas cognoscere Clericorum.* Itémque Leontius [q] Tripolitanus Episcopus eidem Constantio, Ecclesiis nescio quid præscribere volenti: *Miror* (inquit) *quî fiat, ut aliis curandis destinatus, alia tractes: qui cùm rei militari & Reipublicæ præsis, Episcopis ea præscribas quæ ad solos Episcopos pertinent.* Et Ambrosius [r], pro basilicis se Valentiniano Iuniori fortiter opponens: *Noli te gravare Imperator, ut putes te in ea quæ divina sunt, Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere: sed si vis diutiùs imperare, esto Deo subditus. Scriptum est, Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent; ad Sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum.* Et Chrysostomus [s] Arcadio petenti pariter Ecclesiam Arianis, respondit, *non licere Imperatori, qui pietatem colere instituat, aliquid contra res sacras temerè moliri.*

[q] *Ap. Suid. verb. Leontius Trip.*

[r] *Ep. 14. ad Marcell.*

[s] *Ap. Theodor. 5. hist. 32.*

IV.
PRINCIPUM ATTESTATIONES DE IISDEM.

Ac ne ceteris producendis superfluo labore tempus conteram, hoc ipsum optimi quique Imperatores ingenuè agnoverunt. Atque imprimis Constantinus [t] Magnus; cùm Episcopos alloquens, *Vos* (inquit) *intra Eccle-*

[t] *Ap. Euseb. 4. de Vit. 24. Ad. de Ambros. ep. 83. ad Valent.*

siam, ego extra Ecclesiam à Deo Episcopus constitutus sum. Itémque Honorius [u]; dum iracundiùs expostulans cum fratre Arcadio, de expulsione S. Ioannis Chrysostomi: *Siquid de causâ religionis inter Antistites agitur, Episcopale oportet esse iudicium. Ad illos enim divinarum rerum interpretatio, ad nos religionis spectat obsequium.* Ac Theodosius [x] Iunior: *Nefas est eum qui non sit ex ordine sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis negotiis, & consultationibus, sese immiscere.* Basilius [y] Macedo de se ipso, aliisque laicis agens: *Nullo modo nobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem movere. Oportet nos in ordine ovium constitutos cum timore & fide sincerâ Pastores audire, & à facie eorum vereri; cum sint ministri Domini omnipotentis, & eius formam possideant; & nihil ampliùs quàm quæ nostri ordinis sunt requirere.* Neque umquam qui pij ac iusti, aut fuerunt, aut videri voluerunt Principes, aliter se iis rebus immiscuisse reperiuntur; quàm ut quæ priùs Episcopi statuissent, ea ipsi suis edictis firmarent, & ad ea servanda pœnis civilibus populos inducerent: ut tam idem Basilius in Synodo Octavâ [z] Oecumenicâ contestatus est; quàm & anteà exemplo Constantini Magni, Marcianus in Chalcedonensi [a], ac Iustinianus in Quintâ [b], suísque aliàs sæpè constitutionibus [c]. Ac præcipuè cùm ad Dacianum [d] Metropolitanum Bizacenum in Africâ sic rescripsit: *Semper nostræ serenitati cura fuit servandæ vetustatis; maximè disciplinæ, quam numquam contempsimus, nisi & in melius augeremus: præsertim quoties de Ecclesiasticis negotiis contingit quæstio, quæ Patrum constat regulis definita, immò adventu superni numinis inspirata: quia constat esse cælitùs constitutum, quicquid Apostolica decernit auctoritas. Illud pro lege servandum est, quod Conciliis definitum servavit devota posteritas. Nam quæ quis in præiudicium statutorum, quibuslibet rebus usurpavit, corrigenda potiùs quàm imitanda censemus. Siquid igitur Conciliorum auctoritas præstitit, & inoffensa consuetudo servavit; hoc sibi quisque optet, sibi vindicet, hoc nostrâ petet sanctione firmari. Nos tutores tantùm sumus vetustatis, & vindices: nec deerit Ecclesiastica vindicta, vel nostra, in eos qui ambitiosâ superbiâ, aut subreptitiis postulationibus, antiquitatem temerasse docebuntur. quoniam ad*

[u] Tom. 1. Epist. Rom. Pont. post epist. 31. Innoc. PP. I.
[x] Ep. ad Conc. Ephes.
[y] In Concil. Oecum. VIII. Act. 10.
[z] Act. 6.
[a] Act. 1. & 7.
[b] Act. 1.
[c] Novel. 42. 123. 131. 133. 137. &c.
[d] In Collect. Iuliani propè fi.

divinitatis tendit iniuriam, qui sanctorum Patrum constituta contemnere, ac violare non metuit. Indéque & Patres Concilij Carthaginiensis [c] celebrati sub Cõsulatu sexto Honorij, legatis à se ad Imperatores adversùs Donatistarum insultus, Episcopis præcipiunt, illis insinuare, *Ipsorum clementiæ esse, consulere ut Ecclesia Catholica, quæ eos religioso utero genuisset, eorum etiam prospectione muniretur; ne temerarij homines religiosis temporibus, infirmos populos terrendo prævalerent, quoniam secundò depravare non possent.* Et Leo [f] Papa ad Leonem Imperatorem; *Debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam: ut quæ benè sunt statuta defendas, & veram pacem his quæ sunt turbata, restituas.* Et Isidorus [g]: *Principes sæculi nonnumquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eamdem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. Sæpè per regnum terrenum, cæleste regnum proficit; ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur: ipsámque disciplinam, quam Ecclesiæ humilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas Principalis imponat, & ut venerationem mereatur virtute potestatis impertiat.* Ac fidentiùs: *Ceterùm intra Ecclesiam Potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, Potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem.* Quæ eadem ipsa verba, aliáque eiusmodi plura, Patres Concilij Parisiensis [h] Ludovico Pio Imperatori, Regíque Francorum, sanctissimè & constantissimè insinuârunt. Eiusdémque Ludovici filius Carolus Calvus, idémque Rex, ac posteà Imperator, Amulo [i] Archiepiscopo Lugdunensi commendans ordinationem Episcopi Heduensis, significavit *se fideliter tenere quòd Rex Regum, idémque Sacerdos Sacerdotum, postquàm humanitatem suam in cælum evexit, semper cum suis futurus divinitate, potestatem suam ad Ecclesiam gubernandam in Sacerdotes divisit, & Reges; ut quod sancti docerent Pontifices, & ipsi implerent, & impleri facerent devotissimi Reges.*

[c] Ap. Concil. Afric. c. 60.

[f] Ep. 75.

[g] Sent. lib. 3. cap. 51.

[h] Lib. 2. cap. 2. Tom. 3. Concil.

[i] Ap. Lup. Ferrar. ep. 81.

V. ARGUMEN-

Quæ si audiant, aliáque eiusmodi proborum Principum, ac Pontificum monita, prædictorum Regum Fran-

TUM ALIUD EX PRÆDICTIS CONTRA NOVATORES.

corum successores, ut hactenùs audierũt, & observârunt: attendántque diligenter quæ ipsis dum coronam imponit Archiepiscopus Rhemensis, aliúsve Antistes id officij agens, inter alia inculcat [k]: *Accipe Coronam Regni, &c. quam sanctitatis gloriam, & honorem, & opus fortitudinis intelligas signare; & per hanc te participem ministerij nostri non ignores: ut sicut nos in interioribus pastores, rectorésque animarum intelligimur, ita tu contra omnes adversitates Ecclesiæ Christi defensor assistas, &c.* Næ vos multò satiùs, ô Calvinistæ, ab eorum interpellatione abstinueritis; cùm non nisi in maximum malum vestrum rei Sepulchrali manus illi apponere possint: nimirùm ut quæ canones Ecclesiastici in hæreticos eâ de re decreverunt, in vos exequantur, & vetustatis vindictam in subreptitias postulationes vestras exerceant: quãdoquidem extra omne dubium posuimus superiùs, rem Sepulcralem unanimi omniũ Religionum consensu esse sacram, & ad solos Antistites ac sacerdotes pertinere; ideóque videamus, cunctas eâ de re constitutiones Christianas (de quibus tantummodò nunc agitur) à Pontificibus, aut Synodis esse; & ad Episcopos, aliósve Ecclesiasticos viros dirigi. Ipsáque Cœmeteria per consecrationem eximi omni potestati sæculari, præter illa quæ de his superiùs dicta sunt, apprimè magnus noster Ivo [l] Carnotensis demonstravit; dum non aliâ conditione locum à Rodroco Mauritaniæ Comite in usum cœmeterij monasterio Tironensi oblatum, *consecrare* annuit; quàm si *nulla ibi* (ut loquitur) *de cetero secularis potestas aliquas seculares consuetudines acciperet, nullas exactiones extorqueret.* Et longè anteà Concilium Meldense [m] statuerat; *ut nemo quemlibet mortuum in ecclesiâ quasi hereditario iure,* (advertite) *nisi quem Episcopus, aut presbyter, pro qualitate conversationis & vitæ, dignum duxisset, sepelire præsumeret.* Nam nec quòd Reges nostri Christianissimi inunguntur, sicuti & Episcopi; (quo etiam insigni charactere eminent super omnes alios Reges: si ex omnibus antiquis Regibus Hispaniæ Navarræum, ex aliis paucos excipias, quibus & idem honor singulari prærogativâ delatus reperitur: quibus nihilominùs & in hoc ipso prævalent nostri, quòd

k Ceremon. Franc. Pontif. Rom.

l Ep. 283. ult. edit. Iuret.

m Cap. 72. ex 3. Concil.

Oleo cælitus misso, eodémque perenni, & omnis imminutionis experte, ac sacrosancto chrismate unguntur; cùm ceteri, ut ex Pontificali Rom. intelligitur, nonnisi oleo sancto, seu catechumenorum, liniantur) ideò magis rebus se Ecclesiasticis immiscendi facultate pollent; nisi ut diximus, in præsidium Ecclesiæ, eiúsque pacis & disciplinæ defensionem. Non magis quàm olim Regibus populi Israëlitici, quamvis & ipsi inungerentur, id concessum erat: è quibus Saulem legimus [n]; quòd temerario ausu Sacerdotis officium sibi arrogâsset, reprobatum fuisse à Deo; & Oziam [o], leprâ tactũ usque ad diem obitûs.

[n] 1. Reg. 3.
[o] 2. Paralip. 26.

VI. RES SEPULCHRALIS, NON LEVIS MOMENTI.

Nec denique de nihilo, aut parvo putetur agi, cùm de re Sepulcrali disceptatur. Nihil enim leve existimandum in rebus sacris. Nec sanè inter levia censeri Sepulturam, & quæ ad ipsam pertinent, dixerit qui quæ de eâ dicta sunt superiùs, accuratè perpenderit. Nec deniq; gravium tantummodò, ac non etiam levium rerum sacrarum Ecclesiasticarum tractatio Principibus sæcularibus interdicitur. Et ut egregiè ex verbis Domini [p], *Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei Deo*, disseruit Ambrosius [q] adversus eos, qui contendebant Imperatori licere, sibi Ecclesiam accipere, ad quam procederet: *Numquid de Ecclesiæ basilicis occupandis* (id ipsum dicamus de sacris Cœmeteriis) *possunt denarium offerre Cæsaris? Ecclesia Dei est*; (item & sacrum Cœmeterium:) *Cæsari utique non debet addici: quia ius Cæsaris non debet esse Dei templum*. Et ut suis limitibus contineri Principum potestatem, Principibus ipsis maximè gloriosum esse ostendat; *Quid* (subdit) *honorificentius, quàm ut Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur? Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est. Bonus Imperator quærit auxilium Ecclesiæ, non refutat*. Ac denique, ut contra Iconomachos argumentatur S. Ioannes [r] Damascenus: *Parva non sunt parva, ex quibus magna proveniunt. Neque verò parvus error est, vetera Ecclesiæ instituta consuetudine iam confirmata convellere, atque ita maiores nostros quodammodò condemnare, quorum vitam contemplantes, imitari fidem nos oportebat. Cùm igitur multi antehàc Sacerdotes, Regésque, fuerint Christianæ Reipublicæ divinitùs dati, pie-*

[p] Matt. 22.
[q] De basil. trad.
[r] Orat. 1. de Imag. post pr. & ant. fi.

tate, doctrinâ, & vitæ sanctitate præstantes, plurimáque Concilia à sanctis, & divino spiritu afflatis Patribus celebrata; cur nemo eorum Imaginum cultum (distinctionem sepulturæ & Cœmeteriorum, ac repulsionem Hæreticorum à sacris) *censuit improbandum? Novam fidem doceri non patiemur. Non permittemus, ut aliud aliàs sensisse, & temporibus mutati fuisse videamur; ne fidem nostram ii qui ab eâ sunt alieni, risum & ludum putent. Nec piorum est Regum, Ecclesiastica instituta convellere. Siquid ex iis quæ ab Ecclesiâ sunt instituta, tamquam ex ædificio lapides, paulatim subtrahatur, totum ædificium celeriter corruet. Nos autem firmi, stabiles, atque immobiles permaneamus supra firmam petram fundati, qui* CHRISTUS *est: cui gloria convenit, & honor, & adoratio cum Patre & Spiritu, & nunc, & semper, & ad innumerabilia sæcula sæculorum. Amen.*

Sic ille: nec videmur feliciori periodo Opus terminare posse: quamquam & alia plurima addi posse, non sim nescius. Non enim me latet, quàm sit hic latus campus scribendi. Sed malui ita rem agere, ut addi aliquid possit quàm minui. Qui verò his quæ protuli aliquid addendum censuerint, ab his me potiùs adiuvari credam, quàm argui: nihil eos moratus, quorum palatum, vt loquitur Seneca [f], nonnisi ad pretiosos cibos excitatur. Denique Laborem suscepimus, (ut cum Theodoreto [t] finiam) lectoribus, ut arbitror, haud inutilem. Quamobrem qui sine labore laborum nostrorum fructum sunt percepturi, rogatos volumus, ut nobis pro laboribus nostris orationes ac preces impertiant suas. Quodsi minùs accurata videbitur explicatio, laborem saltem boni consulant, & quæ desunt ipsi doceant.

[f] *De consol. ad Helvid.*
[t] *Praf. in Cant. Cantic.*

GLORIA IN EXCELSIS DEO, ET IN TERRA PAX HOMINIBUS BONÆ VOLUNTATIS.

INDEX RERVM QUÆ IN HOC LIBRO CONTINENTUR,

Quorum prior numerus paginam, posterior sectionem denotat.

Hæresis

I.

T

FINIS.

Paucula errata sic corrigito.

P*Ag*. 6. *verſ*. 23. *lege* alarum levitas. *p*. 19. *v*. *à fi*. 6. in quæ res. *p*. 23. *v*. *à fi*. 4. intemperanter. *p*. 24. *v*. 1. ſelectum. *p*. 70. *v*. 14. ex Creſiâ. *p*. 87. *v*. 25. & ſacris. *p*. 93. *v*. 23. ſignificationes. *p*. 124. *v*. 16. lauream *p*. 293. *v*. 19. Chriſti annum. *p*. 368. *verſu pen*. provolutæ. *p*. 369 *v*. 1. more. *p*. 432. *v*. *pen*. doctorem. *p*. 448. *v*. *à fi*. 6. Exiguus. *p*. 606. *v*. 17. adiaphoriam.

Digitized by Google